


1-136

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE

— OU —

COLLECTION

DES AUTEURS

CLASSIQUES LATINS

AVEC

COMMENTAIRES ANCIENS ET NOUVEAUX


FRAGMENTS INÉDITS, RECHERCHES, DISSERTATIONS, INDEX, PORTRAITS, CARTES GÉOGRAPHIQUES, PLANS DE SIÈGES ET BATAILLES, TABLEAUX, ETC.

PAR N. E. LEMAIRE,

ANCIEN DOYEN ET PROFESSEUR DE POÉSIE LATINE A L'ACADÉMIE DE PARIS.

IMPRIMÉE PAR DIDOT.

SECONDE SOUSCRIPTION.



PARIS,

ON SOUSCRIT CHEZ M. EHRMANN,

RUE DE LULLI, N° 1, PLACE DE L'ANCIEN OPÉRA.

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS



On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
A. F. DIDOT, imprimeur de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
Jul. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.
LECOINTE, quai des Augustins, n° 49.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

M. ACCII PLAUTI
COMŒDIÆ

EXCUDEBAT A. FIRMINUS DIDOT,
GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

M. ACCII PLAUTI
COMŒDIÆ

CUM SELECTIS VARIORUM NOTIS


ET NOVIS COMMENTARIIS

CURANTE

J. NAUDET

XLVIRO IN REGIA INSCRIPTIONUM ACADEMIA, ET HUMANIORUM STUDIORUM INSPECTORE.

VOLUMEN SECUNDUM



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXXII

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

CISTELLARIA

DRAMATIS PERSONAE.

SILENIUM, GYMNASIUM, } meretrices.
LENA.
AUXILIUM, prologus.
MELÆNIS, lena.
ALCESIMARCHUS, adolescens.
LAMPADIO, servus.
PHANOSTRATA, uxor.
HALISCA, ancilla.
DEMIPHO, senex.

1, 2. *Silenium, Gymnasium*, nomina lascivo quæstui idonea, illud Bacchici generis, hoc juvenilis exercitii. De terminatione vid. Asin. ad nom. pers. *Philenium*. N.

RES AGITUR SICYONE.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*C*ONPRIMIT adulescens Lemnius Sicyoniam,
*I*s redit in patriam, et gnatam generat nubtiis.
*S*icyonia æque puellam parit: hanc servolus
*T*ollit, atque exponit, et ex insidiis aucupat.
*E*am sublatam meretrix alii detulit.
*L*emno post rediens ducit, quam conpresserat,
*L*emnique despondit natam adulescentulo
*A*more capto illius projecticiæ.
*R*equirens servos reperit, quam projecerat.
*I*taque lege et rite civem congnitam
*A*lcesimarchus, ut erat nanctus, possidet.

1. *Lemnius Sicyoniam*, Demipho Phanostratam. LAMB.

2. *Nubtiis*, quas postea cum alia contraxerat. N.

3. *Æque*, eodem tempore. N. — *Puellam*, Silenium.—*Servolus*, Lampadio. LAMB.

4. *Tollit*, aufert. — *Ex ins. auc.* ex occulto loco observat, quid ea fiat. LAMB.

5. *Alii*, Melænidi.

6. *Ducit*, uxore priori mortua.

7. *Lemni natam*, natu minorem, quam priore matrimonio sustulerat. N. — *Adulescentulo*, Alcesimarcho.

10. *Lege et rite;* hæc junge cum *possidet*. N.

11. *Ut erat nanctus*, qui jam possidebat eam amoris conjugio. N.

ALIUD ARGUMENTUM
CAMERARII.

Nomen habet fabula a cistella, quam amittit in hac ancilla, et reperit mulier, mater ejus puellæ, cujus in illa crepundia inerant. Ita agnoscitur amica adolescentis, et illi nubit. Argumentum est simplex et admodum tenue. Insertus est motus insani amoris.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

CISTELLARIA.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

SILENIUM, GYMNASIUM, LENA.

SIL. Quom ego antidhac te amavi, et mihi amicam esse crevi,
Mea Gymnasium, et matrem tuam, tum id mihi hodie
Aperuistis, tu atque hæc : soror si mea esses,
Quî magis potueris mihi honorem ire habitum,
Nescio; nisi, ut meus est animus, fieri
Non posse arbitror : ita omnibus relictis rebus
Mihi frequentem operam dedistis : eo ego vos
Amo, et eo a me magnam inistis gratiam.
GYM. Pol, istoc quidem nos pretio facile est
Frequentare tibi, utileisque habere :

1. *Crevi*, judicavi, constitui, ut Varro explicat. LAMB.

4. *Honorem*. Gallice, *égards*, *attention*. Conf. Capt. II, 1, 50. — *Ire habitum*. Cum supino *ire* jungitur eleganter pro verbo simplici. Vide inf. 30, et Bacch. III, 6, 36; III, 1, 9. N.

5. *Nisi*, i. q. sed. Cf. Cas. V, 2, 34. N.

9. *Pol istoc quidem n. pretio*, scilic. prandio tam nitido. DOUZA.

10. *Frequentare tibi*, facere nos frequentes tui causa, ut tibi frequenter adsimus. — *Utileis*, paratas usui esse. N.

Ita in prandio nos lepide atque nitide
Adcepisti apud te, ut semper meminerimus.
SIL. Lubentique, edepol, animo factum, et fiet a me,
Quæ vos arbitrabor velle, ea ut expetessam.
LEN. Quod ille dixit, qui secundo vento vectus est,
Tranquillo mari, ventum gaudeo, ecastor, ad te:
Ita hodie heic adceptæ sumus suavibus modis;
Nec, nisi disciplina, apud te fuit quidquam
Ibi, quin mihi placeret. SIL. Quid ita, amabo?
LEN. Raro nimium dabat quod biberem; atque id merum
Infuscabat. GYMN. Amabo, heiccine istud decet?
LEN. Jusque fasque est; nemo alienus heic est. SIL. Merito
Vostro amo vos, quia me colitis et magnifacitis.
LEN. Decet, pol, mea Silenium, hunc esse ordinem
Benevolenteis inter se, beneque amicitia utier:
Ubi istas videas summo genere gnatas,
Summateis matronas, ut amicitiam colunt,
Atque ut eam junctam bene habent inter se.
Si idem istud nos faciamus, si idem imitemur,
Ita tamen vix vivimus cum invidia summa.
Suarum opum nos volunt esse indigenteis.

14. *Ea ut expetessam.* Formula paulo ampliata testandæ benevolentiæ. Sic Horat. Sat. I, 9, 5, «cupio omnia quæ vis». Conf. Bacch. IV, 6, 9. N.

16. *Ventum gaudeo.* Jocus est ex ambiguo, nam et significare potest gaudeo me venisse, et gaudeo ob ventum. Ita Curcul. II, 3, 35-37. LAMB.

18. *Nisi disciplina.* Disciplina, hic est, agendi modus in familia præscriptus et observandus. Ut militiæ, ita est disciplina familiæ. Plautus, Mercat. «Hæc heic disciplina pessima est». BOXHORN.

21. *Infuscabat. Atque id merum infucabat*, quam *infuscabat*, malunt apud Plantum: quum ego *infuscare* verius putem; quod, quum generosi vini nigrior sit color, dilutior mixta aqua, fusciorque reddatur. TURNEB. — *Heiccine istud decet.* Hoc locone decet de vino et disciplina domestica queri? LAMB.

24. *Ordinem*, amplissimum profecto ordinem meretricularum. N.

29. *Si*, etiamsi. N.

30. *Invidia summa.* Multis inimicitiis lacessitæ matronarum. N.

31. *Suarum opum*, etc. non est, suis opibus nos illæ non juvant;

Nostra copia nihilo volunt nos potesse,
Suique omnium rerum nos indigere,
Ut sibi simus subplices : eas si adeas,
Abitum quam aditum malis : ita nostro ordini
Palam blandiuntur, clam, si occasio usquam 'st,
Aquam frigidam subdole subfundunt.
Viris cum suis prædicant nos solere,
Suas pellices esse aiunt; eunt depressum,
Quia nos libertinæ sumus. Et ego et tua mater ambæ
Meretrices fuimus; illa te, ego hanc mihi educavi

sed volunt nos ex ipsis pendere, ipsas respicere, sine illarum gratia vivere non posse. Gron.

32. *Nostra copia*, etc. Id est : per nos et nostris viribus stare, rem et statum obtinere posse nolunt : sed deprimunt nos, quantum in ipsis est, humiles et obnoxias habent, et prohibent crescere eo, ut absque illarum patrocinio et tutela salvæ simus. Libertina mulier loquitur, ex quo genere pleræque erant Romæ quæstum corpore facientes. Itaque patronos et patronas habebant. Harum erga clientulas superbiam narrat. Gronov. — Mireris, quod aliquid cum civibus et matronis commercii meretricibus fuerit, nisi memineris multas etiam in servitute prostibula fuisse et mercedem locatæ operæ dominis retulisse; dein postquam peculio libertatem redemissent, in manu olim dominorum, tunc patronorum mansisse, ut videre est Hispalam apud Livium, XXXIX, 9; aut si liberæ natu peregre advenissent, tamen patrocinium aliquod opulentum requirebant, quod factum ostendit Terent. Eunuch. V, 9, 9. Conf. Horat. Sat. I, 2, 47, « in classe secunda Libertinarum dico ». N.

33. *Omnium rerum* est in omnibus rebus. Ut apud Ciceronem pro Quintio, 3 : « sane ceterarum rerum paterfamilias et prudens, et attentus, una in re paullo minus consideratus ». Terent. Adelph. IV, 5 : « Nolim ceterarum rerum te socordem eodem modo ». Symmachus, lib. I, ep. 15 : « Nostrates viri, qui aliarum rerum sæpe dissentiunt ». Vide Scioppium Veris. I, 19. Gron.

36. *Bland.* benevolas se fingunt.

37. *Aquam frigidam.* « Frigidam alicui clam suffundere », est gratiam alicujus aut famam clandestinis petitionibus, aut calumniis deprimere ac refrigerare. Quod genus hominum Græci eleganter λαθροδήκτας ἢ κρυψοδήκτας vocant. Translatio ducta est ab eo, quod, ut Titinnius ait Sentina, « coquus magnum ahenum, quando fervit, paullo confutat trua », quodque aquæ in aheno igni adposito bullientis atque effervescentis æstus frigida adfusa considit et supprimitur. Sic etiam Græci ψῦγμα usurpant. Gron.

38. *Viris cum suis solere.* Locutio est amatoria esse cum aliquo συνουσιάζειν. Amph. II, 2, 185. Hoc loco intelligitur « esse » i. q. consuetudinem habere. N.

Ex patribus conventis : neque ego hanc superbiæ causa
Repuli ad meretricium quæstum, nisi ut ne esurirem.
SIL. At satius fuerat eam viro dāre nubtum potius. LEN. Heia!
Hæc quidem, ecastor, cotidie viro nubit, nubsitque hodie,
Nubet mox noctu: nunquam ego hanc viduam cubare sivi.
Nam si hæc non nubat, lugubre fame familia pereat.
GYMN. Necesse est quo tu me modo voles esse, ita esse, mater.
LEN. Ecastor, haud me pœnitet, si, ut dicis, ita futura es.
Nam si quidem ita eris, ut volo, nunquam Hecala fies:
Semperque istam, quam nunc habes, ætatulam obtinebis,
Multisque damno, et mihi lucro sine meo sæpe eris sumtu.

42. *Ex patribus conventis.* Camerarius velit *commentitiis*, Gronovins *commentis*, quibus hos partus supposnimus, quibus vos esse filias finximus, ut Phronesium Stratophani Trucul. II, 6. Sed meretrix, si cni viro mentitur se ex illo prægnatem, id comminiscitur, quia sensit illi fore in amore et deliciis puerum, cujus sit pater. At Silenio et Gymnasio ignoti patres, et ipsæ in infantia, ut ex sequentibus comparet, derelictæ cum matribus sine ope. Id « ex patribus conventis » cum puellarum fortuna et loquentis impudenti procacitate congruit, quasi dicat natas vos ex incertis; scilicet ex aliquibus inter eos, quibuscnm multis convenimus, eo sensu quo senex, Mil. Glor. II, 1, 61 : « amantes una inter se facerem convenas ». Nostra lectio innititur codice, quem Gronovius fatetur optimum, quique dat *conventus*. N. — *Superbiæ*, impietatis, id est, non eo factum est, qnod mater dura et importuna essem. Superbus est qui animos gerit inhumanos. N.

43, *Nisi.* Vide snpra 5, *utne.* Amphit. Prol. 127, I, 1, 232. N.

49. *Haud me pœnitet.* Sum contenta. Cf. Aulul. III, 2, 20. N.

50. *Nunquam Hecala*, etc. Nunquam pauper atque inops, seu mendica evasura es, siquidem rei qnærendæ, dum hæc ætatula est, dabis operam. Ita, « Nunquam Hecale fies », inquit Cælius, scitns adagio est, quo significamus, nonnunquam a paupertate ejusmodi oppressum iri qnempiam, qua olim circumventa est Hecale. Ovidii ille versiculus huc facit : « Cur nemo est Hecalen, nulla est quæ ceperit Irum? Nempe quod alter egens, altera pauper erat ». DOUZA. — Omnino scribendum *Hecala.* Nota *Hecale* in comœdia palliata paupertate insignis anus. *Heculam* vocavit Plautus, ut *Circa*, *Nioba*, apud latinos auctores pro Circe, Niobe. SALM.

52. *Sine meo sumtu.* Ita semper aucta donis eris, ut nunquam opus sit mihi quidquam tui vestitus aut victus procnrandi causa impendere. Cf. Asin. I, 3, 65. N.

GYMN. Di faxint! LEN. Sine opera tua nihil di horunc facere possunt.
GYMN. Equidem, hercle, addam operam sedulo; sed quid tu inter istæc verba,
Meus oculus, mea Silenium? nunquam ego te tristiorem
Vidi esse. Quid, cedo, te obsecro, tam abhorret hilaritudo?
Neque munda adæque es, ut soles. Hoc, sis, vide, ut petivit
Suspirium alte! et pallida es: eloquere utrumque nobis,
Et quid tibi est, et quid velis nostram operam, ut nos sciamus.
Noli, obsecro, lacrumis tuis mihi exercitum inperare,
Mea. SIL. Excrucior, mea Gymnasium, male mihi est, male maceror,
Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab ægritudine.
Quid dicam? nisi stultitia mea me in mœrorem rapi.
GYMN. Indidem, unde oritur, facito ut facias stultitiam sepelibilem.

54. *Istæc verba.* Facile credam *verba* glossam esse a sciolo quodam τῷ *istæc* additam, falso quidem, nam Silenium verba non faciebat, et *iste* ad secundam personam attinet. Conf. Bacch. V, 2, 52; Capt. II, 2, 67. Igitur esset « inter ea quæ tu nobis apparasti, scilicet festa convivalia, quid tu agis sic tristis? » N.

55. *Meus oculus.* Compellatio amica et blandula. Augustus epist. ad Caium: « Have, mi Cai, ocellus jucundissimus ». Apud Gellium, XV, 8. N.

56. *Cedo*, da, doce. Cf. Cas. prolog. 30. N.

60. *Exercitum inperare.* Quid sit « imperare exercitum » diximus ad Captivos, I, 2, 52: ubi tamen sic adhibet, ut sit aliqua similitudo inter rem, cui proprium erat hoc genus loquendi, et ad quam Noster per jocum transtulit. Hic prorsus abutitur ob ambiguitatem vocabuli *exercitus*, quod accipit pro dolore, qui animum habet exercitum. Noli tuis lacrymis injungere cruciatum mihi: nam si pergis, tuæ provocabunt meas. Et viderunt interpretes. GRON.

61. *Male est* doleo, ut *bene est* gaudeo, beatus sum. N.

64. *Indidem*, id est, eodem loco, nempe tuo animo.—*Facito ut*, abundat. Cf. Captiv. III, 5, 31.—*Facias sepelibilem*, sepelias, ut Bacch. IV, 8, 7, « exanimalem faxo », i. e. exanimavero. Hæc vers. seq. explicat. N.

SIL. Quid faciam? GYMN. In latebras abscondas pectore penitissumo.
Tuam stultitiam sola facito ut scias sine aliis arbitris. SIL. At mihi
Cordolium 'st. GYMN. Quid id? unde est tibi cordolium, commemora, obsecro?
Quod neque ego habeo, neque quisquam alia mulier, ut perhibent viri.
SIL. Si quid est quod doleat, dolet: si autem non est, tamen hoc sic dolet.
GYMN. Amat hæc mulier. SIL. Eho! an amare obcipere, amarum 'st, obsecro?
GYMN. Namque, escator, Amor et melle et felle est fœcundissumus:
Gustu dat dulce, amarum ad satietatem usque obgerit.
SIL. Ad istam faciem est morbus, qui me, mea Gymnasium, macerat.
GYMN. Perfidiosu'st amor. SIL. Ergo in me peculatum facit.

68. *Quod neque ego.* Scil. cor, id est, sapientiam. Anne tibi ullus dolor cordis est, quod neque ego, neque ulla mulier habet, ut aiunt viri, qui mulieres sine corde, id est, sapientia, esse volunt. LAMBIN. — «Egregie cordatus homo», id est, sapientissimus apud Ennium.

69. *Si quid est*, etc. Sive aliquid sit quod doleat, sive nihil sit, utrovis modo dolet mihi. LAMBIN. — Vulgatæ, «hoc hic dolet», dura oratione, inani sensu. Et facile *h* pro *s* potuit irrepere. Plana fit sententia nostra lectione, «hoc, (monstrato pectore) sic (i. e. corde vacuum) dolet». N.

71. *Namque*, i. q. nempe, autem. Conf. Capt. IV, 2, 116. Cas. II, 2, 9, «melle et felle fœcund.» Catullus Venerem vocat «quæ dulcem curis miscet amaritiem». N.

74. *Ergo*, id est, certe. — *In me peculatum.* Eleganti joco usurpatur «peculatum facere» de eo, qui meretricem seu prostibulum publicum uxorem ducit, et publicarum libidinum victimam, ut ait Tertullian. quasi publicam rem suam facit. Sic meretrix conqueritur hic «amorem in se peculatum facere», id est, attribuere se uni amanti, quum publica esse, et omnibus patere quæstus causa, ex instituto et disciplina meretricia, debet. GRON. — Arguta sane interpretatio, quam præterire non debui, sed quæ nimium intelligendo non intelligat. Ludificatio esset absona totique Silenii hac scena sermoni inconvenicus. Voluit di-

GYMN. Bono animo es, erit isti morbo melius. SIL. Confidam fore,
Si medicus veniat, qui huic morbo facere medicinam potest.
GYMN. Veniet. SIL. Spissum istud amanti est verbum, Veniet, nisi venit.
Sed ego mea culpa et stultitia pejus misera maceror;
Quia ego illum unum mihi exoptavi quicum ætatem degerem.
GYMN. Matronæ magis conducibile est istuc, mea Silenium,
Unum amare, et cum eo ætatem exigere quoi nubta 'st semel.
Verum enim meretrix fortunati est oppidi similluma,
Non potest suam rem obtinere sola sine multis viris.
SIL. Hoc volo agatis; qua arcessitæ causa ad me estis, eloquar.
Nam mea mater, quia ego nolo me meretricem dicier,
Obsecuta est, de ea re gessit morem morigeræ mihi,
Ut me, quem ego amarem graviter, sineret cum eo vivere.

cere : ergo agnoaco perfidiosum, aiqnidem, quod mihi debuit, abstnlit, nt qui magistratus commissam pecuniam uou reddunt. Gallice, ai decorum pateretur, diceremus, *il me fait banqueroute*, ea tamen differentia, quod hoc ad privatam, illud ad publicam pecnniam pertiuet. N.

77. *Spissum*, longum, tardum. Pœn. III, 5, 47, et eadem, III, 1, 3, *Spissi gradissimi*, qui admodum lente incedunt. Varro : « nascimnr spissius, quam emorimur ». Turpilius : « Haud facile est venire illi, ubi ipsa sapientia. Spissum est iter ». GRON. —*Nisi venit. Nisi* valet *sed* (vid. sup. 5, 43), et oratio est valde elliptica. Id est, tardum amanti est verbum *veniet*, sed verbum *venit* est quod desiderat. *Nisi* contrarietatem significat. Aliquid simile Menæchm. prol. 59, « et liberorum, nisi divitiæ, nihil erat », i. e. neque liberi erant illi, quum haberet divitias quas relinquere voluisset liberis. N.

83. *Suam rem obtinere*, incolumi esse statu. N.

84. *Hoc volo agatis*, i. q. hoc agite, i. e. attendite, sed formula leniore. N.

85. *Meretricem*. Meretrix est quæ prostat sub titulo quemque venientem admittens. Honestior, vel minus inhonesta, quæ accepit conditionem et cum uno consuevit. Vid. Asin. IV, 1. N.

LEN. Stulte, ecastor, fecit : sed tu en unquam cum quiquam viro
Consuevisti? SIL. Nisi quidem cum Alcesimarcho, nemine :
Neque pudicitiam meam mihi alius quisquam inminuit. LEN. Obsecro,
Quo is homo insinuavit pacto se ad te? SIL. Per Dionysia
Mater pompam me spectatum duxit : dum redeo domum,
Conspicillo consecutu'st clanculum me usque ad foreis.
Inde in amicitiam insinuavit cum matre et mecum simul,
Blanditiis, muneribus, donis. GYMN. Mihi istum hominem vellem dari,
Ut ego illum vorsarem! SIN. Quid opu'st verbis? consuetudine
Cœpi amare contra ego illum, et ille me. LEN. O mea Silenium. SIL. Quid est?
LEN. Adsimulare amare oportet: nam si ames, extempulo
Melius illi multo, quem ames, consulas, quam rei tuæ.
SIL. At ille conceptis juravit verbis apud matrem meam,

92. *Pomp. spectat.* Ita Delphidem Symætha primnm vidit et amore deperiit, qunm Dianæ pompam videret, apud Theoer. Idyll. II. Cf. Aul. prol. 36, et infra notam ad vs. 94. N.

93. *Conspicillo.* Nonins *conspicillum* exponit locum unde eonspicere possis. Adoleacens igitur non modo non adiit pnellam inverecunde, sed eam consequutus est ita procnl, ut e conspeetu tamen ea non discederet. N.

94. *Inde*, i. q. deinde, postea.— *In amicitiam insinuavit.* Lambinns memorat Hermogeuem, t. IV, eap. περὶ σεμνοῦ λόγου laudantem ad exemplum verecundi sermonis in re turpi versus Menandri, quibus ille puellam quomodo corrupta fuerit, interrogatam, sic respondentem fingit : « Dionysiorum pompa erat; ille autem me conseqnutua est usqne ad fores. Deinde domum frequentans, et matri blandiens, me eognovit, ἔγνω με ». Menandriæ puellæ Plautina compar. N.

95. *Muneribus, donis.* Progressionem consnetudinis verba ostendunt; munus est officiose aliqnem colentis, donum largientis. N.

96. *Ut ego illum vorsarem!* Conf. Asin. I, 3, 28.

97. *Cœpi a. contra ego illum, et ille me.* Sic libri. Forte tamen : « ut ille me ». GRON.—*Contra*, vicissim, Amphit. II, 2, 62. N.

100. *Conceptis juravit verbis.* Est alio præeunte, et jnsjurandum verbis eerta formula eomprehensis vel recitante, vel prælegente jurare. Dicitur ad differentiam ejus juris-

Me uxorem ducturum esse: ei nunc alia ducenda 'st domum,
Sua cognata Lemniensis, quæ habitat heic in proxumo.
Nam eum pater ejus subegit: nunc mea mater irata est mihi,
Quia non redierim domum ad se, postquam eam rem resciverim,
Eum uxorem ducturum esse aliam. LEN. Nihil amori injurium 'st.
SIL. Nunc te amabo, ut hanc hoc triduum solum sinas
Esse heic, et servare apud me: nam ad matrem arcessita sum.
LEN. Quamquam mihi istud erit molestum triduum, et damnum dabis,
Faciam. SIL. Facis benigne et amice: sed tu, Gymnasium mea,
Si me absente Alcesimarchus veniet, nolito acriter
Eum inclamare: utut erga me est meritus, mihi cordi est tamen.
Sed, amabo, tranquille; ne quid, quod illi doleat, dixeris.
Adcipias claveis, si quid tibi opus erit promtu, promito.
Ego volo ire. GYMN. Ut mihi excivisti lácrumas? SIL. Gymnasium mea,
Bene vale. GYM. Cura te, amabo: siccine inmunda, obsecro,

jurandi, quod sermoni nostro crebro interponimus, ut «mehercule, edepol, mecastor», aut quod ultro fidei causa adfirmationi nostræ addimus. Interdum tamen et nullo præeunte; sed tamen verbis magis expressis et explanatis. Itaque multo sanctius et religiosius habetur concipere jusjurandum, ubi et verba essent stricta, et alius præiret. GRON.

103. *Ejus*, ejusdem adolescentis. N.

105. *Nihil amori injurium.* Amori *injurium*, id est, perjurium (ut Festus interpretatur) pro nihilo est. ACIDAL. — «Nulla viri speret sermones esse fideles; Qui, dum aliquid cupiens animus prægestit apisci, Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt. Sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est, Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant». Catull. LXIV, 144.

106. *Te amabo*, te quæso. Conf. Cas. I, 1, 49; II, 2, 6. N.

107. *Servare.* Custodis partes agere. Conf. Mostell. act. II, 2, 22; Terent. Eunuch. IV, 7, 10. N.

111. *Inclamare*, increpare, conviciis onerare. Vide notas Asin. III, 2.

115. *Inmunda*, illota, et impexo capillo, ἄκομος. Sup. vs. 57. LAMB.

Ibis? SIL. Inmundas fortunas æquom 'st squalorem sequi.
GYMN. Amiculum hoc sustolle saltem. SIL. Sine trahi, quom egomet trahor.
GYMN. Quando ita tibi lubet, vale atque salve. SIL. Si possim, velim. (abit.)
GYMN. Numquid me vis, mater, intro quin eam? ecastor, mihi
Visa amare. LEN. Istoc ergo aureis graviter obtundo tuas,
Ne quem ames : abi intro. GYMN. Numquid me vis? LEN. Ut valeas. GYMN. Vale. (abit.)

SCENA SECUNDA.

LENA.

Idem mihi, magnæ quod parti est vitium mulierum,
Quæ hunc quæstum facimus : quæ ubi saburratæ sumus,
Largiloquæ extemplo sumus, plus loquimur, quam sat est.
Nam illanc ego olim, quæ hinc flens abiit, parvolam
Puellam projectam ex angiportu sustuli.

117. *Sine trahi. Trahi*, σύρεσθαι : item *defluere* dicebatur *vestis*, quum negligentius haberetur. Horat. «Rusticius tonso toga defluit» : contrarium est, εὐσχημονεῖν. Casaub. Vide nostra ad Senecam de Ira, lib. III, cap. 35. GRON. — *Trahor.* Lambinus vult : «Invita trahor amore Alcesimarchi». Alii : «Trahor invita imperio matris». An esset : «sine vestem trahi, labi ad terram quum ego afflicta ærumnis labor»? N.

118. *Velim.* Quid hac Silenii dulcedine affectuum, hac lenissima injuriæ patientia atque animo etiamnum illius, unde dolet, amantissimo pulchrius et suavius fingi potest. Puellæ generosæ, ut agnoscetur, vere decora indoles, cui scitus auctor hinc lenæ retorridam nequitiam, inde prostibulæ adolescentulæ sordes admovit, quo præstantior discrepantia virtus emineret. N.

119. *Numquid me vis.* Cf. Amph. III, 3, 15. N.

120. *Istoc*, itaque, ut *eo* sup. 7, 8.

121. *Numq. me vis? Ut val.* Conf. Amph. I, 3, 44; Bacch. IV, 2, 22. N.

2. *Hunc*, meum. Conf. Aul. II, 2, 60, 89. — *Quæstum*, gallice *métier.* — *Saburratæ.* Græcum, γόμος, quod significat πλήρωμα τῆς νεώς, ἕρμα, *saburram* Latini vocant. Itaque qui nimis se ingurgitarent cibo, ita dicti ab eo. SCALIG.

4. *Nam*, scilicet. *Hinc fl. abiit.* Modo ab hoc proscenio abiit Silenium. Lena spectatores alloquitur. N.

Adulescens quidam heic est adprime nobilis,
(Quin ego nunc, quia sum onusta mea ex sententia,
Quiaque adeo me conplevi flore Liberi,
Magis libera uti lingua conlubitum 'st mihi :
Tacere nequeo misera, quod tacito usus est.)
Sicyone summo genere ei vivit pater;
Is amore misere hanc deperit mulierculam,
Quæ hinc modo flens abiit : contra amore hæc perdita 'st.
Eam meæ ego amicæ dono huic meretrici dedi,
Quod sæpe mecum mentionem fecerit,
Puerum aut puellam alicunde ut reperirem sibi,
Recens natum eapse quod sibi subponeret.
Ubi mihi potestas primum evenit, inlico
Feci ejus eii, quod me oravit, copiam.
Postquam puellam eam a me adcepit, inlico
Eamdem puellam peperit, quam a me adceperat,
Sine obstetricis opera, et sine doloribus,
Item ut aliæ pariunt, quæ malum quærunt sibi.
Nam amatorem aibat esse peregrinum sibi.
Subpositionem ejus rei facere gratia.

6. *Heic*, monstrata domo Alcesimarchi. N.

7. *Adeo*, igitur. N.

8. *Flore Liberi.* Cf. Casin. III, 5, 16. N.

10. *Misera*, quia vehementer sollicitor prurigine loquitandi. Cf. Cas. II, 7, 9; IV, 3, 10. — *Usus est.* Cf. Bacch. IV, 4, 54. N.

12. *Misere.* Cf. Cas. III, 1, 6. N.

14. *Huic*, quæ hic habitat; monstrat domum Melænidis. N.

15. *Mentionem fecerit.* Cf. Aul. IV, 7, 3. N.

17. *Eapse* ipsa; *quod*, neutrum sexu infantis incerto. Cf. Amph. I, 3, 3. N.

19. *Eii.* Cf. Aul. Prol. 13. — *Ej. q. me or. cop.* Feci eam compotem rei quam me rogaverat. Lamb.

21. *Peperit.* Peperisse simulavit. Lamb.

23. *Quæ mal. quær. sibi.* Gronovius velit « quæ malo (i. e. modo) quærunt sibi (rem) », dum prætextu partus compellunt amatores largius dare. Alii commutant ex ingenio sine codicum auctoritate « bonum », eadem sententia. Malim cum Lambino orationem, ut habet, simpliciter exponere : namque, siquando fraus cognita sit, mentitæ partum meretrici vel parentes subrepti infantis, vel amator deceptus dant malum. N.

25. *Ejus rei gratia*, quod habe-

Id duæ nos solæ scimus, ego quæ illi dedi,
Et illa, quæ a me adcepit, præter vos quidem.
Hæc sic res gesta 'st : si quis usus venerit,
Meminisse ego hanc rem vos volo : ego abeo domum.
(abit.)

SCENA TERTIA.

AUXILIUM.

Utrunque hæc, et multiloqua et multibiba 'st anus.
Satin' vix reliquit Deo, quod loqueretur, loci ?
Ita properavit de puellæ proloqui
Subpositione : quod si tacuisset, tamen
Ego eram dicturus Deus, qui poteram planius.
Nam mi est Auxilio nomen : nunc operam date,
Ut ego argumentum hoc vobis plane perputem.
Fuere Sicyoni jamdiu Dionysia.
Mercator venit huc ad ludos Lemnius,
Isque heic conpressit virginem adulescentulus,
Vinulentus, multa nocte, in via.

bat amatorem, quem supposito partu deleniret, peregrinum quidem, quo facilius eum falleret. N.

28. *Usus*, ut supra, vs. 10. N.

2. *Satin'*. Cf. Bacch. III, 3, 87; Cas. III, 4, 8. — *Vix loci*. Supple *aliquid*, neque construe *satisne loci*. Non spatium reliquit mihi narrandi. N.

3. *Proloqui*, prologi vicem implere. N.

6. *Auxilio*. Haud semel deum ex machina narrantem quæ protaseos essent veteres tum Graii, tum Latini induxere, vel in comœdia. Sed incepto jam fabulæ actu, prologum interserere non alias Plauto libuit, nisi Milite glorioso. — *Operam date*, sc. audite. Conf. Capt. prol. 6. N.

7. *Perputem*. Amputatis et omissis supervacaneis plane exponam. LAMB.— Translatio ducta non a vineis, ut volunt interpretes, quæ *putantur* quidem, sed illa putatio nihil huc pertinet : verum a lanificio, in quo, quod alias dicunt *carere lanam*, vel *carminare*, hoc est, per pectinem purgandæ ejus causa trahere, idem vocant *putare lanam*. Titinnius Fullon. « Date pensam lanam ; qui non reddet tempori putatam recte, facite ut multetur malo ». GRONOV.

8. *Sicyoni* p. Sicyone. Cf. Capt. III, 5, 31. N.

11. *Vinulent*. etc. Cf. Aul. Prol. 36 ; IV, 10, 15, sqq. N.

Is ubi malam rem scit se meruisse, inlico
Pedibus perfugium peperit, in Lemnum abfugit,
Ubi habitabat tum. Illa, quam conpresserat,
Decumo post mense exacto heic peperit filiam.
Quoniam reum ejus facti nescit, qui siet,
Paternum servom sui participat consili,
Dat eam puellam ei servo exponendam ad necem.
Is eam projecit : hæc puellam sustulit.
Ille clam observavit servos,
Quo aut quas in ædeis hæc puellam deferat.
Ut eampse vos audistis confiterier,
Dat eam puellam meretrici Melænidi,
Eaque educavit eam sibi pro filia
Bene ac pudice : tum illic autem Lemnius
Propinquam uxorem duxit, congnatam suam.
Ea diem suom obiit, facta morigera 'st viro.
Postquam ille uxori justa fecit, inlico
Huc conmigravit; duxit uxorem hic sibi
Eamdem, quam olim virginem heic conpresserat,
Et eam congnoscit esse, quam conpresserat.
Illa illi dicit, ejus se ex injuria

12. *Malam rem*, pœnam ex lege, quam meritus est. Douz.

13. *Pedibus perfugium*, etc. Pedum viam invenit. *Perfugium* idem est quod effugium; *parere*, quod facere. Nihil ergo hic mutandum. Ita »moram parere» Plautus, Trucul. »dissidium, salutem, pacem parere» alii dixere. Boxhorn.

15. *Decumo post mense.* Cf. Amph. I, 2, 19. N.

16. *Reum qui siet.* Hellenismus. Cf. Bacch. III, 6, 26. N.

18. *Exponendam ad necem.* Hic mos fuit Veterum celeberrimus, quem et perantiquæ Œdipi, Romuli et aliorum historiæ, et comœdiæ palliatæ (vid. Terent. Heaut. Hecyr.), et leges Romanorum (titulis de infant. exposit.) testantur. Vulgo paupertas causa fuit, cur natos parentes objicerent neci. N.

19. *Hæc* lena. N.

24. *Educavit* Melænis. N.

27. *Facta morigera.* Fuit obsequens, fecit quod vir optabat: id enim commune maritorum votum in comœdiis. Asin. I, 1, 30; V, 2, 56. Lamb.

29. *Huc*, Sicyonem. N.

32. *Injuria*, ex violenta compressione. Nulla vis sine injuria. Lamb.

Peperisse gnatam, atque eam se servo inlico
Dedisse exponendam : ille extemplo servolum
Jubet illum eumdem persequi, si qua queat
Reperire, quæ sustulerit. Ei rei nunc suam
Operam usque adsiduo servos dat, si possiet
Meretricem illam invenire, quam olim tollere,
Quom ipse exponebat, ex insidiis viderat.
Nunc quod reliquom restat, volo persolvere,
Ut expungatur nomen, ne quid debeam.
Adulescens heic est Sicyoni : ei vivit pater..
Is amore projecticiam illam deperit,
Quæ dudum flens hinc abiit ad matrem suam,
Et illa hunc contra, qui est amor suavissumus.
Ut sunt humana, nihil est perpetuum datum.
Pater adulescenti dare volt uxorem : hoc ubi
Mater rescivit, jussit arcessi eam domum.
Hæc res sic gesta est : bene valete, et vincite
Virtute vera, quod fecistis antidhac.
Servate vostros socios, veteres et novos :
Augete auxilia vestris justis legibus,

35. *Si qua*, si qua via.

39 *Ex insidiis*, e loco unde videret invisus. N.

40. *Reliquom... persolvere.* Cf. Capt. prol. 16. N.

41. *Ut expungatur. Expungere*, rationum verbum est. Expungitur enim e tabulis et deletur nomen debitoris, quum omnis pecunia persoluta est. Ern.

44. *Dudum*, modo. N.

46. *Ut sunt humana*, etc. Sæpe seria ludo miscentur. Cf. Capt. prol. 22, 51. N.

48. *Mater* Silenii. *Domum* ad se. N.

50. *Virtute vera.* Cf. Cas. prol. 88. N.

52. *Vestris justis legibus.* Verissima illa lectio. Quod enim vir doctus negat se exputare quomodo legibus auxilia augerentur, fugit eum ratio. Non ad auxilia tantum ea referuntur, quæ de justis legibus dicuntur, sed etiam ad socios : « Servate vestros socios, veteres ac novos, Augete auxilia vestris justis legibus ». Juste imperando dicit Romanos non solum socios suos sibi conservaturos, sed etiam auxilia aucturos, id est, gentes exteras et alienigenas plures incitaturos ad

Perdite perduelleis, parite laudem et lauream,
Ut vobis victi Pœni pœnas subferant.

auxilia sibi submittenda. « Augere auxilia », id est, numerum auxiliorum, vel auxiliarium populorum. Res planissima. SALMAS.

58. *Lauream*, idem quod triumphum. N.

59. *Ut vobis*, etc. Hæc sæviente secundo bello Punico tum fortasse scripta fuere, quum Ticinensem et Cannensem clades, duce Fabio, vel Marcello ulcisci cœpissent, post annum U. C. 539. N.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

ALCESIMARCHUS, MELÆNIS.

ALCES. Credo ego amorem primum apud homines carnuficinam conmentum :
Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quæram,
Qui omneis homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi :
Jactor, crucior, agitor, stimulor, vorsor in amoris rota miser.
Exanimor, feror, disferor, distrahor, diripior : ita nubilam mentem
Animi habeo; ubi sum, ibi non sum ; ubi non sum, ibi est animus :
Ita mihi omnia ingenia sunt; quod lubet, non lubet jam id continuo.

2. *Domi*. Cf. Amph. II, 2, 7; Cas. II, 3, 8. N.

4. *In amoris rota*. Rota genus supplicii aut tormenti, quo in rotis districti versabantur, non membra effringebantur, quale fuit apud recentiores. Scal.

5. *Mentem animi*. Cf. Bacch. III, 4, 11. N.

6. *Ubi sum*, etc. Vehementer expressa externati amore animi æstuatio. Sic Mercat. III, 4, 1, « nunquam bene queo quiescere ; Si domi sum, foris est animus; sin foris sum, domi est animus : Ita mi in pectore atque in corde facit amor incendium ». N.

7. *Ingenia*, voluntates quæ animo cooriuntur. Idem aliis verbis dicitur Virgilio, Æn. VIII, 19 : « In partesque rapit varias, perque omnia versat ». N.

Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, agit, adpetit,
Raptat, retinet, lactat, largitur; quod dat, non dat; deludit:
Modo quod suasit, dissuadet; quod dissuasit, id ostentat.
Maritumis moribus mecum experitur; ita meum frangit amantem
Animum: neque, nisi quia miser non eo pessum, mihi ulla abest
Perdito pernicies: ita pater apud villam detinuit me hos dies sex
Ruri continuos; neque licitum interea est meam amicam visere.
Estne hoc miserum memoratu!
MEL. Eo facetu's, quia tibi alia'st sponsa locuples Lemnia?
Habeas: neque nos factione tanta, quanta tu, sumus;
Neque opes nostræ tam sunt validæ quam tuæ: verumtamen
Haud metuo, ne jusjurandum nostrum quisquam culpitet:
Tu jam, si quid tibi dolebit, scies qua doleat gratia.
ALCES. Di me perdant..... MEL. Quodcumque optes, velim tibi contingere.
ALCES. Si illam uxorem duxero mi unquam, quam despondit pater.
MEL. Et me, si unquam tibi uxorem filiam dedero meam.
ALCES. Perjurare me patiere? MEL. Atque aliquanto facilius,
Quam me meamque rem perire et ludificari filiam.

8. *Agit*, διώκει, insectatur, impellit. — *Adpetit*, affectat, invadit, ut gladiator adversarium. LAMB.

11. *Maritumis moribus*, siquidem fluctuantem animum violento æstu facit. *Mecum experitur*, me tractat, tentat. N.

12. *Neque, nisi*, etc. Neque quidquam mihi ut perditus sim deest, nisi quod non morior. N.

13. *Ita*, particula causalis, ut sup. 7, 8. Cf. Capt. III, 5, 16. N.

16. *Facetu's*. Lepidum te geris et elegantem. Gallice *tu prends un ton*. Cf. Asin. II, 2, 84. N. — *Alia* atque Silenium, cui spoponderas fidem. N.

17. *Factione*. Cf. Aul. II, 1, 45. N.

20. *Qua gratia*, causam doloris tui noveris. N.

Abi quærere, ubi jurando tuo satis sit subsidi :
Heic apud nos jam, Alcesimarche, confregisti tesseram.
ALCES. Face semel periculum. MEL. Sæpe feci, quod factum queror.
ALCES. Redde mihi illam. MEL. Inter novam rem verbum usurpabo vetus :
Quod dedi, datum non vellem; quod reliquom 'st, non dabo.
ALCES. Non remissura es mihi illam? MEL. Pro me responsa tibi.
ALCES. Non remittes? MEL. Scis jamdudum omnem meam sententiam.
ALCES. Satin' tibi istuc in corde certum 'st? MEL. Quin ego conmentor quidem :

26. *Ubi jurando*, etc. Ubi tuum jusjurandum possit consistere, excipiatur scilicet fiducia. N.

27. *Confregisti tesseram*. Hospitio ex diversis urbibus inter se juncti habebant tesseræ in duo divisæ partem quisque suam, unde noscerentur vel ipsi, vel sui. Hæc vocabantur quoque symbola. « Confringere tesseram » erat jus hospitii rumpere et perdere, et inde tralato sensu societatem quamlibet. N.

29. *Inter novam*, etc. « Vetus verbum », Latinis est idem quod tritum proverbium. Et verosimile est in ore vulgi receptam olim et tunc temporis dicendi formulam fuisse : « Quod dedi, datum non vellem : quod reliquum est, non dabo », quum nempe amicitiam renuntiarent, et pœniteret beneficii hactenus collati. Nisi a creditoribus, plura credere nolentibus, sit desumptum. BOXHORN.

31. *Responsa*. Festivior erit lectio : « pro me responsas tibi ». Quid opus est me dicere non remissuram, quum tu ipse dixeris ; sic versu sequenti. Geminum plane illi, quod in sacris literis : « Tu dicis ». SCIOPP. — *Pro me responsa*. Quidquid repugnent, certe Scioppius, *responsas*. Sic infra IV, 2 : « Hiccine tu ergo habitas? PH. Hariolare ». Asinar. III, 2 : « Argenti viginti minas habesne? LE. Hariolare ». Talia sunt, Casina, V, 2 : « Times ecastor. ST. Egone? OL. Haud mentire hercle ». Pseud. II, 2 : « Quasi tu dicas me te velle argento circumducere? HA. Imo vero quasi tu dicas, quasique ego autem id suspicer » ; et act. IV, 7 : « te ad me misit Polymachæroplagides? » HA. Vera memoras ». Rudente, II, 3 : « Non venit? AM. Vera prædicas ». Et ibidem : « Non rem divinam facitis hic vos, neque herus. AM. Hariolare ». GRONOV.

33. *Conmentor*. Aliud ago, aliud animo voluto, neque quæ dicis ausculto. LAMB.

Non, edepol, istæc tua dicta nunc in aureis recipio.
ALCES. Non? hem, quid agam? MEL. Igitur animum advorte, ut quid agas, scias.
ALCES. At ita me di deæque, superi atque inferi, et medioxumi,
Itaque me Juno regina et Jovis supremi filia,
Itaque me Saturnus patruus ejus..... MEL. Ecastor, pater.
ALCES. Itaque me Ops opulenta illius avia..... MEL. Imo mater quidem.
ALCES. Juno filia et Saturnus patruus, et summus Jupiter.....
Tu me delenis: propter te hæc pecco. MEL. Perge dicere.
ALCES. Anne ut etiam quid consultura sis sciam? MEL. Perge eloqui.
Non remittam; definitum 'st. ALCES. Enimvero, ita me Jupiter,
Itaque me Juno et Saturnus, ita..... quid dicam, nescio.
Jam scio: imo, mulier, audi, meam ut scias sententiam:
Di me omneis magni minutique et patellarii

36. *Medioxumi.* Sunt ii, quos Græci δαίμονας appellant: de quibus Plato in Symposio, et Apul. de deo Socratis. Nonius: « Medioxumum, i. e. medio actum modo ». Festus: « Medioxumum, i. e. mediocre ». Dii autem quos jurat Alcesimarchus, a Græcis appellantur dii οὐράνιοι, χθόνιοι et ὑποχθόνιοι. GRONOV.

37. *Filia.* Hic perspicue errans inducitur adolescens. Juno enim soror et conjux Jovis est, non filia. Sic Saturnus est pater Jovis et Junonis, non patruus. Ita Ops (quæ et Rhea, et Terra nominatur) Saturni uxor est. LAMB.

41. *Me delenis.* Mentem adimis. *Delenire* et *delinire* idem est verbum. CAMER. — Cf. Amph. II, 2, 214. N.

42. *Anne ut etiam*, etc. Possimne scire? Formula sciscitandi, quasi dicat: tu me dicere, quid animo habeam, jubes, et ego te precor ut me certiorem facias quid habeas consilii. N.

46. *Patellarii.* Dii, quibus in patellis epulæ apponebantur, et qui patellis colebantur: non pateris ut Lares et Penates. Varro: « Quocirca oportet bonum civem legibus parere et deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας ». Vel ita dicti a piscibus minutis, qui in patellis apponebantur, non in pateris; quemadmodum cibi tenuiores et viliores

Faxint, ne ego dem vivos savium Silenio,
Nisi ego teque tuamque filiam, meque hodie obtruncavero;
Postea autem cum primo luci cras nisi ambo obcidero;
Et equidem, hercle, nisi pedatu tertio omneis ecflixero,
Nisi tu illam remittis ad me: dixi quæ volui : vale. (abit.
MEL. Abiit intro iratus : quid ego nunc agam ? si redierit
Illa ad hunc, ibidem loci res erit : ubi odium obcœperit,
Illam extrudet, quom hanc uxorem Lemniam ducet domum.
Sed tamen ibo et persequar : amens ne quid faciat, cauto opu'st.
Postremo, quando æqua lege pauperi cum divite
Non licet, perdam operam potius, quam carebo filia.
Sed quis hic est, qui recta platea cursum huc contendit suum ?
Et illud paveo, et hoc formido : ita tota sum misera in metu.

ut oluscula e terra nata et similia. LAMB.

47. *Ne ego dem.* Alius dixisset: Dii me faxint, ut male peream, vel tale quid: nisi ego te, etc. Verum amanti æque dirum et horribile est, non osculari amicam, atque alii sano interire. Et vox *vivus* delestationem facit magis diram. In summa, oratio amatoris insani perturbata est. LAMB. — *Vivos* est locutio abundans ex more sermonis. Cf. Amph. I, 1, 242; Asin. I, 1, 7. Virgil. Eclog. IX, 2: « O Lycida, vivi pervenimus ». N.

50. *Pedatu tertio.* Id est, « repetitu, accessu, vice: quasi per pedem ». Apud Nonium Cato: « Igitur tertio pedatu nobis bellum fecere, etc. » A veteri critico explicatur: τρίτῃ περιόδῳ. TURNEB. — Pindar. τρίτῳ βήματι. N.

53. *Ibidem loci*, eodem loco, ata. Sic Virg. Æn. II, 322: « Quo res summa loco, Pantheu? » *Odium*, tædium. Quum tædere illum Silenii cœperit. N.

56. *Æqua lege.* Aulul. II, 2, 50-58, 81. — *Non licet.* Supple « esse, contendere ». N.

57. *Perd. operam.* Ad Alcesimarchum remittam potius filiam (quo facto, operam perdam : nam continuo eam extrudet foras) quam committam, ut filiam meam interimat, et ita caream filia. LAMB.

SCENA SECUNDA.

LAMPADISCUS.

Anum sectatus sum clamore per vias;
Miserrumam habui : ut illæc hodie quot modis
Sibi moderatrix fuit, atque inmemorabilis!
Quot illi blanditias! quid illi promisi boni!
Quot admœnivi fabricas! quot fallacias!
In quæstione vix exsculpsi ut diceret,
Quia ei promisi dolium vini dare.



SCENA TERTIA.

PHANOSTRATA, LAMPADISCUS, MELÆNIS*.

PHAN. Audire vocem visa sum ante ædeis modo
Mei Lampadisci servi. LAMP. Non surda es, hera;
Recte audivisti. PHAN. Quid agis heic? LAMP. Quod gaudeas.
PHAN. Quid id est? LAMP. Hinc ex hisce ædibus paulo prius
Vidi exeuntem mulierem. PHAN. Illam, quæ meam
Gnatam sustulerat? LAMP. Rem tenes. PHAN. Quid postea?
LAMP. Dico ei, quo pacto eam ab hippodromo viderim

1. *Anum*, lenam quæ prima sustulerat Silenium dederatque Melænidi. *Clamore*, convicio. N.

2. *Miserrumam habui*. Cf. Cas. I, 1, 28. N.

3. *Sibi moderatrix fuit*, sese gessit atque linguæ temperavit. — *Inmemorabilis*. Lexicon Græcolatinum vetus: μνημονικός, *memorosus, memorabilis*. Ergo *inmemorabilis*, quæ simulabat nihil meminisse, neque adeo scire ejus rei, de qua sciscitabatur. Plane ex disciplina mulierum, «de se si creditur ipsis». Milit. act. III, 3. GRUTER.

4. *Quot illi blanditias* ego adhibui. N.

5. *Admœnivi*, id est, ad mœnia admovi. Ut tanquam de molimento oppugnandæ urbis loquatur, cui fabricæ admœniuntur. Sic Pseud. act. II, 1: «Oppidum admœnire», dixit, pro obsidere. GRUT. — Eadem translatio apud Cic. Agr. II, 19: «Quum intelligam hanc totam fere legem ad illius opes evertendas tanquam machinam comparari». GRONOV. *

6. *In quæstione*, quærendo; *vix*, ægre, tandem. N.

* Hac scena fere tota, ad vs. 52, Melænis procul stans, neque a Phanostrata et Lampadione conspecta, interloquitur. N.

Herilem filiam nostram sustollere.
PHAN. Extimuit tum illa? MEL. Horret corpus, cor salit.
Nam mihi ab hippodromo memini adferri parvolam
Puellam, eamque me mihi subponere.
PHAN. Age perge, quæso, animus audire expetit,
Ut res gesta sit. MEL. Utinam audire non queas!
. . . .
LAMP. Pergo illam [his alloqui] dictis: illæc te anus
Furto [natam se ne de]seras vocat.
Nam illæc tibi nutrix est, ne matrem censeas.
Ego te reduco et voco ad divitias, ubi
Tute locere in luculentam familiam,
Unde tibi talenta magna viginti pater
Det dotis: non enim hic, ubi ex Tusco modo
Tute tibi indigne dotem quæras corpore.
PHAN. An, amabo, meretrix illa est, quæ illam sustulit?
LAMP. Imo meretrix fuit; sed ut sit de ea re, eloquar.

14. *Pergo*, etc. Hic fœde mutilata fabula, nam laceri sunt versus, quos non refingere, sed quid sententiæ ferrent proponere, paucis intra uncinos suppletis vocibus, tentavimus. Præterea manifestum est versus alios desiderari, quod biulcus sensus et verbum *pergo* significans continuatum cum puella sermonem demonstrant. Videlicet versibus qui desunt Lampadio narrabat, quomodo territatam anum Alcesimarchi domum usque consecutus esset, dein deceptus, quum filiam herilem reperisse crederet, Gymnasium ibi inventam hortatus esset ad commentitiam matrem spernendam. In hoc versatur nunc oratio. N.

18. *Tute*, tu. N.

19. *Talenta magna.* « Talentum magnum » ipsum est talentum Atticum sexaginta minarum. Quod sic appellarunt Romani, quia erat aliud talentum Neapolitanum, Rheginum, Siculum parvæ summæ. Vid. de pec. vet. III, 3. Gronov.

20. *Non enim hic.* Omnes interpretantur « non enim hic habitabis » vel « habitabit pater ». Oratio planior et magis latina, si intelligas: non enim hic ille est, ubi (apud quem), etc. Adverbia loci pro relativo cum præpositione usitari vel pueri sciunt. Cf. Aul. II, 4, 59, et hac ipsa scena, vss. 17, 19. N.—*Tusco modo.* Lydorum enim qui pars Etruriæ, filias ex meretricio quæstu dotem sibi comparare solitas, tradit Herodotus. Palmer. — Tuscus vicus meretricio quæstu Romæ fuit infamis, jam Plautina ætate, cf. Curcul. IV, 21, ut postea, teste Horatio, Sat. II, 3, 228. N.

23. *Imo fuit*, non est nunc, sed

Jam perducebam illam ad me suadela mea:
Anus ei amplexa est genua, plorans, obsecrans,
Ne deserat se : eam suam esse filiam,
Seque eam peperisse, sancte adjurabat mihi.
Istanc quam quæris, inquit, ego amicæ meæ
Dedi, quæ educaret eam pro filiola sua.
Et vivit, inquit: ubi ea est? inquam extempulo.
PHAN. Servate me, Dei, obsecro. MEL. At me perditis.
PHAN. Quoi illam dedisset exquisisse oportuit..
LAMP. Quæsivi, et dixit meretrici Melænidi.
MEL. Meum elocutus est nomen : interii.
LAMP. Ubi elocuta 'st, ego continuo anum interrogo:
Ubi habitat, inquam, duc ac demonstra mihi.
Avecta est, inquit, peregre hinc habitatum. MEL. Obsipat
Aquolam. LAMP. Quo avecta 'st, eo sequemur : siccine
Agi' nugas? peristi. Ne, hercle, hoc longe destiti
Instare usque adeo, donec adjurat se anus
Jam mihi monstrare. PHAN. At non missam oportuit.
LAMP. Servatur : sed illæc se quamdam aibat mulierem
Suam benevolentem convenire etiam prius,

olim fuit meretrix. *Ut sit*, qualiter se res habeat. N.

24. *Illam*, puellam. N.

37. *Obsipat Aquolam*. Id est, recreat me : ut fit iis, qui animo defecti, aqua adspersa recreantur. Illo enim mendacio se elabi posse sperat. Festus interpretatur *sipat*, *jacit*: et inde esse ait « dissipat, disjicit : obsipat, objicit : insipat, injicit ». Ita hic *obsipat* est adspergit. LAMB.

39. *Hoc*. Gron. sapienter *hoc* interpretatur sensu demonstrativo, scilicet histrione ita dicente, ut gestu definiat aliquod spatium. Hæc loquendi formula sermone tritissima, cf. Most. II, 1, 46; Trin. II, 4, 84. Sed aut fallor, aut errat ille quum *perstiti* pro *destiti* rescribit, hac interpunctione : ne, hercle, hoc longe. Perstiti, etc. Eo sensu : ne hoc (spatio) longe (abscedas a me). Sic perstiti illi instare donec, etc. At plane procedit oratio sic : ne hoc quidem longe destiti instare, i. e. ab instando illi, etc. N.

42. *Servatur*, impersonaliter, i. e. rei habetur cura, pari sermone atque « curatur, curatum'st, curabitur ». Cf. Bacch. IV, 9, 144; Capt. III, 5, 70. N.

43. *Suam benevolentem*. Cf. Bacch. III, 3, 71. N.

Conmune quicum id esset sibi negotium.
Et scio venturam. MEL. Me indicabit, et suas
Ad meas miserias addet. PHAN. Fac me consciam
Quid nunc vis facere me. LAMP. Intro abi, atque animo bono es.
Vir tuu' si veniet, jube domi obperirier,
Ne in quæstione mi sit, si quid eum velim.
Ego ad anum recurro rursum. PHAN. Lampadio, obsecro,
Cura. LAMP. Perfectum ego hoc dabo negotium.
PHAN. Deos teque spero. LAMP. Eosdem ego, uti abeas domum. (abit Phanostrata.)
MEL. Adulescens, adsta, atque audi. LA. Men', mulier, vocas?
MEL. Te. LAMP. Quid negoti 'st? nam obcupatus sum ampliter.
MEL. Quis isteic habitat? LAMP. Demipho, dominus meus.
MEN. Nempe istic est, qui Alcesimarcho filiam
Suam despondit in divitias maxumas?
LAMP. Is ipsus est. MEL. Eho tu, quam vos igitur filiam
Nunc quæritatis alteram? LAMP. Ego dicam tibi,
Non ex uxore gnatam uxoris filiam.
MEL. Quid istuc est verbi? LAMP. Ex priore muliere
Gnata, inquam, meo hero filia est. MEL. Certe modo
Hujus, quæ locuta est, quærere aibas filiam.

45. *Scio*, certo opinor. Cf. Asin. II, 2, 111. *Et suas*, etc. Me trahet secum in miserias quas nunc ob puellam patitur. N.

49. *In quæstione mi sit*. Cf. Capt. II, 2, 3. N.

52. *Spero*, votis voco, commendo me diis. Eo sensu *sperata* pro sponsa, μνηστευομένη dicitur. Cf. Amph. II, 2, 44; Pœn. V, 4, 97. Sic potest exponi et Cas. II, 5, 37; Mil. gl. IV, 5, 10. *Uti abeas domum*. Sic Lambinus. Vulgatæ *habeas*, nullo sensu, vel frustra subintellecto *reductam*, quum Lampadionis orationem a Melænide interruptam comminiscantur. N.

55. *Isteic*, domo, quæ tua videtur habitatio. N.

60. *Uxoris filiam*. Ænigma: quod sic declaratur. Demipho duas duxit uxores, unam Lemniam eamque priorem, quæ hic non nominatur: alteram Sicyoniam, Phanostratam, posteriorem: ex qua tamen ante compressa, quam Lemniam duceret, filiam Silenium susceperat, quæ projecta, nunc quæritatur. LAMB.

LAMP. Hujus ego quæro. MEL. Quo modo igitur, obsecro,
Hæc est prior, quæ nubta nunc est? LAMP. Conteris
Tu tua me oratione, mulier, quisquis es.
Medioxumam quam duxit uxorem, ex ea
Gnata est hæc virgo, Alcesimarcho quæ datur.
Ea uxor diem obiit : jam scis? MEL. Teneo istuc satis.
Sed ego illud quæro confragosum, quo modo
Prior posterior sit, et posterior sit prior?
LAMP. Prius hanc conpressit, quam uxorem duxit domum:
Prius gravida facta'st, priusque peperit filiam.
Eam postquam peperit, jussit parvam projici.
Ego eam projeci, alia mulier sustulit,
Ego inspectavi : herus hanc duxit postibi.
Eam nunc puellam filiam ejus quærimus.
Quid nunc supina sursum in cælum conspicis?
MEL. I nunc jam istuc quo properabas, nihil moror.
Nunc intellexi. LAMP. Diis, hercle, habeo gratiam:
Nam ni intellexes, nunquam, credo, amitteres. (abit.)
MEL. Nunc mihi bonæ necessum'st esse ingratiis,
Quamquam esse nolo : rem palam esse intellego.
Nunc egomet potius hanc inibo gratiam
Ab illis, quam illæc indicet me : ibo domum,
Atque ad parenteis reduco Silenium.

66. *Quisquis*. Cf. Aul. II, 1, 16. N.

67. *Medioxumam. Medioxuma*, id est, media, appellatur Lemnia illa mulier, quam priore loco uxorem duxit. Et Phanostrata quodammodo bis nupsisse intelligenda est: semel, quum a Demiphone compressa est, iterum, quum justis nuptiis cum eo copulata est. LAMB.

70. *Confragosum*. Asperum et impeditum, translate a locis confragosis, qui salebrosi et difficiles sunt. Conf. Men. IV, 2, 25. LAMB.

72. *Quam* conjunctio. *Uxorem*, scil. Lemniam illam. LAMB.

74. *Eam*, Silenium. *Peperit* Phanostrata. — *Projici*, exponi, unde est illa *projecticia*. CAM.

76. *Hanc*, Phanostratam. — *Postibi*, postea. Cf. Rud. III, 1, 8. Sic *interibi* p. interea, Capt. III, 1, 31, 33, et passim. N.

81. *Amitteres*, dimitteres. Bacch. IV, 9, 40. N.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

MELÆNIS, ALCESIMARCHUS, SILENIUM.

MEL. Rem elocuta sum tibi omnem : sequere me, mea Silenium,
Ut eorum, quojam esse oportet te, sis potius quam mea.
Quamquam invita te carebo, animum ego inducam tamen,
Ut illud quod tuam in rem bene conducat, consulam.
Nam heic crepundia insunt, quibuscum te illa olim ad me detulit,
Quæ mihi dedit, parenteis te ut cognoscant facilius.
Adcipe hanc cistellam, Halisca, atque, agedum, pulta illas foreis.
Dic me orare, ut aliquis intus prodeat propere ocius.
ALCES. Recipe me ad te, Mors, amicum et benevolum. SIL. (aspiciens Alcesimarchum.) Mater mea,
Perimus miseræ! ALCES. Utrum hac me feriam, an ab læva latus?

5. *Crepundia. Crepitacula* vocat Lucret. Solebant autem Veteres liberos amissos quum ex aliis notis, tum etiam ex crepundiis agnoscere: quod comici et tragici poetæ, veritatis imitatores in fabulis adumbrare solent. Ex quo illud Cic. in Bruto: « Nunc quoniam totum me non nævo aliquo, aut crepundiis, sed corpore omni videris velle cognoscere, etc. » LAMB.

8. *Intus prodeat.* Cf. Amph. II, 2, 138. N.

9. *Recipe me.* Sic liber optimus et antiquissimus, a quo legem mihi dixi non recedere, quoties sequi possum. Alii *Accipe:* in quo verbo qui ludunt, tanquam hospitiis et invitationibus aptiore, satis confutantur ab ipso Plauto, Pseud. III, 2: « Orcus hunc recipere ad se noluit ». GRONOV. — Aliquid simile,

MEL. Quid tibi 'st? SIL. Alcesimarchum non vides ferrum tenentem?
ALCES. Ecquid agis? remorare? lumen linque. SIL. Amabo, adcurrite,
Ne se interimat. ALCES. O Salute mea salus salubrior,
Tu nunc, si ego volo seu nolo, sola me ut vivam facis.
MEL. Hau! voluisti istuc severum facere? ALCES. Nihil mecum tibi,
Mortuus tibi sum: hanc ut habeo, certum 'st non amittere.
Nam, hercle, jam ad me adglutinandam totam decretum est dare.
Ubi estis, servi? obcludite ædes pessulis, repagulis,
Ubi hanc ego tetulero intra limen. MEL. Abiit, abstulit
Mulierem: ibo persequar jam illum intro, ut hæc ex me sciat
Eadem, si possum tranquillum facere ex irato mihi.

(abit, et Halisca in hoc tumultu heram subsequens jacit imprudens cistellam.)

quamvis seutentia longe differat, grandis orator in funebri laudatione dixit : *Madame fut douce envers la mort*. N.

12. *Remorare?* Ita se increpat cessantem adolescens. Sic Europa apud Horat. III, od. 27: « Impudens orcom moror ». LAMB.—*Lumen linque*. In hoc culpant Sarsinatem, quod e comico in tragicum transcenderit, inducto furibundo juvene, qui ferro pæne perfodiat latos. At bono sint animo beoigni homines. Propius a ridiculo quam a cruentandi prosceoii fœditate Alcesimarchum constituit, quum fecerit deliberantem utrum a dextra an ab læva se feriat. N.

15. *Hau! voluisti istuc severum*. Pro « te interimere »: κατ' εὐφημισμόν. Nonius ducet *severum* significare aliquando sævum, triste, horrendom; adduceos Virgilii locum, Georg. III, « Invidia infelix furias, amnemque severum Cocyti metuet ». LAMB.

16. *Ut*, quia, quando. *Amittere*. Cf. II, 3, 81. N.

17. *Adglutinandam*. Nam deliberatum est mihi eam dare totam ad me agglutinandam, hoc est, eam totam ad me agglutinare. LAMB. — *Dare*, pro reddere, efficere, accipitur. Cf. Epid. IV, 1, 17; Asin. V, 1, 21. N.

18. *Ubi estis*, i.e. propere venite. Cf. Aul. II, 3, 2. N.

21. *Tranquillum facere*, placare. Cf. Capt. IV, 2, 85. N.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

LAMPADISCUS, PHANOSTRATA.

LAMP. NULLAM ego me vidisse credo magis anum excruciabilem
Quam illæc est : quæ dudum fassa est mihi, quæne infitias eat !
Sed, eccam, heram video. Sed quid hoc est, hæc quod cistella heic jacet
Cum crepundiis ? nec quemquam conspicor alium in via?
Faciundum 'st puerile opficium, conquiniscam ad cistulam.
PHAN. Quid agis, Lampadio? LAMP. Hæc cistella numnam hinc ab nobis domo 'st? 6
Nam hinc ab ostio jacentem sustuli. PHAN. Quid nuncias

2. *Quæne*, i. q. quæ. Enclitica sæpe relativo additur ex abundanti. Horat. « O seri studiorum, quiue putatis, etc. » Catull. LXIV, 183 : « quine fugit leutos, etc. » Hic ordo est : quæne inficietur, quod fassa est. N.

5. *Conquiniscam*. Hoc solenne est Plauto, ut allusiones ad turpia et obscœna ubique aucupetur et omni occasione eas usurpet. Servus quum in via offendisset cistulam jacentem cum crepundiis, et inclinare se vellet ad eam tollendam, obscœna significatione eam rem expressit. Dicit ergo se « puerile officium facturum », inclinando nimirum se, et conquiniscendo ad cistulam, ut eam ex humo tolleret. *Puerile* autem *officium* in re turpi dicitur, quia pueri qui morigeri amantibus suis erant, et posticas illis partes præbebant, sit venia dicto, in faciem se inclinabant, quod et *cevere* dicebant, hoc est, κύπτειν. Pudet plura verba perdere in re adeo impudica. SALM.

6. *Quid agis?* Non interrogat de cistula, quippe quam non viderit ab eo tolli. Sed formula compellandi solenni utitur. Cf. quæ ad Aul. I, 2, 39 diximus. N.

Super anu? LAMP. Scelestiorem in terra nullam esse alteram.
Omnia infitias ire ea, quæ dudum confessa 'st mihi.
Nam, hercle, ego illam anum inridere me ut sinam? satius est mihi
Quovis exitio interire. PHAN. (aspiciens crepundia.) Di, obsecro vostram fidem!
LAMP. Quid deos obsecras? PHAN. Servate nos. LAMP. Quid est? PHAN. Crepundia
Hæc sunt, quibuscum tu extulisti nostram filiolam ad necem.
LAMP. Sanan' es? PHAN. Hæc sunt profecto. LAMP. Pergin'? PHAN. Hæc sunt. LAMP. Si mihi
Alia mulier istoc pacto dicat, dicam esse ebriam.
PHAN. Non, ecastor, cassa memoro: nam, obsecro, unde hæc gentium?
Aut quis Deus objecit hanc ante ostium nostrum? quasi
Dedita opera in tempore ipso Spes mihi sancta subvenit.

SCENA SECUNDA.

HALISCA, LAMPADISCUS, PHANOSTRATA.

Nisi quid mihi opis
Di dant, disperii, neque unde auxilium expetam habeo.
Itaque petulantia mea me animi miseram habet,

10. *Nam*, disjunctiva. Cf. Cas. II, 2, 9. *Ut sinam*. Cf. Asin. V, 2, 34. *Satius est*, etc. Cf. Aulul. IV, 5, 1. N.

14. *Pergin'?* hoc asseveras? N.

16. *Cassa memoro*, vana dico. Cf. Rud. V, 2, 37. — *Nam*. Vid. va. 10. *Unde hæc gentium?* unde gentium hæc cistella obvia fit? N.

18. *Dedita opera*, de industria. LAMB. — *Ipso*, opportune. — *Spes*. *Spem* a Collatino Romæ fuisse consecratam testatur Cic. II de Legib. LAMB.

3. *Petulantia*, nimia festinatio, temeritas. — *Animi mis*. Græcanica ellipsi τοῦ ἕνεκα, id est, *causa* vel *gratia*, ut amant dicere Latini. Sic Terent. Eunuch. II, 2: «Ut falsus animi est». «Lassus animi», Cist. II, 1, 8. «Æger animi», Liv. et sexcenta alia. GRON. *

Quæ in tergum meum ne veniat, male formido,
Si hera mea sciat, tam socordem esse, quam sum.
Quamne in manibus tenui atque adcepi heic ante ædeis
Cistellam, ubi ea sit, nescio : nisi, ut opinor,
Loca hæc circiter excidit mihi : mi homines,
Mi spectatores, facite indicium, si quis
Vidit, si quis eam abstulerit, quisve
Sustulerit, et utrum hac an illac iter institerit.
Non sum scitior, quæ hos rogem, aut quæ fatigem,
Qui semper malo muliebri sunt lubenteis.
Nunc vestigia heic si qua sunt, gnoscitabo.
Nam si nemo hac præteriit, postquam intro abii,
Cistella heic jaceret. Quid, heic? periit opinor.
Actum 'st; ilicet; me infelicem et scelestam.
Nulla 'st, neque ego sum usquam : perdita perdidit me.
Sed pergam, ut cœpi, tamen, quæritabo.
Nam et intus paveo, et foris formido : ita nunc
Utrobique me metus agitat : illo sunt homines misere

4. *Quæ in tergum meum*, etc. Quæ petulantia valde metuo ne in tergum meum recidat. Lamb.

6. *Quamne*. Vid. sup. IV, 1, 2. N.

7. *Nisi*. Sup. I, 1, 5. N.

10. *Quisve*, aut si quis. N.

12. *Non sum*, etc. Lambinus accipit εἰρωνικῶς, aut rescribit *inscitior*; ut scitior sumatur pro scita; inscitior, pro inscita. Ego simplicissimo sensu accipio *scitior* pro certior, a *scio*, sed tollo interrogationem : quasi dicat Halisca : numquam ego ab his certior fiam, quis cistulam abstulerit, quia semper sexus virilis lætatur muliebri incommodo. Dissald. — Non spernenda quidem conjectura, qua tamen Lambini interpretatio melior videtur, Plauto adstipulante, qui sexcenties *scitus*, *inscitus*, sensu illo usurpavit.

13. *Lubenteis*, gaudentes. Asin. II, 2, 2. N.

15. *Postquam*, ex quo. N.

16. *Quid, heic?* an heic est? *Periit*, perdita est. Cf. Capt. III, 4, 5. N.

17. *Ilicet*, rem transactam significat. Cf. Amph. I, 1, 182. Locutio de consessu judicii dimittendo more desumpta. *Scelestam*. Cf. Asin. V, 2, 6. N.

18. *Nulla 'st*, nusquam compareret. *Neque ego sum usq.* nulla sum, perii. N.

20. *Intus...foris*, i. e. quoquo me vertam, timeo. Intus a domo, ubi me manent flagra, foris, ubi non invenio cistellam. N.

21. *Illo* metu. Lamb.

Miseri. Ille nunc lætus est, quisquis est, qui illam habet,
Quæ neque illa illi quidquam usui 'st, mihi esse potest.
Sed memet moror, quom hoc ago secius.
Halisca, hoc age, ad terram adspice, et dispice :
Oculis investigans astute augura. LAMP. Hera.
PHAN. Hem, quid est? LAMP. Hæc est. PHAN. Quis? LAMP.
Quoi hæc excidit cistella :
Certe eccum locum signat, ubi ea excidit. PHAN. Adparet.
HAL. Sed is hac iit; hac socci video vestigium
In pulvere; persequar hac... in hoc jam loco cum altero
Constitit... heic meis turbo oculis modo se objecit :
Neque prorsum iniit hac... heic stetit; hinc illuc exiit, heic
Concilium fuit : ad duos adtinet! hi qui sunt?
Atat, singulum video vestigium : sed is hac abiit.
Contemplabor : hinc huc iit... hinc nusquam abiit.
Actam rem ago : quod periit, periit : meum corium
Cum cistella : redeo intro. PHAN. Mulier, mane : sunt
Qui volunt te conventam. HAL. Quis me revocat?
LAMP. Bona femina et malus masculus volunt te.

26. *Astute*, solerter, scite. N. — *Augura*, conjice ex observatis signis, ut augures. N.

27. *Quis?* Sup. II, 3, 66. N.

28. *Adparet*, manifestum hoc est. N.

29. *Sed is hac*, etc. Hinc ad v. 35, oratio pergit Haliscæ, quæ tota est in quæritando neque supervenientes audiit. Verissima sane effictio trepidantis hinc illinc vestigia deprendere. N. — *Socci*. Soccis enim utebantur comici actores. LAMB.

31. *Turbo*. Turbo in arena inde est, quod neque prorsus hac iit; et mox stetit, mox exiit. Hæc autem omnia sunt gestus atque actionis. PISTOR.

33. *Concilium fuit*. Congressus plurium. PISTOR.

34. *Singulum*. An pro *singulorum*? Nam negat Lamb. cum Prisc. *singulum* numero singulari usurpatum antiquitus. Scriptum igitur oportuit *vestigia*. Sed retinenda vulgata lectio, eo sensu « unius vestigium ». Quid? Licet pronuntiare antiqua illa ætate aliquid nunquam usurpatum, cujus scripta fere omnia perierint? N.

36. *Actam rem ago*. Id est, incassum laboro. V. N. Epid. act. V, sc. 2. Terent. Adelph. act. III, sc. 2, *actum est*, ad quod Donat. « Verba sunt desperationis. Nam actum est, dicitur in ea re, de qua jam lata sit sententia ». GRONOV. — *Periit*. Sup. 16. Forsan hæc fuit oratio : actam rem ago, quæ periit; periit meum e. c. c. N.

39. *Bona*, honesta. — *Et malus*

HAL. Malum aufer, bonum mihi opus est : postremo, ille
Plus, qui vocat, scit quod velit, quam ego quæ vocor; revortor.
Ecquem vidisti quærere heic, amabo, in hac regione
Cistellam cum crepundiis, quam ego heic amisi misera?
Nam dudum ut adcurrimus ad Alcesimarchum, ne suam vitam
Interimeret, tum mihi puto præ timore heic excidisse
Cistellam. LAMP. Hæc, mulier, nostra est. Quin operam damus, hera, parumper.
HAL. Disperii misera! quid ego meæ heræ dicam? quæ me opere tanto
Servare jussit, quî suos Silenium parenteis
Facilius posset gnoscere, quæ heræ meæ subposita 'st parva:
Quam quædam meretrix ei dedit. LAMP. Nostram hæc rem fabulatur.
Hanc scire oportet filia tua ubi sit, signa ut dicit.
HAL. Nunc eam volt suæ matri et patri, quibus gnata est, reddere ultro.
Mi homo, obsecro, alias res geris, ego tibi meas res mando.

masc. Lusus in sermone comico tritissimus, at parum et rei seriæ et personæ de se loquenti commodus. N.

40. *Postremo*, etc. Pergebat abire omen malum refutando; locutione *aufer* usitata, quum quis aliquid se nolle significat. Conf. Aulul. IV, 4, 11; Capt. V, 2, 11; sed subito venit in mentem eos, qui vocant, scire posse, quod ipsa cupiat audire; ergo revertitur. N.

42. *Quærere.* Douza vult subesse huic verbo notionem acquirendi, hoc exemplo Ennii : « nautisque mari quærentibu' vitam ». Sed et hoc Ennii loco dominantem sensum vox non amisit. Et in hac scena non possit ex prioribus alio diverti. N.

44. *Dudum ut*, quum nuper. N.

46. *Quin operam*, etc. Audiamus parumper illam. Conf. sup. I, 3, 6. N.

48. *Quî*, ex qua. Conf. Bacch. II, 3, 101. N.

51. *Oportet.* Conf. Cas. II, 6, 40. — *Ut signa dicit.* Conjicere licet ex iis quæ narrat rei argumenta. N.

53. *Mi homo, alias res geris.* Non me audis. Scilicet dum Halisca hæc edissereret, Lampadio cum hera pergebat confabulari. N.

LAMP. Istuc ago, atque istuc mihi cibus est, quod fabulare:
Sed inter rem agendam istam heræ huic respondi, quod rogabat.
Nunc ad te redeo, si quid est opus, dic, inpera et tu.
Quid quæritabas? HAL. Mi homo, et mea mulier, vos saluto.
PHAN. Et nos te: sed quid quæritas? HAL. Vestigium heic requiro,
Qua abfugit quædam nescio quo mihi. PHAN. Quid id? quid id nam est?
HAL. Alienum quod damnum adferat, et mœrorem familiarem.
LAMP. Mala merx, hera, hæc et callida 'st. PHAN. Ecastor, ita videtur.
LAMP. Imitatur nequam bestiam et damnificam. PHAN. Quamnam, amabo?
LAMP. Involvolum, quæ in pampini folio intorta inplicat se:
Itidem hæc exorditur sibi intortam orationem.
Quid quæritas? HAL. Cistella mihi heic, mi adulescens, evolavit.

54. *Istuc ago*, tibi do operam. — *Cibus est quod fabulare*. Attente audio. Sic Aulul. III, 6, 1, « nimium lubenter edi sermonem tuum ». N.

55. *Inter rem agendam*. Sed quum te audio, simul heræ respondi, quæ hæc est. N.

56. *Si quid est opus, dic, inpera et tu*. Elegans genus dicendi observa, quo jubent « imperari sibi », qui promptos et paratos se ad beneficium dandum ostendunt. Aul. « dic si quid opus est, inpera ». Et superius: « da mihi operam. ME. Tua est. Utere, atque inpera, si quid vis ». Illa autem, « si quid est opus », solemnis formula eorum est, qui se paratos promptosque ad omnia alterius causa facienda significant. Cicer. ad Attic. XIII, 49. J. GUL.

57. *Vos saluto*. Vitat plano et simplici responso, ne ipsa indicium furandæ cistellæ faciat, si forte in fureum inciderit. Vide et vss. 59 et 60. At cavillatio nunc præpostera, quum quid rei sit jam vs. 42 fassa jam sit. Risus movendi quam servandæ veritatis Plautus hic studiosior. N.

60. *Alienum quod*, etc. Quod afferat damnum alienis nobis, quippe plectamur, et mœrorem familiæ, parentibus puellæ. LAMB.

61. *Mala merx*. Cf. Cas. III, 6, 22. N.

LAMP. In caveam latam oportuit. HAL. Non, edepol, præda magna.

LAMP. Mirum, quin grex venalium in cistella infuerit una.

PHAN. Sine dicat. LAMP. Si dicat quidem. PHAN. Age, loquere tu, quid ibi infuerit.

HAL. Crepundia una. LAMP. Est quidam homo, qui illam ait se scire ubi sit.

HAL. At, pol, ille a quadam muliere, si eam monstret, gratiam ineat.

LAMP. At sibi ille quidam volt dari mercedem. HAL. At, pol, illa quædam,

Quæ illam cistellam perdidit, quoidam negat esse, quod det.

LAMP. At enim ille quidam argentum expetit. HAL, At nequidquam argeutum expetit.

LAMP. At, pol, ille quidam, mulier, in nulla opera gratuita 'st.

PHAN. Conmoda loquelam tuam; tibi nunc proderit; confitemur

Cistellam habere. HAL. At vos Salus servassit : ubi ea nunc est?

PHAN. Salvam eccam : sed ego rem meam magnam confabulari

---

66. *In caveam latam*. Jocatur autem servus; si volucris erat cistella, illam in caveam oportuit conclusam, ne evolaret. Similem jocum vide si placet, Capt. I, 2, 15. LAMB. — *In caveam*. Cf. Capt. IV, 2, 25. — *Latam*, i. q. ferri. Sup. II, 3, 41. N.

67. *Mirum, quin*. Cf. Aul. I, 2, 7. Ironia eludentis mulierem, quæ dixit in cistula prædam non esse magnam. N. — *Grex venalium*. Scil. servorum. Horat. I, Sat. 2, *Venaleis inter*. Cicer. post Red. in Senat. «Cappadocem aliquem modo abreptum de grege venalium diceres».

68. *Si dicat quidem*, modo velit plane loqui. N.

69. *Una*. Lambinus vult adverbialiter hoc accipi. Alii, quibus assentior, in modum nominis, id est, sola neque quidquam amplius. Sic Trin. I, 2, 129, «unos sex dies». N.

74. *In nulla* negotia. Malim *nullo* neutraliter, sicut apud Horatium, «nullius avaris». *Opera*, i. e. serviens, ut et idem Horat. «accedes opera agro nona Sabino», Sat. I, 7, 119. Sententia : in nullam rem se præbet procuratorem gratuitum. N.

75. *Conmoda loq. t.* Mihi loquere. Hæc ad Haliscam. N.

Tecum volo : sociam te mihi adopto ad meam salutem.
HAL. Quid istuc negoti'st? aut quis es? PHAN. Ego sum illius mater,
Quæ hæc gestitavit. HAL. Heiccine tu ergo habitas? PHAN. Ariolare.
Sed, quæso, ambages, mulier, mitte, atque hoc age,
Eloquere, unde hæc sunt tibi, cito, crepundia.
HAL. Mea hæc herilis gestitavit filia.
LAMP. Mentiris : nam mea gestitavit, non tua.
PHAN. Ne obloquere. LAMP. Taceo. PHAN. Mulier, perge dicere.
Ubi ea 'st, quæ gestitavit? HAL. Heic in proxumo.
PHAN. Isteic quidem, edepol, mei viri habitat gener.
LAMP. Næ. PHAN. Obloquere rursum? Perge porro dicere.
Quot annos gnata dicitur? HAL. Septem et decem.
PHAN. Mea'st. LAMP. Ea'st, ut numerus annorum adtulit.
PHAN. Quod quæritabam, filiam inveni meam.
HAL. Quod quærebas, reperisti : jam quæro meam.

79. *Quis*, sup. II, 3, 66. N.

80. *Ariolare*, gallice, *tu devines*. Cf. Asin. III, 2, 33. N.

81. *Hoc age*. Sup. I, 1, 84. N.

83. *Mea herilis filia*. Filia heræ meæ. Sic Ter. Phorm. I, 1, 5, « nam herilem filium ejus (Getæ), etc. » N.

85. *Ne obloquere*, i. e. ne loquentem interrumpe. Cf. Curcul. I, 1, 41 ; Menæchm. I, 2, 46. N.

87. *Habitat viri gener*. Hic tres istos versic. e Prisc. lib. IV, adjunxit Lambin. « LA. Adhinnire equulam possim ego hanc, Si detur sola soli. Nam ita mustulentus astus nareis attigit ». Quibus hæc addo ex eodem : « HA. Me respondere postulas? injurium est; stipulari semper Me ultro oportet a viris, eum quæstum facio ». Ait Halisca injuriam sibi fieri a Lampadisco, quod prior eam sollicitaverat, quæ ultro soleat rogare viros, atque inde quæstum facere. Decet hæc oratio meretriciam ancillam. DISSALD.

88. *Obloquere*, pro *obloqueris*, indignantis est. Hæc ad Lampadionem; sequentia ad Haliscam. N.

90. *Adtulit*. Ut numerus annorum convenit : et quia convenit, videtur tuam quodammodo filiam attulisse. LAMB. — An simpliciter *adtulit* i. q. se tulit? N.

91. *Reperisti*. Scil. filiam tuam.— *Meam*. Scilic. cistellam ; sed nomen reticet, ut ludat ambiguo puellane sit an cistella. Qui lusus a Lampadione vs. seq. occupatur, argutias magis captanti quam ut cavillandi quemquam locum prætereat. Similis

LAMP. At, pol, hæ suas nanctæ sunt, quæro tertiam.
HAL. Æquom 'st tenere, per fidem quod creditum 'st,
Ne bene merenti sit malo benignitas.
Nostra hæc alumna 'st tua profecto filia;
Et redditura hera 'st tibi tuam: et ea gratia
Domo profecta 'st: ceterum ex ipsa, obsecro,
Exquiritote; ego serva sum. PHAN. Æquom postulas.
HAL. Illius ego istanc esse malo gratiam.
Sed istanc cistellam te obsecro ut reddas mihi.
PHAN. Quid fit Lampadio? LAMP. Quod tuum 'st, teneas tuum.
PHAN. At me hujus miseret. LAMP. Sic faciundum censeo.
Da isti cistellam, et intro abi cum istac simul.
PHAN. Tibi auscultabo: tene tu cistellam tibi.
Abeamus intro: sed quod nomen est tuæ
Dominæ? HAL. Melænis. PHAN. I, i præ, jam ego te sequar.
(intrat domum Alcesimachi.)

fit ambignitas in voce *mea*, Aul. IV, 10. Sed inter utramque quantum distat! Hic affectata scurrilitas, illic e re natus lepos comicus. N.

93. *Nanctæ sunt.* Hoc parum convenire videtur cum iis quæ Halisca dixit « quæro meam »; convenit tamen. Nam reperta est cistella, ubi sit, vide v. 75, sed nondum hanc babet Halisea, et nunc requirit, et reposcet iterum vs. 101. Sensus: « hæ mulieres suas, altera filiam, altera cistellam repererunt; ego tertiam, quæ mea sit, invenire velim ». Sic pergit ambiguo ludere. N.

94. *Æquom'st*, etc. Vox *tenere* abest MSS, quam Camerarius complendi versus gratia inseruit. Si divinandum est, malim *habere*, eo sensu: æquum est te, quod tibi declaravi fidei tuæ me committeus, arcanum illud babere ita, ut benignitas mihi bene de te merenti non sit malo, quod nempe daret hera, si resciret. At banc sententiam forma generalitatis protulit. N.

97. *Ea gratia*, ob id. N.

99. *Serva sum;* itaque nolo videri indicium fecisse adversus heram, unde malum metuo. Hoc cum vss. 94, 95, 100 consentit. N.

100. *Illius ego*, etc. Malo gratiam quam ob monstratam et redditam filiam habebis, illi acquiri, quam si indicio eam eogerem, ut fateretur. N.

102. *Quid fit?* i. q. quid fieri debet? N.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

DEMIPHO, LAMPADIO.

DEM. Quid hoc negoti'st, quod omneis homines fabulantur per vias,
Mihi esse filiam inventam? et Lampadionem me in foro
Quæsivisse aiunt. LAMP. Here, unde is? DEM. Ex senatu. LAMP. Gaudeo
Tibi mea opera liberorum esse amplius. DEM. Et enim non placet.
Nil moror aliena mihi opera fieri plureis liberos.
Sed quid istuc est? LAMP. Propera ire intro huc ad adfinem tuum;
Filiam tuam jam congnosces: intus ibidem uxor tua 'st.
Abi cito. DEM. Prævorti hoc certum'st rebus aliis omnibus.

5. *Nil moror*. Cf. Capt. III, 1, 11.
3. *Unde is?* formula benigne adeundi, quasi sit: « quomodo te habes? » Ita *ubi es* de aliquo anquiritur. Conf. Bacchid. II, 3, 12. N.
6. *Adfinem*, generum. N.
8. *Prævorti*. Cf. Capt. II, 3, 100; Bacch. III, 5, 1. N.

CATERVA.

Ne exspectetis, spectatores, dum illi huc ad vos exeant;
Nemo exibit; omneis intus conficient negotium.
Ubi id erit factum, ornamenta ponent: postidea loci,
Qui deliquit, vapulabit; qui non deliquit, bibet.
Nunc quod ad vos spectatores, reliquom relinquitur,
More majorum date plausum postrema in comœdia.

1. *Ne exspectetis*, etc. Ter. Andr. in fine: « ne exspectetis dum exeant huc; intus despondebitur; Intus transigetur, si quid est quod restet. Plaudite ». N.

3. *Ornamenta.* Conf. Amph. prol. 116. *Postidea loci.* Locus ad tempus refertur. Sic « adhuc locorum » Capt. II, 3, 25, « post id locorum » Casin. I, 1, 32. N.

4. *Qui deliquit, vapul.* Histriones fere omnes servi conductitii; qui si exsibilarentur, quæstus dominis peribat: inde malum delinquentibus. Cf. Asin. prol. 3. Eros ille, de quo Cicero in orat. pro Roscio agit, non sine ulmorum admonitione ex inepto optimus, opinor, evaserat. N.

6. *Postrema.* In extremo comœdiæ. Ita Manil. lib. IV, « Ultimus ex solido tetrans », id est, ultima pars tetrantis, etc. quomodo JCtus « primum, secundum edictum », hoc est, primam secundam partem edicti. Sic Terent. Adelph. prol. « primam Fabulam » pro principio Fabulæ dixit: Catullus « primum digitum », et Propertius, lib. II, 18, « primas palmas », pro primoribus digitis. Scalig.



M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

CURCULIO

DRAMATIS PERSONAE.

PALINURUS, servus Phædromi.
PHÆDROMUS, adolescens, amator Planesii.
LENA, ancilla Cappadocis.
PLANESIUM [1], virgo, amatrix Phædromi.
CAPPADOX, leno.
COQUUS.
CURCULIO [2], parasitus Phædromi.
LYCO [3], trapezita.
CHORAGUS.
THERAPONTIGONUS, miles, amator Planesii.

1. *Planesium*, a græco πλάνη, error. N.
2. *Curculio*. Cf. IV, 4, 30. N.
3. *Lyco*. Argentarii omnes avari, imo rapaces, λύκοι ὥς. N.

RES AGITUR EPIDAURI.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*C*URCULIO missu Phædromid it Cariam,
*U*t petat argentum : ibi ille eludit anulo
*R*ivalem : scribit atque obsignat literas.
*C*ongnoscit signum Lyco, ubi vidit, militis :
*U*t amicam mittat, pretium lenoni dedit.
*L*yconem miles ac lenonem in jus rapit.
*I*psus sororem, quam peribat, reperit :
*O*ratu quojus Phædromo nubtum locat.

1. *Cariam.* Hæc Caria quæ sit, aut ubi terrarum sita, quærendum, quo ille undeque redire potuerit quatriduo. Sic enim ait adulescens : « Misi nudius quartus Cariam parasitum petere argentum. Is hodie heic aderit ». Nam in Cariam Epidauro navi veniendum fuit, neque tam brevis trajectus esse potuit. CAM.

2. *El. anulo,* per furtum spoliat.

3. *Rivalem*, militem Therapontigonum. *Scribit*, etc. Postquam reversus Epidaurum ad Phædromum. N.

5. *Ut amicam*, etc. Creditam a milite pecuniam solvit lenoni, deceptus falsis literis, et amica militis mittitur in libertatem a lenone, sed traditur Phædromi parasito. N.

6. *Quam peribat* i. q. deperibat. Casin. I, 1, 19. Conf. Trucul. Arg. vs. 1. N.

8. *Or. quojus,* quum ipsa postulet.

ALIUD ARGUMENTUM
CAMERARII.

Hujus comœdiæ argumentum est tenue ac simplex, in sola parasiti fraude fortuita paulo plenius. Nam introducitur adolescens amans puellam a lenone avaro, quam ille quidem redimeret, nisi pecunia deesset. Hanc in Caria se posse mutuo sumere sperans, mittit illo parasitum suum, qui petat. Is pecuniam quidem, quam mutuo accipiat, reperit nullam : sed annulum in potu suffuratur militis, a quo fuerat ad cœnam invitatus. Atque ut de eodem cognoverat, quod emisset puellam a lenone, et pecuniam sitam esse apud trapezitam, consignat annulo militis literas, easque trapezitæ reddit, atque opera hujus, mulierem abducit, tanquam a milite missus. Venit postea miles, et se circumventum, inque ira et indignatione mulierem illam sororem esse suam cognoscit. Itaque petenti hæc datur Phædromo; et a lenone xxx minæ exiguntur. Res geritur Epidauri.

M. ACCII PLAUTI
SARSINATIS UMBRI
CURCULIO.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

PALINURUS, PHÆDROMUS.

PALIN. Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras
Cum istoc ornatu, cumque hac pompa, Phædrome?

1. *Quo te*, etc. Hæc una est e paucis quæ apud Plautum prologo carent fabulæ. Prologum quidem periisse quam nullum ab auctore datum opinor; quippe quum mos esset, ut hac prima dictione, nisi exponeretur argumentum, at spectantium gratia captaretur, ut fieri solet in Terentianis, ut fit in Asinaria. Inde quatuor prologi species Donatus, ut erat grammaticorum doctrina, fecit. « Συστατικὸς, commendatitius, quo fabula vel poeta commendatur; ἀναφορικὸς, relativus, quo aut adversario maledicta aut gratiæ populo referuntur; ὑποθετικὸς, argumentativus, fabulæ argumentum exponens; μικτὸς, mixtus, omnia hæc in se continens ». Cur autem hic prologus perierit, facile reperias. Etenim quum res quæ agetur primo diverbio satis prænoscatur, Plautus præfationem tantum gratiosam quæ non necessario vinculo cum fabula cohæreret, ediderat; quam postea histriones, Curculione in scenas relata, ipsi mutaverunt sic elapsam e librariorum scriniis. Quin immo vel enarrativos prologos ut comminisci subdititios confisi sint Casina ostendit. N.

2. *Ornatu*. Cum cereo funali in manu, et cetero instrumento amatorum proprio. LAMB. — *Cumque hac pompa*. Cum aliis servis, qui vinum et jentaculum Veneris gerunt. LAMB. — Conf. Bacch. I, 2, 6.

PHÆDR. Quo Venus Cupidoque inperat, suadetque amor.
Si media nox est, sive est prima vespera,
Si statu' condictus cum hoste intercedit dies,
Tamen est eundum, quo inperant, ingratiis.
PALIN. At tandem tandem. PHÆDR. Tandem es odiosus mihi.
PALIN. Istuc quidem nec bellum'st, nec memorabile :
Tute tibi puer es lautus, luces cereum.
PHÆDR. Egon' apicularum opera congestum non feram,
Ex dulci oriundum, melliculo dulci meo?
PALIN. Nam quo te dicam ego ire? PHÆDR. Si tu me roges,
Dicam, ut scias. PALIN. Si rogitem, quid respondeas?
PHÆDR. Hoc Æsculapi fanum'st. PALIN. Plus jam anno scio.
PHÆDR. Huic proxumum illud ostium obclusissumum.
Salve, valuistin' usque, ostium obclusissumum?

4, 5. *Si media. . . si statu'*. Seu media nocte, seu vespere, eundum est, quum condictus dies adest, in negotiis civilibus; sic vadimonio Veneris Phædromus obsequitur. Cf. Bacch. II, 2, 3, hac ipsa fabul. I, 3, 5. N. — *Status*. « Status dies vocatur, qui judicii causa est constitutus cum hoste, id est, peregrino. Ejus enim generis ab antiquis Hostes appellabantur; quod erant pari jure cum populo romano : atque hostire ponebatur pro æquare ». FESTUS. — *Condictus*. « Condicere, inquiunt JC. denunciare est prisca lingua ». LAMB. — Vide de hac formula Gronov. Not. ad Senecam de Tranquill. Anim. lib. II, et plura de τῷ *condicere* Observ. I, I. GRON.

9. *Tute tibi puer es*. Sensus : tu ipse, more servili, tibi facem gestas. Puerorum sive servulorum erat officium dominis a cœna vel balneo redeuntibus facem præferre. Simili sententia Martial. XIV, 64 : « Defuerit si forte puer, soleasque libebit Sumere, pro puero pes erit ipse tibi ». *Luces cereum*, id est, præfers tibi facem. Casin. I, 1, 30. GRON. — Distinguendo hoc loco variant, alii inciso post *puer es* posito, alii post *lautus*, quod placet. Et aliud quoque ac servile cerei præferendi officium Phædromo ambiguitate joci exprobrari suspicor, quod pueri lauti, id est, nitidi et elegantis, notioni convenit, et emphasi prioris versus præmonstratur. N.

11. *Melliculo*. Planesio, amoribus meis. DOUZA. — Conf. Asin. III, 3, 24; Casin. IV, 4, 14. N.

16. *Salve: valuistin' usque, ostium*. Erat hæc consuetudo interrogandi eos, quos ex intervallo videbant : non, ut ita simpliciter dicerent, *Valuistine?* sed hoc modo : *Valuistin' usque?* aut *perpetuone valuisti?* MURET. — Conf. Tibull. I, 2, 7. Catull. Carm. LXVII, alloquentes dominæ januam. Inde Lucretius, IV,

PALIN. Caruitne febris te heri, vel nudius tertius?
Et heri cœnavistine? PHÆDR. Deridesne me?
PALIN. Quid tu ergo, insane, rogitas, valeatne ostium?
PHÆDR. Bellissumum, hercle, vidi et taciturnissumum.
Nunquam ullum verbum mutit : quom aperitur, tacet;
Quomque illa noctu clanculum ad me exit, tacet.
PALIN. Numquid tu, quod te aut genere indignum sit tuo,
Facis, aut inceptas facinus facere, Phædrome?
Num tu pudicæ quoipiam insidias locas?
Aut quam pudicam oportet esse? PHÆDR. Nemini.
Nec me ille sirit Jupiter. PALIN. Ego item volo.
Ita tuum conferto amare semper, si sapis,
Ne id quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.
Semper curato ne sis intestabilis:
Quod amas, amato testibus præsentibus.
PHÆDR. Quid istuc est verbi? PALIN. Caute ut incedas via.

1173 : « At lacrumaus exclusus amator limiua sæpe Floribus et sertis operit, postesque superbos Uugit amaracino et foribus miser oscula figit ». N.

17. *Caruitne,* inversa oratio, pro « caruistin' feb. » Quoniam homiues ex febre sut ex longo jejunio delirare iuterdum, et mentis errore adfici solent, idcirco interrogat herum servus, carueritue febre proximnm biduum, et num vespere cœnaverit? Videbatur enim ei delirare, qui talibus verbis ostio blandiretur. MURET. — An potius januam et ipse alloquitur ridicule coutinuata heri compellatione? Quod magis comicum videtur et magis cousentaneum sequeutibus, « deridesue me? » N.

20. *Taciturnissumum.* Votum amatorum, qui difficiles sectantur Veneres, ut jauuæ siue stridore pateant. LAMB.

22. *Illa*, quam amantes intelliguut inuominatam. N.

25, 26. *Pudicæ... Aut quàm p. op. e.* Sc. virgiui, vel uuptæ, vel viduæ. Vide iuf. 37. N.

27. *Volo*, cupio, opto. Cf. Mercat. II, 3, 34; Trin. II, 4, 175. N.

28. *Tuum amare.* Cf. Bacch. I, 2, 50. N.

29. *Populus*, i. q. sermone receutiorum *le public*, *le monde*. Cf. Casiu. prol. 11. N.

30. *Intestabilis.* Ne sis infamiæ nota iuustus, neque amittas testimonii dicendi potestatem. LAMB. — Hoc vers. et sequente, ridiculum iu modum verbis ambiguis adolescentem quoque mouèt, ut caveat a periculo, quod mœchi adibant. Cf. Mil. glor. V, 1, 33. N.

PHÆDR. Quin leno heic habitat. PALIN. Nemo hinc prohibet nec vetat,
Quin, quod palam 'st venale, si argentum 'st, emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet via,
Dum ne per fundum septum facias semitam;
Dum tete abstineas nubta, vidua, virgine,
Juventute, et pueris liberis; ama quid lubet.
PHÆDR. Lenonis hæ sunt ædeis. PALIN. Male istis eveniat.
PHÆDR. Quî? PALIN. Quia scelestam servitutem serviunt.
PHÆDR. Obloquere. PALIN. Fiat maxume. PHÆDR. Etiam taces?
PALIN. Nempe obloqui me jusseras. PHÆDR. At nunc veto.
Sed ita uti obcœpi dicere; ei ancillula 'st.
PALIN. Nempe huic lenoni, qui heic habitat? PHÆDR. Recte tenes.
PALIN. Minus formidabo ne excidat. PHÆDR. Odiosus es.
Eam volt meretricem facere: ea me deperit.
Ego autem cum illa facere nolo mutuum.

33. *Quin*, conjunctio, qua monitis Palinuri prævortisse se adolescens significat. Immo certe tuta via incedo, quia quam leno detinet, persequor. N.

36. *Fundum septum*. Agricolationis vocabula ad rem voluptatum crebro translata, dictum Asin. V, 2. TAUBM.

37. *Dum tete*, etc. Illud haud longe absimilis sententiæ diæ Catonis. Melior morum disciplina apud novæ legis homines. N.

40. *Servitutem serviunt*. Cf. Asin. II, 3, 6. N.

41. *Obloquere*. Ambiguum. Phædromus accipit ut indicativum, pro *obloqueris*: servus ut imperativum, quasi obloqui jubeatur. LAMB. — Conf. Cistellar. IV, 2, 85, 88. *Etiam taces?* Cf. Cas. III, 6, 8. N.

43. *Sed ita uti obc. dic.* Resumendæ narrationis sermo. Gallice, *comme je te disais*. N.

45. *Minus f. n. e.* Scurrilitas ludentis in ambiguitate vocis *tenere*, quæ mente Phædromi valet *scire*. Cf. Captiv. III, 5, 39. — *Odiosus*. Cf. Aulul. II, 1, 4. N.

46. *Meretricem facere*. Vid. Cist. I, 1, 79-86. N.

47. *Ego autem*, etc. Ludit ambigue, nam longe aliter loqui videtur atque sentit, et vers. seq. edisseret. Prima specie existimes eum nolle mutuo amori indulgere; sed te mox docebit se amore nunquam desituro devinciri. Quæ mutua accipimus, repetita olim auferuntur, quæ propria habemus, manent. Terent. Andr. « nilne est proprium cuiquam ». Ad hæc Donatus. N.

PALIN. Quid ita? PHÆDR. Quia proprium facio. Amo pariter simul.
PALIN. Malus clandestinus est amor, damnum 'st merum.
PHÆDR. Est, hercle, ita ut tu dicis. PALIN. Jamne ea fert jugum?
PHÆDR. Tam a me pudica 'st, quam si soror mî sit: nisi
Si est osculando quidpiam inpudicior.
PALIN. Semper tu scito: flamma fumo 'st proxuma.
Fumo comburi nihil potest, flamma potest.
Qui e nuce nucleum esse volt, frangit nucem.
Qui volt cubare, pandit saltum saviis.
PHÆDR. At illa est pudica, nequedum cubitat cum viris.
PALIN. Credam, pudor si quoipiam lenoni siet.
PHÆDR. Imo ut illam censes? ut quæque illi obcasio 'st
Subripere se ad me, ubi savium obpegit, fugit.

49. *Clandestinus*, etc. Phædromus Planesium clam deperit; qui clandestinus amor non solet fieri cum meretricibus; sed is qui nuptas sequitur, magno sumptu eas pellicit, et, si deprehensus mœchus fuerit, etiam carius se redimit. Talis ergo amor damnum est merum. Illuc, opinor, pertinet Palinuri lusus. Vid. Mil. glor. act. V, Horat. Sat. I, 3, 35-46, aut idne intelligit, lenonem furti actionem in Phædromum habiturum et multa damnaturum, si eum subreptitii amoris arguerit. N.

50. *Fert jugum?* Ita *jugum Veneris* dicit matrimonium Oppianus. RITTERSH.

51. *Pudica 'st.* Terentius dixit «integram a viro». Pudicus tam ad corpus quam ad animum spectat. Eo sensu dicitur «pudicitiam eripere». N.

53. *Flamma fumo.* Significat, Palinurus osculis concubitum esse proximum. LAMB.

54. *Flamma*, ablativo casu. Tò *nihil* ducit et posterius verbum *potest*, ordine quidem orationis, sed vi negationis dempta, quasi sit «hilum fumo comburi non potest, flamma potest». N.

55. *Esse*, comedere fructum e nuce extractum. N.

57. *At illa*, etc. Auctor sic Phædromum facit semel atque iterum asseverantem de pudicitia Planesii, quia hæc in fine fabulæ ingenua noscetur, quam libertinæ conditionis opprobrium dedeceat. Cf. Cist. I, 1, 24-41. N.

59. *Imo ut illam censes?* Locutio magnum aliquid prædicaturi, intellecto *agere*. Conf. Bacch. II, 2, 30. Eo præparatur nova de integritate puellæ professio. N.

60. *Savium obpegit.* Ori meo contra affixit. LAMB.

Id eo fit, quia heic leno ægrotus incubat
In Æsculapi fano. Is me excruciat. PALIN. Quid est?
PHÆDR. Alias me poscit pro illa triginta minas,
Alias talentum magnum. Neque quidquam queo
Æqui bonique ab eo inpetrare. PALIN. Injuriu's,
Qui, quod lenoni nulli'st, id ab eo petas.
PHÆDR. Nunc hinc parasitum in Cariam misi meum,
Petitum argentum a meo sodali mutuum :
Quod si non adfert, quo me vortam nescio.
PALIN. Si deos salutas, dextrovorsum censeo.
PHÆDR. Nunc ara Veneris hæc est ante horunc foreis.
Me inferre Veneri vovi jam jentaculum.
PALIN. Quid an te pones Veneri jam jentaculo?
PHÆDR. Me, te, atque hosce omneis. PALIN. Tum tu Venerem vomere vis?
PHÆDR. Cedo, pucre, sinum. PALIN. Quid facturus?
PHÆDR. Jam scies.

61. *Id eo fit*, scil. ut occasio sit illi se subripere ad me; non intelligendum eam fugere, quia leno prope incubat. N.

62. *Æsculapi fano.* Qui a diis aliquid petere cogitabant, cubabant in eorum, quorum ope indigebant, fanis : tanquam responsa ab iis vel vigilantes vel in somnis accepturi, ut notat Servius ad illud Virgilii VII Æn. « ... cæsarum ovium sub nocte silenti Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit ». Sic igitur ægroti in templo Æsculapii incubabant, ad remedia per somnium accipienda. LAMB.

63. *Triginta minas.* Mina pars talenti sexagesima, centum drachmas æquiparans, nostrate moneta fere 92 *francs.* N.

64. *Talent. mag.* Cf. Cistell. II, 3, 19. N.

70. *Dextrovorsum.* Nam in salutandis et precandis diis, dextrovorsum se vertere solebant. Hinc festive in verbo *vertere* ex ambiguo hic ludit Palinurus. TURN.

71. *Horunc.* Lenonis et puellæ.

72. *Jentaculum.* More Veterum sacrificatio cœna diis erat apposita. Nunc jentaculum ridicule auctor dixit, quia primo mane fiet. N.

73. *An te pones*, etc. Captato amphiboliæ lusu, quæ præcedente versu inest, scurratur Palinurus. *Vovi me inferre* possit intelligi « vovi inferre me », quo contra Phædromus dixerat : « vovi fore ut ego inferrem ». N.

74. *Tum tu Venerem*, etc. Hæc adeo fastidire nolis, ut mores Romanorum quid tolerarent non consideres. N.

75. *Sinum.* Nonius : « sinus et ga-

Anus heic solet cubitare custos, janitrix;
Nomen ei est lenæ multibiba atque merobiba.
PALIN. Quasi tu lagenam dicas, ubi vinum solet
Chium esse. PHÆDR. Quid opu'st verbis? vinosissuma'st,
Eaque extemplo ubi vino has conspersi foreis,
De odore adesse me scit, aperit inlico.
PALIN. Eine hic cum vino sinus fertur? PHÆDR. Nisi nevis.
PALIN. Nolo, hercle: nam istunc qui fert, adflictum velim;
Ego nobis adferri censui. PHÆDR. Quin tu taces?
Si quid super illi fuerit, id nobis sat est.
PALIN. Quisnam istic fluviu'st, quem non recipiat mare?
PH DR. Sequere hac, Palinure, me ad foreis: fi mî obsequens.
PALIN. Ita faciam. PHÆDR. Agite, bibite, festivæ foreis;
Potate, fite mihi volenteis propitiæ.
PALIN. Voltisne olivas, aut pulmentum, aut capparim?
PHÆDR. Exsuscitate vostram huc custodem mihi.
PALIN. Profundis vinum! quæ te res agitant? PHÆDR. Sine.

leola, inquit, vasa sinuosa ». LAMB.

79. *Chium.* Alludit ad nomen *merobiba*. LAMB. — Jocus ex eo, quod quum vino græco fere aqua maris admixta esset, Chio tamen non addebatur, sed meracum erat. Horat. II, Sat. 8: « Alcon Chium maris expers ». TURN.

83. *Istunc qui fert.* Recte Lambinus: puerum, qui fert sinum vini plenum, adflictum ad terram velim, ut ejus casu omne vinum effunderetur, ac periret potius quam ad anum perferretur. GRON.

86. *Istic fluvius.* Cum mari anum, cum fluvio vinum comparat. Vide Lucan. V, 355. LAMB.

88. *Agite, bibite*, etc. Vide hujusmodi compellationes januarum apud amatorios poetas.

82. *Nisi nevis*, formula qua quid faciendi veniam roges. Gallice, *si vous voulez bien le permettre*. Nunc ironia. N.

89. *Volenteis propitiæ.* Hoc dictum ex religione prisca, et communi sacrificantium formula petitum. Exemplo fuerint concepta illa et solemnia precationum verba apud Catonem: « Mars pater, te precor quæsoque, uti sies volens propitius mihi, domo, familiæque nostræ ». DOUZA.

90. *Voltisne olivas.* Urbane herum ridet. *Olivas* et *capparim* dicit, quæ condimenta in crapulis et ebrietatibus convenientissima. De *coppari* plenius Diosc. lib. II, c. 204. LONG.

92. *Quæ te res agit.* Quæ est ista insania? N.

Viden' ut aperiuntur ædeis festivissumæ?
Num mutit cardo? est lepidus. PALIN. Quin das savium?
PHÆDR. Tace; obcultemus lumen et vocem. PALIN. Licet.

SCENA SECUNDA.

LENA, PHÆDROMUS, PALINURUS.

LEN. Flos veteris vini meis naribus objectus est.
Ejus amos cupidam me huc prolicit per tenebras.
Ubi, ubi est? prope me est: evax! habeo. Salve, anime mi,
Liberi lepos: ut veteris vetusti cupida sum!
Nam omnium unguentum odor præ tuo nautea 'st.
Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa,
Tu crocinum et casia es, tu bdellium: nam ubi
Tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam.
Sed quom adhuc naso, odos, obsecutus es meo,
Da vicissim meo gutturi gaudium.
Nihil ago tecum: ubi est ipsus? ipsum expeto

95. *Licet.* Vid. Bacch. I, 1, 1. N.

1. *Flos veteris*, etc. Conf. Casin. III, 5, 16. Consulendus Bothius de horum versuum indole, quos pronuntiat asynartetos, et refingit. N.

2. *Amos.* Antique; ut « colos, vapos, nidos, etc. » Hac una de causa censeo, Plautum dixisse *amos, odos, lepos;* ut exprimeret sermonem anus blesulæ. ACIDAL.

4. *Liberi lepos.* Bacchi suavitas. TAUBM.—*Veteris vetusti.* Quæ ejusdem significationis conjunguntur, licet significatione non augeant, augent conjunctione. Ita hic significatur vinum veterrimum. BOXHORN.

5. *Nautea.* Vid. Asin. V, 2, 45.

6. *Stacte.* Latex, oleumve e myrrha incisa sudans. LAMB.

7. *Crocinum.* Croci unguentum; ita dictum, ut ab amaraco, *amaracinum.* J. GUL.— *Bdellium.* Gummi aromaticum vide Plin. Hist. Nat. XII, 9. LAMB.

8. *Pervelim sepultam.* Adeo in deliciis est illi vinum, ut se mortuam non recuset, dum ibi sepulta sit, ubi talis profusio fiat. N.

11. *Nihil ago tecum.* Hujus orationis Lambinus duas enarrationes proposuit: « O odor, inanem operam tecum sumo »; vel « O odor, nil te moror »; quarum Ernesti posteriorem optavit. Ego tamen priorem sequor, quæ cum hac solemni admodum locutione convenit: « nil ago, nil agis », i. e. frustra ago, nil proficis. *Ubi est ipsus* Liberi lepos, vel Liber. Deus, ecce deus. N.

Tangere, invergere in me liquores tuos
Sino ductim : sed hac abiit, hac persequar.
PHÆDR. Sitit hæc anus. PALIN. Quantillum sitit? PHÆDR.
Modica 'st,
Capit quadrantal. PALIN. Pol! ut tu prædicas,
Vindemia hæc huic anui non satis est soli.
Canem esse hanc quidem magis par fuit; sagax
Nasum habet. LEN. Amabo, quoja vox sonat procul?
PHÆDR. Censeo hanc adpellandam anum : adibo : redi,
Et respice ad me huc, lena. LEN. Inperator quis est?
PHÆDR. Vini pollens, lepidus Liber,
Tibi qui screanti, siccæ, semisomnæ
Adfert potionem, et te sedatum it.
LEN. Quam longe a me abest? PHÆDR. Lumen hoc vide.
LEN. Grandiorem gradum ergo fac ad me, obsecro.
PHÆDR. Salve. LEN. Egon' salva sim, quæ siti sicca sum?
PHÆDR. At jam bibes. LEN. Diu fit. PHÆDR. Hem tibi,
anus lepida.
LEN. Salve, oculissume homo. PALIN. Age, ecfunde hoc cito
In barathrum, propere prolue cloacam. PHÆDR. Tace.
Nolo huic maledici. PALIN. Faciam igitur male potius.
LEN. Venus, de paulo paululum hoc tibi dabo,

12. *Invergere.* Id est, infundere. Virgil. Æn. VI, 244 : «... frontique invergit vina sacerdos». TAUBM.

13. *Sino.* Supr. I, 1, 75. N. — *Ductim.* Adverbium hoc Priscianus interpretatus est ἀπνευστί, quod significat in bibendo aviditatem et copiam. CAMER.

15. *Quadrantal.* Festus : « Vas pedis quadrati, octo et quadraginta capit sextarios : amphora Græcis ».

18. *Sagax nasum. Nasum* genere neutro apud Veteres. Conf. Amph. I, 1, 288. N.

27. *Diu fit.* Longum illi videtur *bibes;* vellet dici posse *bibis.* N.

28. *Oculissume.* Oculorum sensus nobis omnium est carissimus. Ideo oculorum in exprimenda vi amoris crebra fit mentio. Plautus quidem *oculitus amare*, pro eo, quod est, singulariter amare; et *oculissumum hominem*, pro carissimo, dixit. MURET.

31. *De paulo*, etc. Anus quantum Veneri profusum, tantum sibi præreptum quum reputet, neque tamen inhonoratam Venerem præterire audeat, paulum vix vix libat, utpote de pauxilla copia, pau-

Haud lubenter : nam tibi amanteis propinanteis,
Vinum potanteis dant omneis : mihi haud sæpe
Eveniunt taleis hereditateis. PALIN. Hoc vide, ut
Ingurgitat inpura in se merum avariter,
Faucibus plenis! PHÆDR. Perii, hercle! huic quid primum dicam
Nescio. PALIN. Hem istuc, quod mihi dixti. PHÆDR. Quid id est?
PALIN. Periisse ut te dicas. PHÆDR. Male tibi di faciant.
PALIN. Dic isti. LEN. Ah! PALIN. Quid est? ecquid lubet? LEN. Lubet.
PALIN. Etiam mihi quoque stimulo fodere lubet te.
PHÆDR. Tace, noli. PALIN. Taceo : ecce autem bibit arcus; pluet
Credo, hercle, hodie. PHÆDR. Jamne ego huic dico? PALIN. Quid dices?
PHÆDR. Me periisse. PALIN. Age, dice. PHÆDR. Anus, audi : hoc volo
Scire te, perditus sum miser. LEN. At, pol, ego oppido
Servata : sed quid est, quid lubet perditum
Dicere te esse? PHÆDR. Quia id, quod amo, careo.

xilla quidem, si quantillum anus sitiat, consideres. Haud absimilia venerationis malignæ comica exempla videas Aulular. IV, 2, 16, 6, 5. N.

32, 33. *Propinanteis... potanteis.* Multi censent hic esse tautologiam, et damnant *potantes* tanquam glossema, videlicet post *propinantes* supervacaneum. Vulgatam retineo, quæ non adeo male affecta videtur. Aliud *prōpinare*, aliud *potare.* Cf. Asin. IV, 1, 26, 27. N.

34. *Hereditateis.* Vid. Captiv. IV, 1, 8. N.

37. *Hem istuc.* En exordium sume istud aptum quod dicis, te periisse. N.

39. *Dic isti.* Istud votum ad istam transfer.—*Ecquid lubet?* An tibi jucundum fit? Sic exclamatione gaudentis anus audita, mollem faudi aditum occupat. De voce *ecquid* cf. Cas. II, 6, 52. N.

41. *Bibit arcus.* Credidit vetustas, Iridem demissis in terram cornibus aquam e fontibus haurire. Hinc illud Virgilii Georg. I, 380 : « ... et bibit ingens Arcus », et Stat. Th. IX, 405 : « imbrifer arcus Pascitur ». Ad hoc ille alludit bibentem anum incurvam spectans. TURN.

LEN. Phædrome mi, ne plora, amabo; tu me
Curato ne sitiam, ego tibi, quod amas, jam huc adducam.
PHÆDR. Tibi næ ego, si fidem servas mecum,
Vineam pro aurea statua statuam, quæ tuo
Gutturi sit monumentum. Qui me in terra æque
Fortunatus erit, si illa ad me bitet,
Palinure? PALIN. Edepol, qui amat, si eget, misera adficitur
Ærumna. PHÆDR. Non ita res est; nam confido
Parasitum hodie adventurum cum argento ad me.
PALIN. Magnum inceptas, si id exspectas, quod nusquam 'st.
PHÆDR. Quid si adeam ad foreis, atque obcentem? PALIN. Si lubet,
Neque veto, neque jubeo: quando ego te video
Inmutatis moribus esse, here, atque ingenio.
PHÆDR. Pessuli, heus, pessuli, vos saluto lubens,
Vos amo, vos volo, vos peto, atque obsecro,
Gerite amanti mihi morem amœnissumi:
Fite causa mea Ludii barbari,
Subsilite, obsecro, et mittite istanc foras,
Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem.

53. *Eget* pecunia. Egens, pauper.

56. *Magnum inceptas*. Difficile aggrederis opus. N.

57. *Obcentem*. Occentare modo convicium est facere, ut Mercat. II, 3, 73; Pers. IV, 4, 20, modo festive accinere, ut hoc loco et Casin. IV, 3, 8. N.

58, 59. *Neque veto*, etc. Segnius fert Palinurus quam Lydus, Bacch. I, 2, corruptum amore adolescentem. N.

60. *Pessuli, heus, pessuli*. Is. Casaubon. ad illud Persii, Satyr. V: «... dum Chrysidis udas Ebrius ante fores exstincta cum face canto»: Græci hoc vocant (Plutarch. Ἐρωτικῷ) ᾄδειν τὸ παρακλαυσίθυρον. Qui ibant comessatum, funalia ac faces gestabant: sed quas exstinguebant, quum ad fores erat ventum. Exemplum canticorum ejusmodi, quæ ante fores cantabant, habes hic venustissimum.

63. *Ludii*, i. q. ludiones, saltatores. Simili modo Euclio, Aulul. IV, 3, 3, «continuo meum cor cœpit artem facere ludicram». — *Barbari*. Cf. Asin. prol. 11. N.

64. *Istanc*, ut sup. 52 *illa*; solo pronomine significant amantes dominam. N.

Hoc vide ut dormiunt pessuli pessumi,
Nec mea gratia conmovent se ocyus.
Respicio nihili meam vos gratiam facere.
Sed tace, tace. PALIN. Taceo, hercle : quid est? PHÆDR. Sentio sonitum.
Tandem, edepol, mihi morigeri pessuli fiunt.

SCENA TERTIA.

ANUS, PLANESIUM, PHÆDROMUS, PALINURUS.

AN. Placide egredere, et sonitum prohibe forium, et crepitum cardinum,
Ne quod heic agimus, herus percipiat fieri, mea Planesium.
Mane, subfundam aquolam. PALIN. Viden' ut anus tremula medicinam facit.
Eapse merum condidicit bibere, foribus dat aquam quam bibant.
PLAN. Ubi tu es, qui me convadatus Veneriis vadimoniis?
Ubi tu es, qui me libello Venerio citavisti? ecce me.
Sisto ego tibi me, et mihi contra itidem te ut sistas suadeo.
PHÆDR. Adsum; nam si absim, haud recusem quin mihi male sit, mel meum.
PLAN. Anime mi, procul amantem te abesse haud consentaneum 'st.

68. *Respicio*, video, intelligo, recogitans. N.

3. *Subfundam aquolam*, scilicet cardinibus, ne strepitu proditores fiant. Is enim mos erat amantibus propitiandi januas effusione vini. Anus vero, sibi quum vinum sumpserit, aquam dat foribus. — *Medicinam facit.* Anus quidem fores quasi ægrotas, suppresso vino, aquam bibere, medicantis instar, jubet. N.

5. *Convadatus.* Qui quasi vadibus a me acceptis me in jus vocas. Active etiam *vadato* dixit Horatius, Sat. I, 9, 36. Noster, *vadatum amore*, passive, Bacch. II, 2, 3. LAMB.

6. *Libello Venerio citavisti?* Hunc versum glossema irreptitium docti viri judicant; quippe qui eamdem omnino sententiam, iisdem fere verbis, quibus proxime superior, proferat, et absit nonnullis codicibus. N.

7. *Sisto me.* Verbum juris in obeundo vadimonio. TAUB.

PHÆDR. Palinure, Palinure. PALIN. Eloquere, quid est, quod Palinurum voces?
PHÆDR. Est lepida. PALIN. Nimis lepida. PHÆDR. Sum deus. PALIN. Imo homo haud magni preti.
PHÆD. Quid vidisti, aut quid videbis magi' diis æquiparabile?
PALIN. Male valere te, quod mi ægre 'st. PHÆDR. Male mi morigerus; tace.
PALIN. Ipsus se excruciat, qui homo quod amat, videt, nec potitur dum licet.
PHÆDR. Recte objurgat: sane haud quidquam'st magis quod cupiam jamdiu.
PLAN. Tene me, amplectere ergo. PHÆDR. Hoc etiam 'st, quamobrem cupiam vivere.
Quia te prohibet herus, clam hero potior. PLAN. Prohibet, nec prohibere quit,
Nec prohibebit, nisi mors meum animum abs te abalienaverit.
PALIN. Enimvero nequeo durare, quin ego herum adcusem meum;
Nam bonum 'st, pauxillum amare sane, insane non bonum 'st:

10. *Palinurum voces?* Alludit ad Palinurum aliquem deum.

11. *Sum deus.* Propert. II, 12: « Si dabit hæc multas, fiam immortalis in illis. Nocte una quivis vel deus esse potest ».

13. *Male valere*, etc. Scilicet « video te male valere, utpote amore insanientem, quod mihi pædagogo tædium ingerit ». Sed lusus in voce ægre est. N.

14. *Ipsus se excruciat*, etc. Quum sapienti consilio herum fecerit iratum, ad placabiliora convertitur. N.

16. *Cupiam vivere.* Gratissima sibi ita exprimebant Veteres, ut dicerent, se propter illa diutius vivere velle, sicut ingratissima, propter quæ mori. Inde, *vita*, amantibus dicuntur amatæ. BOXHORN.

17. *Prohibet, nec prohibere quit.* Prohibet, i. e. prohibere quidem conatur, sed nec potest, nec faciet.

19. *Durare*, temperare mihi, me continere. Conf. Amph. III, 2, 1; Asin. V, 2, 57. Hæc: « enimvero, etc. » ad illa « herus facit » Palinurus extra actum histrionicum ad spectatores loquitur, quasi velit eos admonere, ut juvenis, dum rident ejus furorem, iis documento sit. N.

20. *Sane*, moderate. N.

Verum totum insanum amare, hoc est, quod meus herus facit.

PHÆDR. Sibi sua habeant regna reges, sibi divitias diviteis:
Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi prælia:
Dum mi abstineant invidere, sibi quisque habeant quod suum 'st.

PALIN. Quid tu? Venerin' pervigilare te vovisti, Phædrome?
Nam hoc quidem, edepol, haud multo post luce lucebit.
PHÆDR. Tace.

PALIN. Quid taceam? quin tu is dormitum? PHÆDR. Dormio, ne obclamites.

PALIN. Tu quidem vigilas. PHÆDR. At meo more dormio; hic somnu'st mihi.

PALIN. Heus tu, mulier: male merere de inmerente inscitia 'st.

PLAN. Irascare, si te edentem hic a cibo abigat. PALIN. Ilicet.
Pariter hos perire amando video, uterque insaniunt:
Viden', ut misere moliuntur! nequeunt conplecti satis.
Etiam dispartimini? PLAN. Nulli 'st homini perpetuum bonum.

21. *Totum insanum*, i. q. omnino insane, toto animo insanire amando. Cf. Bacch. IV, 5, 1. N.

25. *Pervigilare*. Allusum ad *Pervigilia Cereris*, *Veneris*, et sacra nocturna. Martialis, IX, 70: « Nam vigilare leve est, pervigilare grave est ». DOUZA.

26. *Nam hoc*. Recte Lambinus, δεικτικῶς cælum: et inepta est interpretatio: Hoc tuum pervigilare Veneri orto die omnibus patebit. Amphit. I, 3: « Eamus Amphitruo: luciscit hoc jam ». Terent. Heaut. III, 1: « Luciscit hoc jam ». Vetus poeta: « Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem ». GRON. — *Hoc* mihi videtur tempus præsens significare hic et allatis primis duobus exemplis. Cf. Amphit. I, 3, 45. N.

29. *Inscitia 'st*. Ut scite factum dicitur, quod quis bene commode agit, ita inscitia pro peccato; i. q. non decet. Cf. Trucul. IV, 3, 71. Sic Ter. Hec. V, 1, 12: « inscitum offerre injuriam ». N.

30. *Ilicet*. Actum est. Cf. Cistell. IV, 2, 17. N.

32. *Misere*. Cf. Bacch. II, 2, 30. — *Moliuntur*, scilicet rapere oscula fructumque amoris. N.

33. *Etiam dispartimini?* Discedite a complexu. Cf. Casin. III, 6, 8.

Jam huic voluptati hoc adjunctum'st odium. PALIN. Quid ais, propudium?
Tun' etiam cum noctuinis oculis, odium me vocas?
Ebriola persolla! nugæ! PHÆDR. Tun' meam Venerem vituperas?
Quod quidem mihi polluctus virgis servos sermonem serat?
At næ tu, hercle, cum cruciatu magno dixisti id tuo.

— *Nulli'st*, etc. Sic fere Tereut. And. V, 5, 3; Eun. III, 5, 3. N.

34. *Propudium.* Ut stupor, scelus audiebant, quos quis dicere stupidos, scelestos volebat, sic propudium idem valet quod propudiosus. Scaliger censet eodem sensu propudia Romanos quo Græcos καθάρματα de sceleratis hominibus dixisse. Cf. Aulul. III, 5, 48. N.

35. *Cum noctuinis.* Glaucos oculos Romani non perinde amabant: nigros autem magni faciebant. Itaque ad ludibrium, cujus erant oculi glauci, ea *noctuinos oculos* habere hic dicitur: de avis inauspicatæ, cujus tales oculi sunt, nomine petita illusione. Eos oculos *virides* vulgo dicimus. Ac æque amaro joco per comicam lasciviam *herbeos* poeta vocavit scena seq. eosdem et *felineos* appellabant. TURN.

36. *Ebriola persolla!* Persolla diminutivum a persona; sicut a corona corolla. Sic fere nostrates objurgatorie dicunt *petit masque*. *Ebriolam* addit, quia illius ordinis mulierculæ a compotatione vulgo non abstinebant. — *Nugæ!* Vide infra vs. 43. — *Meam Venerem.* Virgil. Eclog. III, 68: « Parta meæ Veneri sunt munera ». Cf. Bacch. II, 2, 39. — *Vituperas*, opprobrio lacessis. N.

37. *Quod quidem.* Puto hæc dici a Phædromo hoc sensu: Egone feram, ut servus plagipatida hic mihi argutias serat? GRUTER. — Hujus *quod* ingenium sic possit explicari: « idne, quod servus sermonem serat, feram? » quo modo illud Terentianum, Adelph. V, 9, 29: « ut id ostenderem, quod te facilem et festivum putant, id non fieri ex vera vita, etc. » Verbum « feram, patiar » hic intelligendum æque ac illa locutione · « egone ut ». Conf. Asinar. V, 2, 34. N. — *Polluctus.* Verbum e sacris Herculis comice detortum. Quum pollucebatur Herculi, omnia esculenta et potulenta in illius aris congerebantur. Unde *pollucibiliter* Plauto est opipare, et Camerarius *polluctum* virgis esse onustum, cæsum existimavit. Sed Lambinus rectius, opinor, vidit eo Plautum hac locutione alludere, quod sacro Herculis faciendo, dapes populo exponebantur, et significare « virgis expositum, objectum », sicut Rud. II, 4, 11, « meretrix pollucta pago » est cuique pagensi prostans. Cf. et Stich. V, 4, 6. N.

38. *Cum cruciatu.* Hæc figura sicut illa « cum tuo malo » vulgo usurpatur, si quis significare velit actum vel dictum quoddam fore agenti vel dicenti causam pœnæ haud levis. Cf. Amph. IV, 2, 13; Asin. I, 2, 4. N.

Hem tibi maledictis pro istis : dictis moderari ut queas.

PALIN. Tuam fidem, Venus noctuvigila! PHÆDR. Pergin' etiam, verbero?

PLAN. Noli, amabo, verberare lapidem, ne perdas manum.

PALIN. Flagitium probrumque magnum, Phædrome, expergefacis :

Bene monstrantem pugnis cædis, hanc amas nugas meras.

Hoccine fieri, ut inmodestis te heic moderere moribus?

PHÆDR. Auro contra cedo modestum amatorem : a me aurum adcipe.

PALIN. Cedo mihi contra aurichalco, quoi ego sano serviam.

PLAN. Bene vale, ocule mi : nam sonitum et crepitum claustrorum audio,

Æditũum aperire fanum : quousque, quæso, ad hunc modum

Inter nos amore utimur semper subrepticio?

PHÆDR. Minume : nam parasitum misi nudius quartus Cariam,

39. *Hem.* Hoc dicens impingit verbera. Cf. Asin. II, 4, 25. N.

40. *Tuam fidem!* Cf. Amphit. I, 1, 220. N.

41. *Amabo.* Cf. Casin. I, 1, 49. — *Lapidem*, ita verberibus induruit. — *Flagitium.* Cf. Casin. III, 2, 19; V, 2, 2. — *Probrum*, rem turpem, quæ fert secum flagitium. — *Expergefacis*, concitas. N.

43. *Bene monstrantem*, etc. Flagitium duplex, monitorem verberare, scortum amplecti. — *Nugas meras*, i. e. totam nugatoriam, mulierem nihili. N.

45. *Auro contra.* I. e. date mihi pari et æquo auri pondere repensum, ego tantumdem auri dederim. TURN. — *Auro contra cedo*, locutio qua pretium aut raritatem alicujus rei significes, quasi dicas : si mihi illud dederis, auri æquipondium reddam. Conf. Mil. glor. III, 1, 63. N.

46. *Aurichalco.* Salmasius non posse colligi ex hoc loco aurichalcum antiquis auro carius fuisse censet; comicum enim hunc esse lusum, quo, quum herus de auro dixisset, servus reposuit de aurichalco, in quo etiam aurum est saltem nomine. Sed facile multis ipsius Plauti locis evincatur (Mil. gl. III, 1, 63; Pseud. II, 3, 22) materiam hanc, seu bene cognitam, seu fama tantum celebratam, in maximo pretio illo tempore fuisse. N.

47. *Ocule mi.* Cf. Asin. III, 3, 74. N.

48. *Æditũum aperir. fan.* audio. Memineris I, 1, 60-2. N

Petere argentum : is hodie heic aderit. PLAN. Nimium consultas diu.

PHÆDR. Ita me Venus amet, ut ego te hoc triduum nunquam sinam

In domo esse istac, quin ego te liberalem liberem.

PLAN. Facito ut me memineris : tene etiam, priusquam hinc abeo, savium.

PHÆDR. Siquidem, hercle, mihi regnum detur, nunquam id potius persequar.

Quando ego te videbo? PLAN. Hem, istoc verbo vindictam para.

Si amas, eme : ne rogites; facito ut pretio pervincas tuo.

Bene vale. PHÆDR. Jamne ego relinquor? pulchre, Palinure, obcidi.

PALIN. Ego quidem, qui et vapulando et somno pereo. PHÆDR. Sequere me.

52. *Ita me*, etc. Cf. Bacchid. I, 2, 3. N.

53. *Liberalem*, forma ex ingenio decoram, habitu ingenuam. Conf. Mil. glor. I, 1, 64; Pers. IV, 3, 52, 76. N.

56. *Istoc verbo vindictam*. Propter id quod dixisti, ut quando velis, videre me possis, redde me liberam. Ut id, quod dicis, non sit subjectum alterius ditioni. Verbum pro re, quæ verbo significatur : fere enim eodem sensu, ob eam rem. Mostel. III, 1 : « Molestus si sum, reddite argentum, abiero. Responsiones omnes hoc verbo eripite ». Id est, re, quæ hoc verbo significatur. GRON. — *Vindictam*. Tanquam prætor, id est, viam reperi, qua me liberes. *Vindicta*, virga prætoria, qua servi contacti, manumittebantur. LAMB.

57. *Pervincas*. Quemvis alium emptorem pretio ut pervincas facito : ne opus sit rogitare, quando me visurus es. LAMB.

58. *Pulchre*, valde. Cf. Amphit. II, 2, 49; Asin. V, 2, 63; Menæchm. III, 2, 7; Truc. II, 8, 6. Sic « pereo probe » Captiv. III, 4, 102. Sic gallice, *j'ai bien mal*. N.

59. *Ego quidem*. Imo ego. N.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

CAPPADOX, PALINURUS.

CAPP. MIGRARE certum 'st jam nunc e fano foras,
Quando Æsculapi ita sentio sententiam,
Ut qui me nihili faciat, nec salvom velit.
Valetudo decrescit, adcrescit labor.
Nam jam, quasi zona, liene cinctus ambulo.
Geminos in ventre habere videor filios.
Nihil metuo, nisi ne medius disrumpar miser.
PALIN. Si recte facias, Phædrome, auscultes mihi,
Atque istam exturbes ex animo ægritudinem.
Paves, parasitus quia non rediit Caria.
Adferre argentum credo : nam si non ferat,
Tormento non retineri potuit ferreo,
Quin reciperet se huc esum ad præsepim suam.

3. *Ut qui*. Conf. Captiv. II, 1, 46. N.

5. *Quasi zona*, etc. Lienosi duritie et tumore interno, qui angustat ilia et comprimere videtur, laborant. N.

6. *Geminos in*, etc. Quia utrimque et a dextra et a læva cingit me lien venterque, eo tumidiore et majore facto mihi distenditur, proinde ac si geminos in utero filios geram. LAMB.

8. *Si recte facias*, etc. Hæc dicens Cappadocem nondum vidit, siquidem cum hero ab Æsculapii æde procul recessit. N.

12. *Tormento ferreo*. I. e. catena ferrea. *Tormentum* idem quod funis tortus; nam quum fit funis, *torqueri* dicitur. Propertius, « Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno ». Priap. « Tormento citharaque tensiorem », id est, quam funem aut fides citharæ. Unde machinis, quæ tentis et contortis funibus moventur, emissa aut excussa, *tormentis missa*, aut *excussa* dicuntur Livio, lib. XLIV. GRON.

CAPP. Quis hic est, qui loquitur? PALIN. Quojam vocem ego audio?
CAPP. Estne hic Palinurus Phædromi? PALIN. Qui hic est homo
Cum conlativo ventre, atque oculis herbeis?
De forma gnovi, de colore non queo
Gnovisse: jamjam gnovi; leno 'st Cappadox.
Congrediar. CAPP. Salve, Palinure. PALIN. O scelerum caput,
Salveto: quid agis? CAPP. Vivo.... PAL. Nempe ut dignus es.
Sed quid tibi 'st? CAPP. Lien necat, renes dolent,
Pulmones distrahuntur, cruciatur jecur,
Radices cordis pereunt, hiræ omneis dolent.
PALIN. Tum te igitur morbus agitat hepatarius.
CAPP. Facile 'st miserum inridere. PALIN. Quin tu aliquot dies

15. *Palinurus Phædromi.* Conf. Amphit. I, 1, 255. — *Qui*, quis. Amphit. I, 1, 1. N.

16. *Conlativo ventre.* Id est, *magno et turgido.* Collatis, congestis undique copiis. Collativa sunt, quæ fiunt pluribus in unum conferentibus, ideoque ampliora. Ita sacrificium collativum, cœna collativa. Eo allusit ventrioso irridens. N.— *Oculis herbeis*, viridibus, ut herba. Vide supra, I, 3, 35.

17. *De forma.* Agnoscit formam, siquidem ventriosus leno erat. — *De colore.* Nunc luridus est, olim rubicundus, utpote bene pasto et valenti. N.

20. *Vivo.* Subjecturus erat « miser », vel quid tale. — *Quid agis?* Cf. Aulul. I, 2, 39. N.

23. *Hiræ.* Festus : « Hira, quæ diminutive dicitur hilia, quam Græci dicunt νῆστιν, intestinum est, quod jejunum vocant ». Pro aliis tamen etiam intestinis sumi, docet Nonius: unde *hillæ* apud Horat. II, Sat. 4. LAMB.

24. *Hepatarius.* Hac oratione subesse aliquem jocum Plautus ipse versu seq. monet, sive emphatica locutionis *morbus hepatarius* insolentia, et ipsa vocis intentione ridiculum affectatur; sive Palinurus hominem ludificatur explicatione nihil explicante, quippe qui Cappadoci querenti de jecoris cruciatu respondeat, eum morbo laborare hepatario. N.

25-28. *Quin tu aliquot dies*, etc. His versibus paulo obscurioribus interpretandis neque cum Grutero volente, « quum ea sit anni tempestas, qua salsura solito carius veneat, intestina postquam computruerint, venibunt carius quam totus ipse », neque cum Lambino

Perdura, dum intestina exputescunt tibi,
Nunc dum salsura sat bona 'st. Si id feceris,
Vænire poteris intestinis vilius.
CAPP. Lien dierectu'st. PALIN. Ambula, id lieni optumum 'st.
CAPP. Abfer istæc, quæso, atque hoc responde quod rogo.
Potin' conjecturam facere, si narrem tibi,
Hac nocte quod ego somniavi dormiens?
PALIN. Vah, solus hic homo 'st, qui sciat divinitus.
Quin conjectores a me consilium petunt:
Quod eis respondi, ea omneis stant sententia.

SCENA SECUNDA.

COCUS, CAPPADOX, PALINURUS, PHÆDROMUS.

COC. Palinure, quid stas? quin depromuntur mihi,
Quæ opu' sunt, parasito ut sit paratum prandium,
Quom veniat? PAL. Mane, sis, dum huic conjicio somnium.

intelligente « ex tuis intestinis sale conditis et maceratis sint bona salsamenta confici possunt », aut cum Turnebo censente « ad garum ex intestinis piscium putridis pretiosum liquamen respici », Gronovius consentit, et ipse suam, haud ita facilem intellectu explanationem subjungit. Tantorum virorum in hoc loco hærentium dissensu terreri me fateor; sed quum muneri suscepto deessem, nisi nodum solvere conarer, ipse vindex qualiscunque periclitabor. « Perdura, dum intestina putrescunt, donec omnino contabuerint, ut ejiciantur; illud te moneo præsertim hoc tempore, quo salsamenta sat bona sunt. Si perduraveris, corpus tuum saltem supererit, quod sale condiri possit, et venire, deminuto quidem intestinorum quæ perierint, pretio, at venire sic possit ». Longo verborum circuitu neque eleganti sane cavillatione, sed quæ spectantes illa ætate plerosque delectaret, Palinurus Cappadocem porco adsimilat cujus intestinorum morbo insanabili jam ex parte putridorum jactura facienda sit, ut cetera serventur. N.

29. *Dierectu'st*, distenditur, distrahitur, ut qui patibulo affixus. Cf. Bacch. IV, 1, 7. N. — *Ambula.* Celsus, IV, 9, scribit, vitium lienis quiete augeri, exercitatione et labore minui. TAUBM.

33. *Hic homo*, ego. Cf. Bacchid. IV, 4, 1; Capt. I, 2, 49. — *Sciat divinitus.* Divinare sciat. Sic Juvenal. VI, 188: « nescire latine ». N.

3. *Sis.* Cf. Amphit. I, 1, 130, 204. N.

COC. Tute ipse, si quid somniasti, ad me refers.
PALIN. Fateor. COC. Abi, deprome. PALIN. Age, tu interea huic somnium
Narra; meliorem, quam ego sum, subpono tibi.
Nam quod scio, omne ex hoc scio. CAPP. Operam ut det.
PALIN. Dabit. (abit domum.)
CAPP. Facit hic quod pauci, ut sit magistro obsequens.
Da mi igitur operam. COC. Tametsi non gnovi, dabo.
CAPP. Hac nocte in somnis visus sum viderier,
Procul sedere longe a me Æsculapium,
Neque eum ad me adire, neque me magnipendere
Visu'st. COC. Item alios deos facturos scilicet.
Sane illi inter se congruunt concorditer.
Nihil est mirandum, melius si nihil'sit tibi:
Namque incubare satius te fuerat Jovi,
Qui tibi auxilium jurejurando fuit.
CAPP. Siquidem incubare velint, qui perjuraverint,

5. *Abi*, age. Cf. Asin. III, 3, 114. N.

6. *Subpono*, id est, vicarium do. DOUZA.

7. *Operam ut det.* Reticetur nihil aliud quam *vereor*. Nam *vereor ut det*, est, vereor, ne non det, ut recte interpretantur. Illud alterum, « dummodo mihi operam det », sensu quidem conveuit, sed non possunt inde suppleri verba defecta. GRON.

8. *Facit hic quod pauci.* Jocus est ex eo, quod ex inepta re salubre monitum et gravis querela de corruptis juventutis moribus colligitur. GRON.

9. *Da mi operam.* Hæc locutio « operam dare » varia mutantibus adjunctis significat. Namque erit « audire », si detur opera loquenti (Aulul. II, 2, 22; Capt. prol. 5, et sexcentis locis), erit « comitari », si iter facienti detur (Ter. Phorm. I, 2, 37), erit « adjuvare », si re qualibet agenda detur egenti auxilii (Asin. V, 2, 21; Bacch. I, 1, 26, et passim). Hoc loco est « auscultare ». N. — *Non gnovi.* Videtur hoc respondere cocus: « Etsi te non novi, tamen dabo operam, et auscultabo tibi ». Et sic accipit Cappadox. Verum ille ambiguitatem sermonis de industria captans significat, somniorum monita suam intelligentiam fugere, neque se conjectorem esse. J. GULIELM.

16. *Incubare.* Vide supra I, 1, 62.—*Jovi.* In Jovis templo. TAUBM. — Audi Plinium, Hist. Natur. II, 7: « Alii in ipso Capitolio fallunt, ac fulminantem pejerant Jovem; et hos juvant scelera, illos sacra sua pœnis agunt ». N.

Locus non præberi potis est in Capitolio.
COC. Hoc animum advorte : pacem ab Æsculapio
Petas, ne forte tibi eveniat magnum malum,
Quod in quiete tibi portentum 'st. CAPP. Bene facis.
Ibo atque orabo. (abit.) COC. Quæ res male vortat tibi.
PALIN. (rursus prodiens domo.) Pro di inmortaleis, quem conspicio! qui illic est?
Estne hic parasitus, qui missu'st in Cariam?
Heus, Phædrome, exi, exi : exi, inquam, ocyus.
PHÆDR. Qui istic clamorem tollis? PALIN. Parasitum tuum
Video obcurrentem, ellum, usque in platea ultima.
Hinc auscultemus quid agat. PHÆDR. Sane censeo.

SCENA TERTIA.

CURCULIO, PHÆDROMUS, PALINURUS.

CURC. Date viam mihi, gnoti atque ingnoti, dum ego heic opficium meum
Facio : fugite omneis, abite, et de via decedite;
Ne quem in cursu capite, aut cubito, aut pectore obfendam, aut genu.
Ita nunc subito, propere, et celere objectum 'st mihi negotium.

19. *In Capitolio.* Nonnulli mirantur, quod ille Capitolium nominet, qui tamen sit Epidauri. Quid, quod Plautinæ personæ, « legiones, prætores, trigeminam portam » et alia hujusmodi nominent? Hæc Plauti ἁμαρτήματα comica. N.

20. *Hoc*, huc, ad me, ad ea quæ dico. Cf. Amph. I, 1, 11; Bacch. IV, 7, 26.—*Pacem*, id est, veniam. Amph. V, 1, 75.

22. *In quiete*, in somno.—*Portentum'st*, præteritum passivum a portendo. LAMB. — *Bene facis*, i. q. gratias ago tibi. Hoc non judicantis est, sed gratias agentis, ut ait Donat. ad Ter. Eunuch. I, 2, 106. N.

27. *Qui istic*, i. e. quis tu es qui clamorem tollis. LAMB.

28. *Ellum*, ecce illum, ut eccum p. ecce eum. Amphitr. I, 2, 35; Aulul. IV, 4, 7. N.

1. *Date viam*, etc. Vid. Captiv. IV, 2, 10 seqq. N.

4. *Ita nunc subito, propere, et celere objectum 'st*, etc. Quia mihi

Nec quisquam sit tam opulentus, qui mihi obsistat in via,
Nec strategus, nec tyrannus quisquam, nec agoranomus,
Nec demarchus, nec comarchus, nec cum tanta gloria,
Quin cadat, quin capite sistat in via de semita.
Tum isti Græci palliati, capite operto qui ambulant,
Qui incedunt subfarcinati cum libris, cum sportulis,
Constant, conferunt sermones inter sese drapetæ,

impositum est negotium, quod maxima celeritate eget. *Objicere* pro inferre, ingerere. Amphitr. II, 1, 58. N.

6. *Strategus*. Id est, imperator, exercitus.—*Agoranomus*. Vid. Capt. IV, 2, 44. LAMB.

7. *Demarchus*. Tribunus plebis. Vide Turneb. XIV, 11. — *Comarchus*. Vici magister. LAMB. — *Nec cum tanta gl.* Neque quisquam tam magnificus sive opibus, sive titulo, cf. Aulul. III, 6, 5. N.

8. *Capite sistat*. Ridicula verborum antipathia, ridiculo homini accommoda, i. e. qui mihi obsistet, quisquis erit, capite, non pedibus humi innitetur. — *In via de semita*. Semita pars viæ utrinque trita ambulantibus, quum medium spatium, quæ proprie nuncupatur via, equestri dromo relinquatur. N.

9. *Isti Græci*, etc. Curculionem videlicet Plautus docuit, postquam, profligatis Carthaginiensibus, Asia quoque victa, Romani luxu diffluere et Græcorum studiis indulgere cœperunt. Tum ex omnibus terris et insulis quas Græci incolebant, artifices cujuslibet rei ludicræ, simul et doctores grammaticæ, oratoriæ, philosophicæ scientiæ Romam, quæ jam tum potentiæ divitiarumque orbis domicilium, concurrerunt; quorum plerique loquacitate quam moribus meliores, ipsi, quas venditabant, artes haud ita commendabiles populo romano fecerunt. Inde hæc philosophorum comica insectatio. N. — *Capite operto*. Mos Romanis in capite aperiendo et operiendo hic fuit. Laciniam nempe togæ in caput sæpe rejecere contra æstum, aut ventum: eamque detraxere, quando opus: interdum et palliolum; sed ab ægris id factum aut delicatis. LIPSIUS. — Vide Epid. I, 1, et II, 2. N.

10. *Subfarcinati cum libris*. Id est, qui libros sub axilla ferentes et sub pallio, quo onere et sarcina ob tumentem molem quasi sufferti videbantur, aut, quod idem est, suffarcinati. Nam antiquum est *farcinare* pro farcire. Sic apud Terentium in Andria, IV, 5 : « Verum vidi Cantharam suffarcinatam », ob puerum scilicet quem sub veste attulerat, qui supponeretur Glycerio. Ita enim videri voluit Servius. Non autem, ut explicat Donatus. SALM.

11. *Constant*, id est, simul stant. — *Drapetæ*. Quærunt cur Græcos *fugitivos* appellet? an quia tanquam servi, ab iis, quibus mercenarias operas dabant, aufugerint? an sectæ desertores? an denique quia ultro citroque discurrerent? At respondet toto dialogo Lucianus quemdam appellari sic potuisse vere et bona fide, quia drapetæ vel fugitivi sub pallio philosophico interdum late-

Obstant, obsistunt, incedunt cum suis sententiis;
Quos semper videas bibenteis esse in Thermopolio;
Ubi quid subripuere, operto capitulo calidum bibunt;
Tristeis atque ebrioli incedunt : eos ego si obfendero,
Ex unoquoque eorum exciam crepitum polentarium.
Tum isti qui ludunt datatim servi scurrarum in via,
Et datores, et factores omneis subdam sub solum.

bant, et dominorum inquisitionem frustrabant. Gron.

13. *Thermopolio.* Hic et multi Plautinarum fabularum loci demonstrant jam tum caupouas, ubi vinum calidæ mixtum et alia potandi deliuimenta parabantur, fuisse vulgo in usu. Cf. Pseud. II, 4, 52; Rud. II, 6, 45; Trin. IV, 3, 6. N.

14. *Calidum bibunt.* Interpretes enarrant vinum aquæ mixtum; sed ambiguitate hic subest cavillatio. Nam calidus dicitur de iis quæ propere et in præsentia fiunt. Ita Epid. I, 2, 39 : « opus est quadraginta minis celeriter calidis ». Hoc igitur loco significatur et thermopotant et statim; nulla morâ, quidquid rapuere, potu insumunt. N.

15. *Tristeis*, severa facie, ut philosophos decet. Conf. Cas. III, 2, 32. N.

16. *Exciam*, eliciam ictu.—*Polentarium*, ex polenta, quam ederunt, natum, vel qui polentam oleat. Lamb. — Vel potius : eos ita vehementer percutiam, ut magnum, qualem qui polenta, farinulento cibo vescuntur, crepitum edant.

17. *Datatim. Datatim ludere* erat pila ludere : propterea quod dabatur : unde quidam *datores* dicebantur in lusu pilæ, qui pilam dabant. Genera autem ludendi fuisse videntur *datatim*, *raptim*, *expulsim*. Novius apud Nonium : « In molis ludunt raptim pila, datatim morso ». Varro apud Non. « Videbis Romæ in foro ante lanienas pueros pila expulsim ludere ». Turn. — *Scurrarum*, conf. Trin. I, 2, 162 seqq. « nihil est profecto stultius. . . . . quam urbani adsidui civeis, quos scurras vocant ». Hi sunt otiosi homines et nugatores. N.

18. *Et datores, et factores.* Et eos qui dant pilam, et eos qui excipiunt ac pulsant. Sed videtur in his verbis inesse ex ancipiti obscœnitas, quippe quam verbum *dare* et ab eo declinata ferre possint. Lamb. — In his Gronovius cum Lambino concordat, sed ab illo et ceteris interpretibus dissentit de voce *factores*. Fatetur enim se « factores pilæ » pro « pulsatores », vel quasi « collusores » dictos a factione ludorum, non concoquere posse; et, quia verba « dare, facere » conjungi tum in jurisconsultorum sermone, tum in re venerea solent, igitur nomini « datores » nugatorie adjectum « et factores », non quod hæc vox ea in re proprie quid significet, sed risus gratia. Arguta sane perquisitio. Sed vocabula, quæ tam promiscue in usu erant, omnia scire nos, et unde et quomodo nata, quis affirmet ? neque velim talia ad normam etymologiæ severiorem exigi. Quid, si pro « factores » legeretur « jactores » ? — *Solum*, pro solea calcea-

Proinde se domi contineant, vitent infortunio.

PHÆDR. Recte hic monstrat, si inperare possit : nam ita nunc mos viget,

Ita nunc servitium 'st; profecto modus haberi non potest.

CURC. Ecquis est, qui mihi conmonstret Phædromum genium meum?

Ita res subita 'st : celeriter mi hoc homine convento 'st opus.

PALIN. Te ille quærit. PHÆDR. Quid si adeamus? heus, Curculio, te volo.

CURC. Quis vocat? quis nominat me? PHÆDR. Qui te conventum cupit.

CURC. Haud magis cupis, quam ego te cupio. PHÆDR. O mea obportunitas!

Curculio exoptate, salve. CURC. Salve. PHÆDR. Salvom gaudeo

Te advenire : cedo tuam mihi dextram : ubi sunt spes meæ?

Eloquere, obsecro, hercle. CURC. Eloquere, te obsecro, ubi sunt meæ?

PHÆDR. Quid tibi 'st? CURC. Tenebræ oboriuntur, genua inedia subcidunt.

PHÆDR. Lassitudine, hercle, credo. CURC. Retine, retine me, obsecro.

mentorum. Cf. Bacch. II, 3, 98. N.

19. *Vitent infortunio.* Sic Trucul. II, 2, *vitare malo* eleganter. TAUBM. — Sic *vitare verbo*, pro operam dare, ne hoc verbum audiss, Casin. II, 2, 35. « Vitent ancipiti infortunio », Pœn. prolog. 25. Dictum perinde, ut *malo cavere* sæpe apud nostrum. GRON.*

20. *Monstrat*, monet, quid reprehendendum sit. — *Si inperare poss.* Si modo habeat imperium, quo efficiat, quod nunc edicit. N.

21. *Ita nunc servitium 'st.* Ita est, tales nunc servi sunt. LAMB. — *Modus haberi.* Eos intra modestiæ fines continere nemo potest. *Haberi* hic pro « statui ». Eadem figura dixit Aul. III, 5, 14, « capere modum » pro « imponere ». N.

22. *Genium.* Cf. Capt. IV, 2, 99.

23. *Ita res subita 'st.* Nam res, de qua volo cum eo colloqui, moram non patitur, urget. N.

29. *Meæ.* Diversa sperant Phædromus et Curculio. Ille pecuniam ex Caria; hic parasitus mensam instructam. BOXHORN.

31. *Retine.* Conf. Casin. III, 5, 12. N.

PHÆDR. Viden' ut expalluit! datin' isti sellam, ubi adsidat, cito,
Et aqualem cum aqua? properatin' ocyus? CURC. Animo male 'st.
PHÆDR. Vin' aquam? CURC. Si frustulenta 'st, da obsecro, hercle, obsorbeam.
PHÆDR. Væ capiti tuo. CURC. Obsecro, hercle, facite ventum ut gaudeam.
PHÆDR. Maxume. CURC. Quid facitis, quæso? PALIN. Ventum. CURC. Nolo equidem mihi
Fieri ventulum. PHÆDR. Quid igitur vis? CURC. Esse, ut ventum gaudeam.
PHÆDR. Jupiter te dique perdant. CURC. Perii; prospicio parum,
Os amarum habeo, denteis plenos, lippiunt fauceis fame,
Ita cibi vacivitate venio laxis lactibus.
PHÆDR. Jam edes aliquid. CURC. Nolo, hercle, aliquid : certum quam aliquid mavolo.

33. *Et aqualem cum aqua*, ut quasi exanimato aquam offundat. Vide Milit. IV, 8, 22.

34. *Frustulenta*. Frustis carnium efferta. TAUBM.

35. *Ventum ut*. Ambigue dictum est : vel, facite ventum sive *ventulum* : vel facite ut gaudeam ventum, id est, me venisse. Itaque mox subjicit, ut *ventum gaudeam*. TURN.— Dicit paullo post Curculio se nolle sibi *fieri ventulum*. *Ventulum* dixit potius quam, *ventum*, ut sic, sublata ambiguitate, intelligeretur planius quid vellet. BOXHORN. — Cf. Cistell. I, 1, 16. N.

37. *Esse*, ambigue, vel « esse mihi, unde gaudeam venisse », vel « edere ut gaudeam ». N.

39. *Os amarum habeo*. Medicæ artis placita, velut aliud agens, lepidissimus poeta inseruit. Cælius Rhodig. XIII, 24.— *Denteis plenos*. Ut illa quæ non exercentur, rubigine et situ mox obducuntur, et sic pleniora evadunt; acutiora autem, et subtiliora, quæ sunt in continuo exercitio, ut ferri acies; sic parasitus, qui diu dentes non exercuerat, sibi illos plenos esse et crassos, obtusosque, situque occupatos queritur. SALM. — *Lippiunt*. Jocosa et audaci translatione, famelici *fauces* dixit *lippire* : ex eo, credo, quod quum in fame os amarescat, salivaque concretior reddatur, et hærescat faucibus, dentibus, palato; et arenosa etiam quædam ore patente fila lentore suo deducat; lippitudinem oculorum imitari videtur. TURN.

41. *Nolo, hercle, aliquid*. Phæ-

PHÆDR. Imo si scias, reliquiæ quæ sint! CURC. Scire nimis lubet

Ubi sient; nam illis conventis sane opu'st meis dentibus.

PHÆDR. Pernam, abdomen, sumen, suis glandium. CURC. Ain' tu omnia hæc?

In carnario fortasse dicis. PHÆDR. Imo in lancibus;

Quæ tibi sunt parata, postquam sciimus venturum. CURC. Vide,

Ne me ludas. PHÆDR. Ita me amabit, quam ego amo, ut ego haud mentior.

Sed quo te misi, nihilo sum certior. CURC. Nihil adtuli.

PHÆDR. Perdidisti me. CURC. Invenire possim, si mihi operam datis.

dromus dixerat: *Jam edes aliquid;* idem est, ac si dixisset, *edes nescio quod.* Certum ergo quid mavult Curculio. BOXHORN.

42. *Imo si scias.* Figura qua non nominatas reliquias magnifice venditet, i. e. imo quanta lætitia tibi sit, si, etc. N.

43. *Illis conventis.* Conventionem, quam sermoni tribuere solemus, ad dentes suos dentientes per ridiculum accommodat, satis pol parasitice. Et alludit ad id, quod supra dixeral: « PH. Qui te conventum cupit ». DOUZA.

44. *Pernam*, etc. Ad hæc facit locus Plinii, Hist. Nat. VIII, 51: « hinc censoriarum legum pagina interdictaque cœnis abdomina, glandia, testiculi, vulvæ, sincipita verrina, ut tamen Publii (Syri), mimorum poetæ, cœna, postquam servitutem exuerat, nulla memoretur sine abdomine, etiam vocabulo suminis ab eo imposito. Placuere autem et feri sues. Jam Catonis censoris orationes apruguum exprobrant callum ». Cf. Captiv. IV, 3. LAMB.— *Ain' tu omnia hæc?* Vera dicis? omnia hæc parata mihi? N.

47. *Ita me amabit*, etc. Formula jurisjurandi eadem quæ « ita me amet ». Conf. Captiv. IV, 2, 97. N.

48. *Quo*, ablativo casu, id est, quare, cujus gratia. Cf. Aulul. III, 5, 15. Forsan legendum « quod », oh, secundum subaudito. N.

49. *Invenire possim.* Quod Lambin. de argento dictum videri cupit, ego de ipso Phædromo interpretor. At parasitus in diversum sensum objectionem illam retorquens, quasi Phædromus dixisset: *Amisisti me* (ambiguitas enim in verbo *perdidisti*): *possim*, inquit, *invenire te*, *si mihi operam addere volueris:* non aliovorsum, quam ad perditarum rerum, quibus recipiendis satagere solemus, fortuitam recuperationem respiciens. Quo etiam referenda, quæ sequuntur: « PH. Perdis me tuis dictis. CU. Imo servo et servatum volo ». DOUZA.

Postquam tuo jussu profectus sum, perveni in Cariam.
Video tuum sodalem, argenti rogo uti faciat copiam.
Scires velle gratiam tuam; noluit frustrarier:
Ut decet velle hominem amicum amico, atque opitularier,
Respondit mihi paucis verbis, atque adeo fideliter,
Quod tibi est, item sibi esse magnam argenti inopiam.
PHÆDR. Perdis me tuis dictis. CURC. Imo servo, et servatum volo.
Postquam mihi responsum 'st, abeo ab illo mœstus ad forum
Me illo frustra advenisse: forte adspicio militem;
Adgredior hominem, saluto adveniens. Salve, inquit mihi;
Prehendit dextram, seducit, rogat quid veniam Cariam.
Dico me illo advenisse, animi causa: ibi me interrogat,
Ecquem in Epidauro Lyconem trapezitam gnoverim?
Dico me gnovisse: quid lenonem Cappadocem? annuo
Visitasse. Sed quid eum vis? Quia de illo emi virginem
Triginta minis, vestem, aurum: et pro iis decem coadcedunt minæ.
Dedisti tu argentum, inquam? Imo apud trapezitam situm 'st,

52. *Scires velle gratiam tuam.* Si responsum audisses, inde cognoscere potuisses eum cupere ut amicitiam tuam demereatur. Cf. III, 1, 56. N.

53. *Velle*, bene volentem esse. N.

54. *Atque adeo fidel.* Atque etiam fide bona. N.

55. *Inopiam.* Vide qua arte lusor lepidus producta quatuor versibus oratione cupientis animum suspensum exspectatione teneat, quæ ultimo demum verbo fallitur non sine derisu spectantium. N.

60. *Prehendit dextram.* Comitatis et benevolentiæ indicium maxime apud Græcos. LAMB. — *Cariam*, pro in Cariam.

61. *Animi causa.* Cf. Asin. III, 1, 38. N.

62. *Ecquem Lyc.* an Lyconem. Cf. Casin. II, 5, 11. N.

63. *Quid*, an. N.

65. *Et pro iis.* Triginta minas pro virgine ipsa pactus sum et decem insuper pro illius veste et aurario ornatu (cf. Aulul. III, 5, 26). N.

66. *Apud trapezitam situm'st.* Solebant Veteres nummos suos non eos solum, quos aliis debebant, sed et quos nulli debebant apud trapezitas collocare. LAMB.

Illum quem dixi Lyconem; atque ei mandavi, qui anulo meo
Tabulas obsignatas adtulisset, ut daret operam,
Ut mulierem a lenone cum auro et veste abduceret.
Postquam hoc mihi narravit, abeo ab illo: revocat me inlico,
Vocat ad cœnam; religio fuit, denegare nolui.
Quid si adeamus, ac decumbamus, inquit? Consilium placet.
Neque diem decet me morari, neque nocti nocerier.
Omnis res parata'st, et nos, quibus paratum 'st, adsumus.
Postquam cœnati atque adpoti, talos poscit sibi in manum.
Provocat me in aleam, ut ego ludam: pono pallium.
Ille suum anulum obposuit: invocat Planesium.
PHÆDR. Meosne amores? CURC. Tace parumper: jacit voltorios quatuor.
Talos adripio, invoco almam meam nutricem Herculem.

67-9. *Atque ei ... abduceret.* Ordo est: et ei maodavi, ot faceret, nomerata scilicet pecuuia, ut is qoi tabulas ei attulisset, posset abducere a lenone virginem. N.

71. *Religio fuit.* Verba sunt, parasiti significantis *se* (ut vulgi verbis otar) *conscientiam fecisse*, si homo ipse parasitus ad cœnam vocatos non iret. BUD. — Vide Merc. act. V, 2, 40. Tereot. Heaut. II, 1, 16, « religio est dicere ». N.

73. *Me morari.* Etiamsi adhuc nimis tempori esset, tamen parasiticæ disciplinæ professorem nòn decebat, ut diem moraretur, quo minos luce cœnaret, neque volebat nimis tarde cœnando nocti noceri, qoæ, qoo magis dies produceretur, eo deminota magis esset. LAMB.

75. *In manum* dari. Cf. Bacch. IV, 5, 9. N.

76. *Pono pallium*, tamquam pignus, fortasse quia nummos non habebat; cui miles *opposuit annulum.* LAMB.

77. *Invocat Plan.* Cf. Asin. IV, 1, 35; Capt. I, 1, 5. N.

78. *Voltorios quatuor.* Quatuor talis ludebant; omnes, milite jaciente, qua facie volturius erat, steterunt. Quæ pessima alea foit. N.

79. *Nutricem Herculem.* Multi qoos offendebat masculioum femiuino additum uomen, hunc locum mutari voluere, qoos inter ingeniosissimus Tan. Faber τῷ Herculem supponebat Ferculum, vere parasiticum uomen, ut alibi saturitatem. Sed talis figura in Plautino sermooe oon insolens præcipue faceliarum artificibus. Exemplo sit Trio. II, 4, 111, obi notrix appellatur ager. Curculionis hic jocos est pro-

Jacto basilicum; propino magnum poculum, ille ebibit:
Caput deponit, condormiscit: ego ei subduco anulum.
Deduco pedes de lecto clam, ne miles sentiat.
Rogant me servi, quo eam? me dico ire, quo saturi solent.
Ostium ubi conspexi, exinde me inlico protinam dedi.
PHÆDR. Laudo. CURC. Laudato, quando illud quod cupis, ecfecero.
Eamus nunc intro, ut tabellas consignemus. PHÆDR. Num moror?
CURC. Atque aliquid prius obtrudamus, pernam, sumen, glandium;
Hæc sunt ventri stabilimenta, pane et assa bubula,
Poculum grande, aula magna; ut satis consilia subpetant.
Tute tabellas consignato, hic ministrabit, ego edam.
Dicam quemadmodum conscribas: sequere me hac intro. PHÆDR. Sequor.

be scurrilis, quippe qui invocanti amatam mulierem et ipse nutricis invocatione respondeat. Cur autem præsertim Herculem invocet, si quæras; Hercules πολυφάγος præcipue in honore apud parasitos fuit et debuit esse. Quum opulenti homines decimas bonorum Herculi pollucerent, epulum populo dabatur, quo parasiti se invitabant plusculum; præterea inventis præerat, et parasiti semper quæsitum ibant quod esitarent. N.

80. *Jacto basilic.* Optimus sane fuit jactus basilicus, qui alio nomine venerius dicebatur. Quidquid egregium erat, basilicum laudabant. Cf. Trin. IV, 3, 23; Pers. V, 2, 25. N.

84. *Exinde me dedi*, abii. *Protinam.* Bacch. III, 1, 7. N.

87. *Obtrudamus*, in gulam. N.

88. *Stabilimenta.* Sic Horat. II, 3: « . . . accedat stomacho fultura ruenti ». BOXHORN. — *Pane.* Profert hunc versum Nonius, docens Veteres dixisse et *pane* in neutro genere; itaque hic recto casu positum est. LAMB.

89. *Ut satis*, etc. Curculio ejusdem loci atque ordinis fuit, atque is qui habebat in ventre confidentiam. Capt. IV, 2, 32. N.

90. *Hic*, Palinurus. N.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

LYCO, CURCULIO, LENO.

LYC. BEATUS videor; subduxi ratiunculam,
Quantum æris mihi sit, quantumque alieni siet.
Dives sum, si non reddo eis, quibus debeo:
Si reddo illis quibus debeo, plus alieni 'st.
Verum, hercle, vero quom belle recogito,
Si magis me instabunt ad prætorem, subferam.
Habent hunc morem plerique argentarii,
Ut alius alium poscant, reddant nemini:
Pugnis rem solvant, si quis poscat clarius.
Qui homo mature quæsivit pecuniam,
Nisi eam mature parsit, mature esurit.
Cupio aliquem emere puerum, qui usurarius

1. *Beatus videor.* Me credunt divitem. Cf. Pœn. I, 2, 90. Sic dicimus *un heureux du siècle.* — *Subduxi rat.* Cf. Capt. I, 2, 89.

3. *Dives sum, si non*, etc. Eamdem putat rationem, quam nostrate scena facetissimus Hispalensis tonsor; *Monsieur volt donc que, si je ne paye pas, c'est comme si je ne devais rien.* N.

6. *Ad prætorem*, apud præturem. Cf. Casin. II, 2, 21. — *Subferam*, me defendam, scilicet perjurio. N.

7. *Habent hunc morem*, etc. Conf. Casin. prol. 27. Bellum censorem, qui, quæ ipse facere parat, alios vituperat! N.

9. *Clarius poscat*, prosequens convicio flagitet. N.

10. *Qui homo mature.* Hunc locum Charisius lib. II ita explicat: « Qui homo tarde, id est, vix et ægre quæsiit pecuniam, nisi ei cito pepercerit, cito esurit ». Siquidem *mature* duplici sensu prolatum censet Charisius, primum tarde, dein celeriter. LAMB. — Sed oratio intelligi potest non adhibitu duplici et pugnanti sensu: « Qui maturavit lucrum facere, nisi parcere maturet, mature esurit ». Et arbitratur ille sic parcendum, ut debita non reddantur. N.

12. *Usurarius.* Id est parce parci hominis consilium. Nam quum opus illi sit ad negotia gerenda puero adjutore, eum vult emere ita quidem, ut usurarium, non proprium

Nunc mihi quæratur : usus est pecunia.
CURC. Nil tu me saturum monueris; memini et scio.
Ego hoc ecfectum lepide tibi tradam, tace.
Edepol, næ ego heic me intus explevi probe,
Et quidem reliqui in ventre cellæ uni locum,
Ubi reliquiarum reliquias reconderem.
Quis hic est, qui operto capite Æsculapium
Salutat? attat! quem quærebam : sequere me.
Simulabo quasi non gnoverim : heus tu ! te volo.
LYC. Unocule, salve. CURC. Quæso, deridesne me?
LYC. De coclitum prosapia te esse arbitror:
Nam ii sunt unoculi. CURC. Catapulta hoc ictum'st mihi
Apud Sicyonem. LYC. Nam quid id refert mea,
An aula quassa cum cinere ecfossus siet?
CURC. Superstitiosus hic quidem 'st, vera prædicat :
Nam illæc catapultæ ad me crebro conmeant.

habeat. Itaque non mancipio, sed conductitia tantum alieni servi opera utetur. N.

13. *Quæratur*, redondat post « emere », nam idem est quod « comparetur ». — *Usus est*. Conf. Bacch. IV, 4, 54. N.

14. *Nil tu me saturum*, ne me moneas. Verba sunt Curculionis ad Phædromum, et quidem ab eo discedentis, ac moniti, ut bene rem gereret. Dicit autem, saturum se officii non esse monendum ; parasiti enim iis, a quibus laute excepti sunt, omnino obstrictos se putant. BOXHORN.

15. *Tace*. Cf. I, 1, 84.

17. *Et quidem*, sic tamen. — *Cellæ uni locum*. Venter tam capax in multas cellas dividitur, quarum una adhuc remansit vacua et aperta. N.

18. *Reliquiarum reliquias*, videlicet reliquias, quibus Phædromus eum refecit, II, 3, 42, non totas deglutivit. N.

19. *Operto capite*. Cf. Amph. V, 1, 42. N.

20. *Sequere me*. Hæc ad servum comitem. N.

21. *Simulabo*, etc. Hæc secum simul et ad spectatores. N.

22. *Unocule*. Conf. Captiv. I, 1, 20. N.

24. *Nam ii sunt unoculi*. Sic enarrat quomodo ludat ex nocipiti. Siquidem coclites vocabantur, qui vivebant altero lumine orbi ; unoculos quisque audire potuit coeles, item atque gens illa Coclitum præclarissima. N.

25. *Nam quid*, quidnam. Conf. Amphitr. II, 1, 33. N.

27. *Superstitiosus*. Cf. Amph. I, 1, 167.

28. *Catapultæ*. Ergo *catapulta*

Adulescens, ob rempublicam hoc intus mihi
Quod insigne habeo, quæso, ne me incomities.
LYC. Licetne inforare, si incomitiare non licet?
CURC. Non inforabis me quidem : nec mi placet
Tuum profecto nec forum, nec comitium.
Sed hunc, quem quæro, conmonstrare si potes,
Inibis a me solidam et grandem gratiam.
Lyconem quæro trapezitam. LYC. Dic mihi
Quid eum nunc quæris? aut quojatis? CURC. Eloquar.
Ab Therapontigono Platagidoro milite.
LYC. Gnovi, edepol, nomen : nam mihi istoc nomine,
Dum scribo, explevi totas ceras quatuor.
Sed quid Lyconem quæris? CURC. Mandatum'st mihi,
Ut has tabellas ad eum ferrem. LYC. Quis tu homo es?
CURC. Libertus illius, quem omneis Summanum vocant.
LYC. Summane, salve; quî Summanus? fac sciam.
CURC. Quia vestimenta, ubi obdormivit ebrius,
Summano : ob eam rem me omneis Summanum vocant.

non solum tormentum, sed etiam telum est, ut infra V, 3. Turneb. XV, 1.

29. *Adulescens.* Eo nomine compellandi mos fuit, qui multis jam annis adolescentiam excesserant. Pseud. IV, 7, 38, 42; Menæchm. II, 2, 11, 15. — *Hoc intus mihi.* Qui hanc lectionem recipiunt, explicant « hoc insigne quod habeo in me; in ore meo ». Sed plerique rejiciunt, et conjecturas ingerunt alius aliam pro *intus*. Gruterus *incussum*, Acidalius *ictus*, Pareus *ulcus*, Salmasius *inustum*. N.

30. *Ne me incomities.* « Incomitiare, inquit Festus, significat tale convitium facere, pro quo necesse sit in comitium, hoc est, in conventum venire ». LAMB.

32. *Non inforabis.* Jocus ex ambiguo, alludens ad *Forum* et *Comitium*. Etiam Scaliger in Priap. monuit, *perforare*, περαίνειν, flagitiosum verbum esse. LAMB.

35. *Solidam*, integram, plenam. N.

37. *Quojatis*, recto casu, id est, unde venis? Cf. Menæchm. II, 2, 66. N.

40. *Dum scribo.* Dum ei per syngrapham, ob acceptam pecuniam caveo. TAUBM. — *Ceras*, tabellas rationum, in quibus perscribebantur creditorum et debitorum nomina. Indicat paginas. N.

43. *Illius* militis. — *Quem*, ego libertus quem, etc. N.

45. *Obdormivit ebrius*, si quis mecum bibit, vel si potum invenio. N.

46. *Summano. Summanus* deus est Manium summus (unde et dictus),

LYC. Alibi te meliu'st quærere hospitium tibi;
Apud me profecto nihil est Summano loci.
Sed istum, quem quæris, ego sum. CURC. Quæso, tune is es
Lyco trapezita? LYC. Ego sum. CURC. Multam me tibi
Salutem jussit Therapontigonus dicere,
Et has tabellas dare me jussit. LYC. Mihin'? CURC. Ita.
Cape, signum gnosce: gnostin'? LYC. Quidni gnoverim?
Clypeatus elephantum ubi machæra dissicit.
CURC. Quod isteic scribtum'st, id te orare jusserat,
Profecto ut faceres, suam si velles gratiam.
LYC. Concede, inspiciam quid sit scribtum. CURC. Maxume,
Tuo arbitratu, dum abferam abs te id quod peto.
LYC. Miles Lyconi in Epidauro hospiti suo
Therapontigonus Platagidorus plurimam
Salutem dicit. CURC. Meus hic est, hamum vorat.
LYC. Tecum oro, et quæso, qui has tabellas adferet
Tibi, ut ei detur, quam isteic emi virginem,
Quod te præsente isteic egi, teque interprete,

id est, *Pluto*, qui omnes avarissime rapit in suum thesaurum. Inde *summanare*, pro avide rapere et furari, Summani more, finxisse lepidum poetam Turnebus enarrat. Sed enarrationem Meursius absolvit, qui putat *summanare* dixisse Plautum pro *submanore*, id est, ὑποχείριον ποιεῖν: et ludere voluisse in alliteratione. Neque aliquis objiciat syllabarum quantitatem hoc non ferre; quippe quæ alia sit in *manes*, alia in *manus*. Jam hujusmodi confusionem ludicram vidimus Amph. II, 2, 91. N.

53. *Signum gnosce*. Cf. Amph. I, 1, 265; Bacch. IV, 6, 19. — *Quidni gn.* Certe agnosco. « Quidni » affirmatione ponitur. Cf. Asin. IV, 1, 46; Truc. IV, 2, 14. N.

54. *Ubi*. Scilicet signum in quo effigiatus est miles dissicens, etc. — *Dissicit*, pro dissecare, probum et antiquum verbum est. Lactant. II, 2: « Cape igitur cotem eamque novacula dissice ». GRON.

55. *Id te orare jusserot*, mihi mandaverat ut te orarem ut, etc. N.

56. *Profecto*, probe, omnino. Cf. Amph. V, 1, 48; Mostell. II, 1, 70. — *Velles gratiam*. Conf. II, 3, 52. N.

61. *Hamum vorat*. Haud absimilis ludificatio profertur, Bacch. IV, 6, 22. N.

62. *Tecum oro*. Amat Plautus sic loqui, pro vulgari, *oro te*. Conf. Asin. III, 3, 72; Rud. III, 4, 68; Pers. I, 3, 37; Casin. II, 5, 19, et III, 4, 5. GRONOV.

Et aurum, et vestem : jam scis, ut convenerit.
Argentum des lenoni, huic des virginem.
LYC. Ubi ipsus? cur non venit? CURC. Ego dicam tibi :
Quia nudius quartus venimus in Cariam
Ex India : ibi nunc statuam volt dare auream
Solidam faciundam ex auro Philippeo, quæ siet
Septempedalis, factis monumentum suis.
LYC. Quamobrem istuc? CURC. Dicam : quia enim Persas, Paphlagonas,
Synopeas, Arabas, Caras, Cretanos, Syros,
Rhodiam atque Lyciam, Perediam et Perbibesiam,
Centauromachiam, et Classiam Unomammiam,
Libyamque oramque omnem Conterebromiam,
Dimidiam partem nationum usque omnium
Subegit solus intra viginti dies.
LYC. Vah! CURC. Quid mirare? LYC. Quia enim in cavea si forent
Conclusi, itidem uti pulli gallinacei,
Ita non potuere uno anno circumirier.
Credo, hercle, te esse ab illo : nam ita nugas blatis.

— *Interprete*, iuternuutiu, couciliatore. N.

65. *Et aurum, et vestem.* Nota hujus uratiuuis hypallageu. Quæ appellatiuues recto casu verbo « detur » præire debereut, in quartum trahuntur verbu *emi*. N.

67. *Ubi ipsus?* quid ipse? Cunf. Bacch. II, 2, 11. N.

74. *Perediam*, etc. « Perediam et Bibesiam, inquit Festus, Plautus quum dixerit, intelligi voluit cupiditatem edendi et bibeudi ». Veuuste, ut uihil supra, *Perediam et Perbibesiam*, ut Provinciarum uomina cummeutus est. Classis vero Unimammia figura comica et fictione exercitum Amazonum significat : quum classia, i. e. *classis* exercitum declaret : et cuustet, ferramentu candeute alterutram sibi adussisse mammam Amazoues. Quin et *Centauromachia* joculariter hic Thessaliam significat, cujus ulim partem teuuisse Centauros e poetis nutissimum est. Et, « Libyamque uram umuem Conterebromiam », quum dicit, jocatur nuvatu verbu, significans umuem illam terram, quæ viui est ferax, eamque vocari ideo *Conterebromiam*, quod Bromium, hoc est, uvas cunterat. TURN.

82. *Te esse ab illo*, te ab illu missum, te illius libertum et nuntium esse. — *Ita nug. blat.* Cf. Amphit. II, 1, 79. N.

CURC. Imo etiam porro, si vis, dicam. LYC. Nihil moror.
Sequere hac; te absolvam, qua advenisti gratia.
Atque eccum video. Leno, salve. LEN. Di te ament.
LYC. Quid hoc, quod ad te venio? LEN. Dicas quid velis.
LYC. Argentum adcipias, cum illo mittas virginem.
LEN. Quid, quod juratus sum? LYC. Quid id refert tua,
Dum argentum adcipias? LEN. Qui monet, quasi adjuvat.
Sequimini. CURC. Leno, cave in te sit mihi mora.

83. *Porro dicam*, pergam dicere, ut ostentatoris meri vere parasitus. — *Nihil moror*. Conf. Captiv. prol. 16. N.

84. *Te absolv*. Faciam id cujus gratia venisti et te ista cura absolvam. N.

86. *Quid hoc*, etc. Idne ob quod ad te venio facies? N.

87. *Cum illo*, quem miles allegavit. N.

88. *Juratus sum*. Scil. me virginem Phædromo traditurum. LAMB.

90. *Mihi mora*. In hac comœdia, et hoc præsertim actu tertio, existimat Gulielm. Canterus nov. lect. lib. IV, cap. 10, aliquot scenas desiderari.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

CHORAGUS*.

Edepol, nugatorem lepidum lepide hunc nactu'st Phædromus.
Halophantam an sycophantam hunc magis esse dicam nescio.
Ornamenta, quæ locavi, metuo ut possim recipere.
Quamquam cum istoc mihi negoti nihil est : ipsi Phædromo
Credidi ; tamen adservabo : sed dum hic egreditur foras,

* *Choragus. Choragos* vocavere Græci eos, qui pecunia sua chorum conducebant et instruebant ; ac primitus χοραγὸς dicebatur, is qui erat vere ἡγεμὼν τοῦ χοροῦ : cujus erat officium, videre ne imperitia chori aut lascivia vetus musica corrumperetur, sed pura atque sincera servaretur. Casaub. — Apud Romanos choragus fuit, opinor, dux gregis histrionalis, qui quum inferiorum partium actores doceret et ipse primas ageret, curationem quoque comici instrumenti et ornamentorum, ab ædilibus præbitorum, gerebat suo periculo. Vid. Pers. I, 3, 79 ; Trin. I, 2, 16, et hac scena vers. 3. N.

2. *Halophantam.* Salmasius et cum eo multi, quibus est auctor Nonius, retinent halophantam, quam appellationem comice fictam probant, et interpretantur « maritimum sycophantam, prodeuntem habitu Thalassico, ut qui e Caria venerit hodieque. » Alii, Alciato præeunte, kalophantam, sc. pulchra loquentem ponunt. « Halophantam » lectio vera mihi videtur, sed quæ aliud, ni fallor, atque docti viri viderunt, præ se ferat. Nugatorium commentum ad analogiam nominis sycophantæ revocandum est, in quo Plautus præcipue paronomasia ludere voluit, et bis impostorem dicere jlocalariter, quum nescire videretur, utrum ob sal τὸν ἅλα an ob ficus τὰς συκᾶς quadruplator denominandus esset. Unde nomen sycophanta ortum, quis ignorat? N.

3. *Locavi*, illi commodavi. N.

Conmonstrabo, quo in quemque hominem facile inveniatis loco,
Ne nimio opere sumat operam, si quem conventum velit,
Vel vitiosum, vel sine vitio, vel probum, vel inprobum.
Qui perjurum convenire volt hominem, mitto in Comitium.
Qui mendacem et gloriosum, apud Cluacinæ sacrum.
Diteis damnosos maritos sub Basilica quærito.
Ibidem erunt scorta exoleta, quique stipulari solent.
Symbolarum conlatores apud forum piscarium.
In foro infimo boni homines, atque diteis ambulant.

6. *Quo in*, in quo.

7. *Sumat operam.* Scilic. quis vestrum. Boxhorn.

9. *Comitium.* Id est, ad puteal Libonis: quod ara fuisse videtur in comitio, in gradibus ipsis ad lævam Curiæ sita, in quam jurari solebat. Non sine causa perjuros dicit in comitio esse: nam in comitio, ubi jus dicebatur, erant litigiosi. Et *comitiales homines*, qui religionem jurisjurandi parum colere noverant. Turn.

10. *Apud Cluacinæ sacrum.* Aurelius Victor in foro romano ponit ædem Veneris Cloacinæ. Circa eam versatum, non enim habitasse, hunc indicat Plautus. Gron.—Vid. Plin. Hist. Nat. XV, 29: «Traditur myrtea verbena Romanos Sabinosque, quum propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis, purgatos in eo loco qui nunc signa Veneris Cluacinæ habet. Cluere enim antiqui purgare dicebant». Ibi occisa Virginia fuit a parente: «Seducit filiam ac nutricem prope Cloacinæ ad Tabernas, quibus nunc novis est nomen». Tit. Liv. III, 48. Pars ergo hæc fori procul e loco ubi tribunal Appii et vulgi corona. N.

11. *Damnosos*, divitiarum prodigos apud meretrices, ut videre est Asinaria, Menæchmis et alias. — *Basilica.* Cf. Capt. IV, 2, 35. N.

12. *Exoleta*, adulta. Vide Festum hac voce.—*Quique stipul. solent.* Et hoc fuisse genus male suadentium credibile est. Suetonius Vitellio: «Tum fœneratorum et stipulatorum publicanorumque, qui umquam se aut Romæ debitum, aut in via portorium flagitassent, vix ulli pepercit». Rud. V, 3: «Cedo quicum habeam judicem, ni dolo malo instipulatus sis». Gron. — Stipulatores omnis generis, omni negotio intervenire possunt. Credo hoc loco non rei nummariæ, imo venereæ stipulationem significari. Ergo sunt lenones. N.

13. *Symbolarum.* Inde collativæ cœnæ. Cf. II, 1, 16. N.

14. *Foro infimo*, ubi argentarii. Cf. Hor. Epist. I, 1, 52. — *Boni homines.* Bonitatis notio hæc non ad animum, sed ad divitias spectat, ut in illo Ciceronis: «Prætores jus dicunt, ædiles ludos parant, viri

In medio propter Canalem, ibi ostentatores meri.
Confidenteis, garrulique, et malevoli supra lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,
Et qui ipsi sat habent, quod in se possit vere dicier.
Sub Veteribus, ibi sunt qui dant, quique adcipiunt fœnore.
Pone Castoris, ibi sunt, subito quibus credas male:
In Tusco vico, ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.
In Velabro vel pistorem, vel lanium, vel aruspicem,
Vel qui ipsi vortant, vel qui, alii ut subvorsentur, præbeant.
Diteis damnosos maritos apud Leucadiam Oppiam.

boni usuras præscribunt ». Ad Att. IX, 12. Hinc ejusdem lusus: « quemcumque.... casum subeam potius cum iis qui dicuntur esse boni... etsi propediem video bonorum, id est, lautorum et locupletium urbem refertam fore ». Ibid. VIII, 1. Cf. Capt. III, 4, 51. N.

15. *Canalem.* « Canalicolæ forenses, homines pauperes dicti: quod circa canalem fori consisterent ». Fest. — Ad quod Scaliger: *Canalicolas forenses* vocat, ut etiam Græci ἀγγραίους, id est, χυδαίους. Ern. — Nempe ii homines, qui melioris, quam erant, conditionis videri vellent, plebes ventosa. Ibi et parasiti, quorum e numero is quem Gellius narrat IV, 20: « Cavillator quidam et canalicola et nimis ridicularius fuit ». N.

16. *Supra lacum* Curtium, quem Aurelius Victor in octava regione ponit. Gron.

17. *De nihilo*, immeritam, injustam. N.

19. *Sub Veteribus.* Hæ Veteres in foro tabernæ consistebant. — *Qui dant*, etc. De privatis fœneratoribus hoc est intelligendum. Sequitur de publicis: « Pone Castoris, etc. » Salm. — Cf. Asin. II, 4, 22. N.

20. *Ibi sunt*, etc. Hoc de argentariis sive trapezitis, accipi debet, quos ubique eo nomine vellicat Plautus, quasi male iis credatur. Salm.

21. *In Tusco vico.* Cf. Cistell. II, 3, 20. N.

22. *Velabro.* Cf. Captiv. III, 1, 29. N.

23. *Vel qui ipsi vortant*, vendant merces, vel qui præbeant e fundis suis fruges, pecora, aliaque mercimonia aliis, scilicet institoribus, negotiatoribus, ut mercaturam illi faciant inferiores, vicarii. Hæc intelligit Amph. prol. 1. N.

24. *Diteis*, etc. Docti hunc aliena manu insitum versum suspicantur haud frustra, quippe quam repetitionem illepidam lepidus poeta non admisisset. N. — *Leucadium Oppiam.* *Leucadiam Oppiam* quum dicit, opinor, domum intelligit Libertæ Oppiorum, quæ *Leucadia* vocabatur, in foroque habitabat: ad quam damnosi et nequam mariti plerumque divertebant. Certe in illa Urbis regione erat Oppiorum domus. Turn.

Sed interim foreis crepuere: linguæ moderandum 'st mihi.

SCENA SECUNDA.

CURCULIO, CAPPADOX, LYCO.

CURC. I tu præ, virgo; non queo, quod pone me est, servare.
Et aurum, et vestem omnem suam esse aibat, quidquid hæc haberet.
CAPP. Nemo it infitias. CURC. Attamen meliusculum 'st monere.
LYC. Memento promisisse te, si quisquam hanc liberali
Causa manu adsereret, mihi omne argentum redditum iri,
Minas triginta. CAPP. Meminero; de istoc quietus esto.
Et nunc idem dico. CURC. Et conmeminisse ego hæc volam te.

25. *Foreis crepuere.* Conf. Aulul. IV, 5; 5. N.

2. *Aibat* miles. N.

4. *Memento prom.* etc. Non assentior iis, qui admonitionem istam de evictione promissa, non Lyconi, sed Curculioni tribuunt, ea ratione, quasi nihil ad Lyconem pertineret. Sed hoc potius est. Stipulatio illa a Milite facta fuerat præsente Lycone, ut apparet infra, V, 8. Et quia Lyco pecuniam nomine Militis numerare debebat, ideo stipulatus fuerat Miles, si virgo manu adsereretur, lenonem aut sibi aut Lyconi tanquam Militis negotiorum gestori, pecuniam reddere debere. Fuit itaque Lyco tanquam *adjectus* solutioni, ut JCti loquuntur. Ideo recte et caute loquitur Lyco. Non dicit *sibi* promissum, sed in genere *promissum* (scil. Militi stipulanti), pecuniam *mihi* (tanquam adjecto) redditum iri. Et ideo ait, *sibi redditum iri*, quia numeraverat; quod de Curculione dici non potest. Hic planiss. sensus est: et ita recte sequitur id, quod Curculio subjungit: « Et meminisse hæc ego volam te ». Quibus verbis Curculio id, quod quidem antea ignoravit, callide tamen arripit, quasi pro Milite sollicitus, quum suum ipse potius negotium gerat. PISTOR.

5. *Liberali Causa manu adsereret.* « Liberali causa aliquem manu asserere », significat, in judicio hominem liberum, qui in servitute est, defendere, vindicare ex servitute in libertatem, seu manu alieni, qui in servitute est, injecta apud prætorem hæc verba pronuntiare: « Hunc ego ex jure Quiritum liberum esse aio ». GRON.*

CAPP. Memini, et mancupio tibi dabo. CURC. Egon' ab lenone quidquam
Mancupio adcipiam? quibus sui nihil est, nisi una lingua,
Quî abjurant, si quid creditum'st: alienos mancupatis,
Alienos manumittitis, alienisque inperatis.
Nec vobis auctor ullus est, nec vosmet estis ulli.
Item genus est lenonium inter homines, meo quidem animo,
Ut muscæ, culices, pedesque, pulicesque,
Odio et malo et molestiæ; bono usui estis nulli.
Nec vobiscum quisquam in foro frugi consistere audet.
Qui constitit, culpant eum, conspuitur, vituperatur;
Eum rem fidemque perdere, tametsi nihil fecit, aiunt.
LYC. Edepol, lenones, meo animo, gnovisti, lusce, lepide.
CURC. Eodem, hercle, vos pono et paro: parissumi estis iibus.
Hi saltem in obcultis locis prostant, vos in foro ipso.
Vos fœnore, hi male suadendo et lustris lacerant homines;
Rogitationes plurimas propter vos populus scivit,

8. *Mancupio tibi dabo.* Qui alteri quidquam mancupio tradit, ita dat quasi suum: ut accipientis illico faciat, dominiumque transferat pure atque in perpetuum, hoc est, sine diei atque conditionis adjectione. GRONOV.*

10. *Abjurant. Abjurare* est rem alienam perjurio negare, ait Servius ad illud Æn. VIII, 263: «...abjuratæque rapinæ». Quanquam hujus explicatio huic potius loco convenit, quam Virgiliano. ERN. — *Alienos*, qui vestri legitime non sunt, sed furto dicuntur. N.

12. *Auctor. Auctor* is est, qui rem suo periculo vendit: unde *auctoritas* pro evictione apud Venuleium et Paullum JC. BOSIUS.

14. *Ped. pulicesque.* En urbanitatis tum romanæ specimen. Sic Andronicus: «Pulicesne, an cimices, an pedes, responde mihi». N.

16. *Consistere.* Cf. Aul. I, 2, 38.

20. *Vos.* Trapezitas, Trinum. II, 4. — *Iibus*, prisce pro iis. Cf. Mil. I, 1, 74; Trucul. I, 2, 14. — *Pono et paro*, eodem loco et ordine habeo. Senec. ep. 108, «una ponere morbos et senectutem» dixit. Val. Maxim. III, cap. ult. ext. 5: «Amicos inimicosque juxta ponere». GRON.*

23. *Rogitationes*, etc. Sæpe ad seditionem fœneratorum sævitia populum compulit. Hinc secessio in Aventinum, hinc in Janiculum. Nulla lege ante decemviros fœnus

Quas vos rogatas rumpitis; aliquam reperitis rimam.
Quasi aquam ferventem, frigidam esse, ita vos putatis leges.
LYC. Tacuisse mavellem. CAPP. Au! male meditate male dicax es.
CURC. Indignis si male dicitur, maledictum id esse dico;
Verum si dignis dicitur, benedictum 'st, meo quidem animo.
Ego mancupem te nihil moror, nec lenonem alium quemquam.
Lyco, numquid vis? LYC. Bene vale. CURC. Vale. CAPP. Heus tu, tibi ego dico.
CURC. Eloquere, quid vis? CAPP. Quæso ut hanc cures, bene ut sit isti.
Bene ego istam eduxi meæ domi et pudice. CURC. Si hujus miseret,
Ecquid das, quî bene sit? CAPP. Malum. CURC. Tibi opus 'st hoc, quî te procures.

compescebatur. Hi unciarium sanxere. Deinde anno U. C. 397, renovata ea lex. Et anno 407 ad semunciarias redactæ sunt usuræ. Denique omnino vetita versura anno 412: sed nimis favendo pauperibus ipsos perdidere. Namque in avarissima civitate quis gratuitam pecuniam locare voluisset? Ideo pecunia egentibus eo majore pretio mutuo sumpta venibat, quod creditores legis fraudatæ periculum adibant. N.

25. *Quasi aquam*, etc. Ut enim aquam ferventem, quamdiu fervet, nemo tangere audet: ubi refrixit, nemo tangere dubitat: ita leges, primum latæ, valent et metuuntur; quum tempore obsolescunt, et negliguntur. LAMB. — *Quasi aquam*, etc. Vos putatis quasi aquam ex ferventi frigidam fieri, ita leges ex ti-mendis negligendas. Haud semel Plautus ridicularios homines severa edisserentes induxit. Conf. Pers. I, 2. N.

26. *Male meditate*, cum mala diligentia. *Meditate* est scienter, more hominis exercitati. Cf. Bacch. III, 6, 16; Mil. gl. I, 1, 40. N.

29. *Mancupem*, auctorem, id est, cujus auctoritate mea verba firmentur, qui meis verbis asseras fidem. N.

30. *Numquid vis?* Cf. Aulul. II, 1, 53. N.

31. *Bene sit.* Cf. Casin. II, 3, 37. N.

32. *Eduxi. Educare* ad corpus: *educere* ad ingenium pertinet. LAMB.

33. *Ecquid das.* Nonne vis ipse sumptum suppeditare, ne isti desit quidquam? — *Malum.* Imprecatio, quam retorquet in eum Curculio:

CAPP. Quid stulta ploras? ne time, bene, hercle, vendidi ego te.
Fac, sis, bonæ frugi sies : sequere istum bella belle.
LYC. Summane, numquid nunc jam me vis? CURC. Vale atque salve,
Nam et operam et pecuniam benigne præbuisti.
LYC. Salutem multam dicito patrono. CURC. Nunciabo.
(abit cum virgine.)
LYC. Numquid vis, leno? CAPP. Istas minas decem, quî me procurem,
Dum melius sit mihi, des. LYC. Dabuntur : cras peti jubeto. (abit.)
CAPP. Quando bene gessi rem, volo heic in fano supplicare.
Nam illam minis olim decem puellam parvolam emi.
Sed eum qui mihi illam vendidit, nunquam postilla vidi.
Periisse credo. Quid id mea refert? ego argentum habeo.
Quoi homini Dei sunt propitii, lucrum ei profecto objiciunt.
Nunc rei divinæ operam dabo : certum'st bene me curare.
(abit.)

SCENA TERTIA.

THERAPONTIGONUS, LYCO.

THER. Non ego nunc mediocri incedo iratus iracundia,
Sed eapse illa, qua excidionem facere condidici oppidis.

• Hoc (scilic. malo) te curari decet •. N.

34. *Bene vendidi.* Duplex sensus. Bene te locavi, et bene mihi venditori. Cf. infra v. 41. N.

35. *Sis.* Conf. Amphitr. II, 1, 38. N.

39. *Minas decem.* Minas triginta dederat Lyco lenoni pro virgine, restabant *decem* pro auro et veste. Lamb. — *Quî.* Cf. Aul. III, 5, 28.

40. *Dum melius sit mihi.* Donec, ut melius me habeam. N.

46. *Bene me curare*, etc. His non consequentia videntur ea : nunc rei, etc. et tamen sunt, more Veterum, qui sacro facto de victima epulabantur. Conf. Amph. III, 3, 13. N.

1. *Non ego.* Cf. Bacch. IV, 8, 6.

Nunc nisi tu mihi propere properas dare jam triginta minas,
Quas ego apud te deposivi, vitam propera ponere.
LYC. Non, edepol, nunc ego te medioeri macto infortunio,
Sed eopse illo, quo mactare soleo, quoi nihil debeo.
THER. Ne te mihi facias ferocem, aut subplicare censeas.
LYC. Nec tu me quidem unquam subiges, redditum ut reddam tibi,
Nec daturus sum. THER. Idem ego istuc quom credebam, credidi
Te nihil esse redditurum. LYC. Cur nunc a me igitur petis?
THER. Scire volo quoi reddidisti. LYC. Lusco liberto tuo;
Is Summanum se vocari dixit, eii reddidi,
Qui has tabellas obsignatas adtulit. THER. Quas tu mihi tabulas?
Quos tu mihi luscos libertos? quos Summanos somnias?
Nec mihi quidem libertus ullu'st. LYC. Facis sapientius,
Quam pars latronum, libertos qui habent, et eos deserunt.
THER. Quid fecisti? LYC. Quod mandasti, feci tui honoris gratia;

4. *Deposivi*, vetus pro *deposui*: utitur et Catullus.

5. *M. inf.* Cf. Amph. IV, 2, 14.

7. *Subplicare*, me tibi. Vid. Bacchid. IV, 8, 63. N.

9. *Credebam, credidi.* Lusus in duplici sententia « quum tibi pecuniam commisi, existimavi, etc. » N.

13. *Tabulas.* Si vera est scriptura, de quo dubito, pronuntiandum κατὰ συγκοπὴν, *tablas*. De qua scriptura, etsi alias etiam facio conjecturas, hæc tamen est præcipua: *tabellas* aliquem adscripsisse explentem sensum: Plautum autem fecisse κατ' ἔλλειψιν, *quas tu mihi?* nimirum *tabellas*. CAMER.

14. *Quos tu mihi.* Lyco usus erat numero singulari. Miles autem eadem nomina ponit in plurali. Notat hoc Donatus ad id Terent. Adelph. *turbas*, *lampadas*, *tibicinas*, his verbis: « Bene totum pluraliter, ut qui reprehendit ». Sic Plautus multa, « Quas tu mihi, etc. » LAMB.

16. *Latronum.* Eo nomine vocabantur milites conductitii, custodes regum. « Latrones jussa facessunt » apud Ennium, Annal. Cf. Mil. gl. I, 1, 76. Schmiederus velit « patronum », i. e. patronorum, ita ut sententia generalitatem majorem complectatur. N.

17. *Tui h. gr.* Amph. III, 1, 7.

Tuum qui signum ad me adtulisset, nuncium ne spernerem.
THER. Stultior stulto fuisti, qui iis tabellis crederes.
LYC. Quîs res publica et privata geritur, nonne iis crederem?
Ego abeo: tibi res soluta 'st: bellator, vale.
THER. Quid valeam? LYC. At tu ægrota, si lubet, per me, ætatem quidem. (abit.)
THER. Quid ego nunc faciam? quid refert me fecisse regibus,
Ut mihi obedirent, si hic me hodie umbraticus deriserit?

SCENA QUARTA.

CAPPADOX, THERAPONTIGONUS.

CAPP. Quoi homini dii sunt propitii, ei non esse iratos puto.
Postquam rem divinam feci, venit in mentem mihi,
Ne trapezita exulatum abierit, argentum ut petam;
Ut ego potius comedim, quam ille. THER. Jusseram salvere te.
CAPP. Therapontigonoplatagidore, salve: salvos quom advenis
In Epidaurum, heic hodie apud me nunquam delinges salem.

20. *Quîs res publica*, etc. Etenim omnes res tum publicæ tum privatæ fiducia scripturæ et obsignationis geruntur. N.

22. *Ætatem*. Conf. Asin. II, 1, 10. N.

24. *Umbraticus*. Homo in umbra educatus et ignavus; non sub dio, et strenuus. Trucul. dicitur *Umbraticola*. Vid. ibid. II, 7, 48. N.

3. *Ne trapezita*, etc. Venit in mentem jam nunc repetendas a trapezita decem minas, ne forte, si in crastinum distulerim, fallens abierit. N.

4. *Jusseram*, præteritum pro præsente est iræ ferventis. N.

6. *Delinges salem*. Nedum ut *cœna adventitia* tibi detur. Jam *salem lingere*, dicuntur, qui perquam tenuiter victitant. Nam apud Veteres in tenuiorum cœnis, salem loco cibi

THER. Bene vocas : verum vocata res est, ut male sit tibi.
Sed quid agit meum mercimonium apud te? CAPP. Nihil apud me quidem.
Ne facias testeis; neque equidem debeo quidquam. THER. Quid est?
CAPP. Quod fui juratus, feci. THER. Reddin', an non, virginem,
Priusquam te huic meæ machæræ objicio, mastigia?
CAPP. Vapulare ego te vehementer jubeo : ne me territes.
Illa abducta 'st; tu abferere hinc a me, si perges mihi
Male loqui profecto : quoi ego, nisi malum, nihil debeo.
THER. Mihin' malum minitare? CAPP. Atque, edepol, non minitabor, sed dabo,
Mihi si pergis molestus esse. THER. Leno minitatur mihi?
Meæque pugnæ præliareis plurimæ obtritæ jacent?
At ita me machæra et clypeus

fuisse notum est. Sali acetum noster addit in Rud. IV, 2. LAMB.— Cf. Bacch. III, 6, 8. N.

7. *Bene vocas*, gratias ago quod me vocas ad cœnam. Locutio respondentium vocationi, hic usurpata ironicôs. Pari figura illi « benefacis ». Cf. supra II, 2, 22. N. — *Vocata res est.* Sic Sticho, III, 3, 18, *vocata est opera.* Est formula excusandi se apud invitantem, quod jam alii promiseris. GRONOV.* — *Ut*, ita ut, i. e. precor igitur male sit tibi! N.

8. *Quid agit.* Conf. Aulul. I, 1, 39. N.

9. *Ne facias testeis.* Si quis in re dubia aut unde lis oriri posset, audiebat adversarium imprudenter dicentem, quo convinceretur aut teneretur, præsentes aut subito prætereuntes appellabat, meminissent hoc ab isto dictum, inque eam rem, ubi opus foret, testimonium perhiberent. Repentinum hoc erat, et nullus locus subornandis. Terent. Adelph. II, 1, 49 : « Ubi me dixero dare tanti, testes faciet illico vendidisse me ». Noli sperare verbis me abs te circumventum iri, ut si quid ambiguum dixero, tu arreptum id appellatis testibus mandes. GRON.

12. *Vapulare ego te vehementer*, etc. Conf. Asin. II, 4, 72. — *Ne me territes.* Conf. Bacchid. IV, 8, 44. N.

13. *Abferere.* Conf. Amph. I, 1, 202. N.

17. *Pugnæ præliareis* per emphasim dictum et ridicularie quidem. Sic fallaciæ falsidicæ, memoriter meminisse et multa hujuscemodi. — *Obtritæ*, contemptæ, quasi proculcatæ. N.

18, 19. *Ita me machæra*, etc. *ut ego te faciam*, etc. *nisi redditur*, etc.

Bene juvent pugnantem in acie : nisi mihi virgo redditur,
Jam ego te faciam ut heic formicæ frustillatim disferant.
CAPP. At ita me volsellæ, pecten, speculum, calamistrum meum
Bene me amassint, meaque axicia, linteumque extersui;
Ut ego tua magnifica verba, neque istas tuas magnas minas
Non pluris facio, quam ancillam meam, quæ latrinam lavat.
Ego illam reddidi, qui argentum a te adtulit. THER. Quis is est homo?
CAPP. Tuum libertum sese aibat esse Summanum. THER. Meum?
Attat! Curculio, hercle, verba mihi dedit, quom cogito.
Is mihi anulum subripuit. CAPP. Perdidistin' tu anulum?
(secum.)
Miles pulchre centuriatus est expuncto in manipulo.
THER. Ubi nunc Curculionem inveniam? CAPP. In tritico facillume

Jurisjurandi formula militi accommoda. Sic Parasitus : « Ita me saturitas, etc. » Ceteri, vulgus hominum : ita me dii ament, etc. Conf. Bacch. I, 2, 3. N.

20. *Frustillatim.* Vide Bacch. IV, 8. Lamb. autem : *Ut hinc formicæ.* SCRIVER.

21. *Volsellæ*, a verbo *vellere*, instrumentum, quo pilos radicitus e corpore exstirpant : τριχολαβεῖς. EaN.

22. *Extersui.* Vulg. « extersum » haud ita prompto sensu. Commode ad orationem et versum sic restituit J. Palmerius, auctore Varrone, lib. IV : « prius induitui aut amictui habent », et Tacit. Germ. « potui humor ex hordeo... corruptus ». Ea sunt instrumenti meretricii, quod ad cultum corporis munditiasque pertinet, omnia nomina. N.

29. *Centuriatus est.* Centuriatus miles dicitur, in centuria adscriptus. At facete et suo sale comicus dicit eum centuriatum esse in expuncto manipulo, id est, adscriptum esse manipulo exauctorato, et a militia dimisso. SALM. — *Expuncto in manipulo.* Quemadmodum *lecti milites* in tabulas et codices (vocant *Pittacia*, *Breves*, *Laterculum*, *Matriculam*) referebantur et scribebantur, ita delebantur *non milites et rejecti*, quo respexit Plautus. Et explicavit Scholiastes vetus in hoc Persii : « Proximus expungam. Tractum a militibus, qui expuncti dicuntur, dum foras a militia emittuntur ». Solebant et mortuos ibi notare, et *Theta* suum affigere. LIPSIUS.

30. *In tritico.* Alludit ad curcu-

Vel quingentos curculiones pro uno faxo reperias.
Ego abeo : vale atque salve. THER. Male vale; male sit tibi.
Quid ego faciam? maneam an abeam? siccine mihi esse os oblitum?
Cupio dare mercedem, qui illunc, ubi sit, conmonstret mihi.

lionem, qui vermis est, frumenta exinaniens, ut Varro ait, Græcis κίς. Virg. Georg. I, 186 : « ... populatque ingentem farris acervum Curculio ». LAMB.

31. *Faxo*. Capt. III, 5, 31. Alii « reperies ». Asin. I, 2, 5. N.

33. *Os oblitum*. Captiv. III, 4, 124. N.

34. *Illunc*, illum, Curculionem.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

CURCULIO.

ANTIQUOM poetam audivi scribsisse in tragœdia:
Mulieres duas pejores esse, quam unam: res ita 'st.
Verum mulierem pejorem, quam hæc amica 'st Phædromi,
Non vidi, neque audivi, neque, pol, dici, nec fingi potest
Pejor, quam hæc est: quæ ubi me habere hunc conspicata 'st anulum,
Rogat unde habeam: quid id tu quæris? quia mihi quæsito 'st opus.
Nego me dicere: ut eum eriperet, manum adripuit mordicus.
Vix foras me abripui, atque ecfugi: apage istanc caniculam.

1. *Antiquom poetam*, etc. Totius hujus loci hæc sententia est; omnis mulier mala est, Πᾶσα γυνὴ χολός ἐστι, ut est in veteri epigrammate. Duas igitur mulieres pejores una esse, rectissime olim dictum est. Malum quippe malo addito augetur. At ego in una Phædromi amica, quidquid malorum singulæ mulieres divisum tenent, conjunctum inveni. BOXHORN.

5. *Quæ ubi me... hunc.* Ab hoc loco initium capit ἀναγνωρισμὸς, id est, agnitio. LAMB.

SCENA SECUNDA.

PLANESIUM, PHÆDROMUS, CURCULIO, THERAPONTIGONUS.

PLAN. Phædrome, propera. PHÆDR. Quid properem? PLAN. Parasitum ne amiseris.
Magna res est. PHÆDR. Nulla 'st mihi : nam, quam habui, adsumsi celeriter.
PLAN. Tene. PHÆDR. Quid negoti 'st? PLAN. Rogita, unde istunc habeat anulum :
Pater istum meus gestitavit. CURC. At mea matertera.
PLAN. Mater ei utendum dederat. CURC. Pater tuus rursum tibi.
PLAN. Nugas garris. CURC. Soleo : nam propter eas vivo facilius.
Quid nunc? PLAN. Obsecro, parenteisne meos mihi prohibeas?
CURC. Quid? ego sub gemman' abstrusos habeo tuam matrem et patrem?
PLAN. Libera ego sum gnata. CURC. Et alii multi, qui nunc serviunt.
PLAN. Enimvero irascor. CURC. (ad Phædromum.) Dixi equidem tibi, unde ad me hic pervenerit.
Quotiens dicendum 'st? elusi militem, inquam, in alea.
THER. Salvos sum; eccom, quem quærebam. Quid agis, bone vir? CURC. Audio.

1. *Amiseris.* Bacch. IV, 9, 40. N.

2. *Nulla 'st.* Jocus ex ambiguo, in voce *res*, quam illa negotium magni momenti interpretatur, hic fortunas et rem familiarem. LAMB. — *Adsumsi*, consumpsi. N.

5. *Mater* ejus. N.

10. *Dixi*, etc. Vid. II, 3, 81. N.

12. THERAP. In nostratibus comœdiis nova scena esset, superveniente nunc milite. — *Quid agis?* Aulul. I, 2, 39. — *Audio.* Locutio assentientis vel serio, vel per ironiam, ut hoc loco, et Ter. Phorm. I, 3, 8, simul videtur respondere τῷ *quid agis*. N.

Si vis tribus bolis, vel in chlamydem. THER. Quin tu is in malam crucem
Cum boletis, cum bulbis : redde etiam argentum, aut virginem.
CURC. Quod argentum, quas tu mihi tricas narras? quam tu virginem
Me reposcis? THER. Quam ab lenone abduxti hodie, scelus viri.
CURC. Nullam abduxi. THER. Certe eccistam, video. PHÆDR. Virgo hæc libera 'st.
THER. Mean' ancilla libera ut sit? quam ego nunquam emisi manu.
PHÆDR. Quis tibi hanc dedit mancupio? aut unde emisti? fac sciam.
THER. Ego quidem pro istac rem solvi ab trapezita meo.

13. *Tribus bolis*. Id est, talorum jactibus certemus. Vide Rudent. II, 3, 30. — *Vel*, etiam, quoque. — *In chlamydem* tuam; ea militi vestis, cæteris pallium. Provocatio, quæ ridiculo acri animum militis vulneret, siquidem frustrationis recentissimæ refricet dolorem. — *Quin tu is*, i. e. ito. Figura imperandi. Terent. Adelph. IV, 1, 17, « quin tu otiosus es ». Ibid. 2, 4, « quin tu animo bono es ». — *In mal. crucem*. Aulul. III, 3, 11. N.

14. *Cum boletis*. Jocus stomachantis militis ex annominatione. Est autem, *boletus*, species fungi, solus innocuus, βωλίτης. *Bulbus*, radix rotunda tunicata. LAMB.

15. *Quod argentum*, etc. Partem hanc diverbii confusis personarum nominibus librarii fœde conturbarunt; itaque vulgatæ non acquiescendum censui, qua sententiæ non probabiliter procedere videntur. Namque verine simile est militem Phædromo hæc dicere « abduxti hodie, scelus viri? » Res illi est cum Curculione. Curculionem persequitur. Curculio lenoni et trapezitæ verba dedit. Phædromum neque illi viderunt, neque miles novit. Ergo hæc « quod argentum, etc. » et « nullam abduxi » parasito audentissimo impostori adscribenda. — *Tricas narr.* Nugas dicis. N.

16. *Scelus viri.* Casin. II, 1, 8. N.

17. *Eccistam.* En hanc video, quæ tecum est. N.

18. *Libera ut sit?* Conf. Asin. V, 13, 4. N.

20. *Ab trapezita.* Pecunia quam trapezita meus numeravit, quamque illi credideram. Hæc figura exhibet unde res fiat vel adveniat. Cf. Aulul. II, 5, 15; Milit. gl. III, 3, 45. N.

Quam ego pecuniam quadruplicem abs te et lenone
abferam.

PHÆDR. Qui scias mercari furtivas atque ingenuas virgines,
Ambula in jus. THER. Non eo. PHÆDR. Licet antestari?
THER. Non licet.
PHÆDR. Jupiter te male perdat : intestatus vivito.
CURC. At ego, quem licet, te. PHÆDR. Adcede huc. THER.
Servom antestari! vide.

21. *Quadruplicem.* Actione furti manifesti, qua perseqnimur quadrupli pœnam. LAMB. — De quadruplatoribns vide Pers. I, 2, 10. — *Abs te*, hæc vel conversus ad Curculionem, quem, omisso Phædromo, nnum appetat, vel ad Phædromum, qui furtum et furem tuetur, miles loqui possit. —*Abferam.* Auferre conabor, ex sententia judicnm, i. e. reposcam. Sæpe pro verbo quod voluntatem agendæ rei significat verbum ipsius actæ rei ponitur. Sic Ampb. prol. 35, « impetrare » pro « velle impetrare ». N.

23. *Licet antestari?* Vulgatæ « licet te antest. » metro ægre ferente, neque sententia poscente. Quæ hoc et seq. vers. exhibentur, formulæ sunt jure solemnes; si quis aliquem ad prætorem protrahere vellet renitentem, tum quemvis de præseutibus hominem liberum, antequam reum in jus raperet, interrogabat his verbis conceptis « licet antestari? » an vellet possetque testis adhiberi, se jure egisse. Illins autem, si hoc verbo « licet », aut silentio et vultn annuisset, auriculam petitor vellebat monens ut meminisset. Quem Horatius morem enarrat, Sat. I, 9, in fine: « Casu venit obvius illi adversarius: et, Quo tu, turpissime? magna exclamat voce, et Licet antestari? Hos. Ego vero oppono auriculam. Rapit in jus ». Plautus quoque, Pers. IV, 9, 10; Pœnul. V, 4, 59, rem edocebit.—*Non licet.* Miles prohibere occupat, quominus se testem det Curcnlio, siquidem ipse furti conscius et scelus viri. N.

24. *Intestatus.* Modo is est qui non servato jure, non testibus adhibitis rapitur; vid. scen. seq. v. 17; modo is, quem non velis testari, intestabilis; modo, hic autem sensus vulgatior, qui testamentnm non fecit. Nunc prima significatione profertur; præterea ambiguitatis lusus fit, quem jam semel hac fabnla Plautns fecit haud ita verecunde. N.

25. *At ego, quem licet, te.* Curculio Phædromo snpparasitatur, seque vicarium illi agenda causa præbet. At ego, inquit, te, quem licet mihi antestari, antestor me velle hunc citare in jus. — *Adcede huc.* Phædromus hæc ad Curculionem, opponens auriculam. — *Servom antestari.* Servusne antestatur, id est, accusatorem se gerit. Parasiti plerique de plebecula, libertini ordinis, cives vindicta prætoris desubito facti, lingua factiosi. Vid. Pœn. III, 1, 12; Pers. Sat. V, 75. Ergo miles talem hominem Curculionem contemptim servum appellat. N.

CURC. Hem, ut scias me liberum esse : ergo ambula in jus. THER. Hem tibi.

CURC. O civeis, civeis! THER. Quid clamas? PHÆDR. Quid istum tibi tactio 'st?

THER. Quia mi lubitum 'st. PHÆDR. Adcede huc tu : ego illum tibi dedam, tace.

CURC. Phædrome, obsecro, serva me. PHÆDR. Tamquam me et Genium meum.

Miles, quæso ut mihi dicas, unde illunc habeas anulum,

Quem parasitus hic te elusit. PLAN. Per tua genua te obsecro,

Ut nos facias certiores. THER. Quid istuc ad vos adtinet?

Quæratis chlamydem et machæram hanc, unde ad me pervenerit.

CURC. Ut fastidit gloriosus! THER. Mitte istum; ego dicam omnia.

CURC. Nihil est, quidquid ille dicit. PLAN. Fac me certiorem, obsecro.

THER. Ego dicam : surge. Hanc rem agite, atque animum advortite.

26. *Hem, ut scias... esse*, etc. En te traho in jus, ut scias, etc. simul rapit eum. — *Ergo ambula in jus.* Qnonism scis me liberum esse, igitur me seqnere ad prætorem. Hæc Therapontigono vulgatæ attribuunt, falso, opinor. Nam urgentem protervius his verbis miles repellit « hem tibi », quæ sunt impingentis ictum. Vid. Asin. II, 4, 25. N.

27. *O civeis, civeis!* Solebat is, cui vis aliqua fiebat, si quidem ruri ageret, *jubilare:* sin vero in romana civitate et civis esset, *quiritare*, quod est *Quirites conclamare*, inquit Donatus, quo spectat hoc Plauti. RÆVARD. — Conf. Amph. I, 1, 220. — *Tactio.* Conf. ibid. I, 3, 21.

28. *Adcede huc tu.* Veni ad me, Curculio. — *Ego illum*, militem. N.

29. *Genium.* Capt. IV, 2, 99. N.

31. *Quem,.. elusit.* Quem tibi dormienti et eluso ademit. TAUBM. — *Per genua.* Simul ad genua militis allabitur. N.

34. *Fastidit.* Fastidium est superbia, et aliorum contemptus. — *Fastidit.* Superbe se jactat. Cicero dixit, Lælio 15, fastidio se afferre. Cf. Capt. IV, 2, 57; Menæchm. I, 2, 58. — *Mitte istum.* Scil. Curculionem, quem retinebat Phædromus, ne a milite vapularet. LAMB.

36. *Surge.* Vid. v. 31. — *Hanc rem ag.* Asin. prol. 1. N.

Pater meus habuit Periphanes. PLAN. Periphanes?
THER. Is, priusquam moritur, mihi dedit tamquam suo,
Ut æquom fuerat, filio. PLAN. Proh Jupiter!
THER. Et iste me hæredem fecit. PLAN. Pietas mea,
Serva me, quando ego te servavi sedulo.
Frater mi, salve. THER. Quî credam istuc ego? cedo,
Si vera memoras, quæ fuit mater tua?
PLAN. Cleobula. THER. Nutrix quæ fuit? PLAN. Archestrata,
Ea me spectatum tulerat per Dionysia.
Postquam illo ventum'st, jam ut me conlocaverat,
Exoritur ventus turbo; spectacula ibi ruunt,
Ego pertimesco; tum ibi me, nescio quis, adripit,
Timidam atque pavidam, nec vivam, nec mortuam.
Nec, quo me pacto abstulerit, possum dicere.
THER. Memini isthanc turbam fieri: sed tu dic mihi,
Ubi is est homo, qui te subripuit? PLAN. Nescio.
Verum hunc servavi semper mecum una anulum.
Cum hoc olim perii. THER. Cedo ut inspiciam. CURC. Sanan'es,
Quæ isti conmittas? PLAN. Sine modo. THER. Proh Jupiter!
Hic est quem ego tibi misi natali die.
Tam facile gnovi, quam me. Salve, mea soror.
PLAN. Frater mi, salve. PHÆDR. Deos volo bene vortere

40. *Pietas mea.* Pietatem deam invocat, quam servavisse, coluisse semper profitetur se. LAMB.

42. *Cedo*, da, narra. Casin. prol. 30. N.

46. *Ut*, postquam. Cistell. III, 1, 16. N.

47. *Ventus turbo*, ventus turbidus. Supra *spectacula*, sedilia unde spectabant; cavea fere apud Romanos compages lignea usque ad tertium Pompeii consulatum. Vide quæ docti adnotaverunt ad Tacit. Annal. XIV, 20. — *Ibi*, tum. N.

51. *Memini isthanc.* Vulgatæ « meministin' hanc » nullo sensu; quippe quid quærat an illa meminerit, quum tam diserte narraverit. GULIELM.

53. *Anulum.* Alium ab eo, quem parasitus militi surripuerat. DOUZA. — Atque ita hic locus tuendus est, qui alioquin a J. Cæs. Scal. in Hypercritico, c. III, vapulat. ERN.

55. *Sine modo.* Noli prohibere. Casin. III, 2, 14. N.

58. *Deos volo*, etc. opto. Formula gratulandi et colloquii favo-

Istam rem vobis. CURC. Et ego nobis omnibus :
Tu ut hodie adveniens cœnam des sororiam;
Hic nuptialem cras dabit. PHÆDR. Promittimus.
THER. Tace tu. CURC. Non taceo, quando res vortit bene.
Tu istanc desponde huic, miles; ego dotem dabo.
PHÆDR. Quid dotis? CURC. Egone? ut semper, dum vivat, me alat.
THER. Verum, hercle, dico, me lubente feceris.
Et leno hic debet nobis triginta minas.
PHÆDR. Quamobrem istuc? THER. Quia ille ita repromisit mihi,
Si quisquam hanc liberali adseruisset manu,
Sine controversia omne argentum reddere.
PHÆDR. Nunc eamus ad lenonem. THER. Laudo. PHÆDR. Hoc prius volo,
Meam rem agere. THER. Quid id est? PHÆDR. Ut mihi hanc despondeas.
CURC. Quid cessas, miles, hanc huic uxorem dare?
THER. Si hæc volt. PLAN. Mi frater, cupio. THER. Fiat. CURC. Bene facis.
PHÆDR. Spondesne, miles, mihi hanc uxorem? THER. Spondeo.

rabiliter ineundi. Nam mox postulabit eam uxorem a fratre. N.

60. *Tu ut hodie*, etc. Ellipsis. Vide sup. 26. — *Sororiam*. Cavillatio hominis, dixit ipse, nugivendi. Ut hospitalis cœna apparatur advenientibus, sic præberi sorore inventa sororiam jubet. Novum excogitat morem parasitus. N.

63. *Tu istanc*. Recte hic rogatur miles, ut sororem suam viro despondeat: nam patre mortuo, frater sororis pupillæ legitimus tutor est. DOUZA.

65. *Me lub. fec.* Istud illi munus dones per me licet, dum sim expers. N.

68. *Liberali manu*. Ellipsis. I. e. asseruisset manu ob liberalem caussam, ut vindicaret in libertatem. N.

69. *Reddere*. Asin. II, 2, 99. N.

70. *Hoc*, nunc. Amphitr. I, 3, 45. N.

73. *Benefacis*. Sup. II, 2, 22. N.

74. *Spondesne*, etc. Solemnis formula quidvis contrahentium. Conf. Aulul. II, 2, 78; Bacchid. IV, 8, 40. N.

CURC. Et ego huic cibum una spondeo. THER. Lepide facis.
Sed eccum lenonem, incedit, thesaurum meum.

SCENA TERTIA.

CAPPADOX, THERAPONTIGONUS, PHÆDROMUS, PLANESIUM.

CAPP. Argentariis male credi qui aiunt, nugas prædicant;
Nec bene, nec male credi dico : id adeo hodie ego expertus sum.
Non male creditur, qui nunquam reddunt, sed prorsum perit.
Velut decem minas dum hic solvit, omneis mensas transiit.
Postquam nihil fit, clamore hominem posco : ille in jus me vocat.
Pessume metui, ne mihi hodie apud prætorem solveret.

75. *Huic cibum una*. Acidalii conjectura valde probabilis. Vulgatæ « hoc idem unum », nullo fere sensu. *Huic*, i. q. mihi. Captiv. I, 2, 49. N.

76. *Thesaurum meum*. Lambinus *thesaurum meum* interpretatur, vel apud quem deposui XXX minas, vel, unde tanquam ex thesauro depromam nummorum quantum volam. Porro, versiculus hic palam corruptus est. Suspicor levi mutatione legendum : « Sed eccum lenonem; incidi in thesaurum meum ». BOXH.

2. *Nec bene, nec male*. Vulgatæ « nam et bene, et male » quæ orationem faciunt inextricabilem. Hanc dat auctore Lambino Bothius.

3. *Non male creditur*. Creduntur proprie nummi qui redduntur; quemadmodum contra proprie debentur, quæ deinde solvuntur. Inde argutia Martialis, Epigram. II, 3 : « Sexte nihil debes; nil debes, Sexte, fatemur. Debet enim, si quis solvere, Sexte, potest ». Hoc significat leno : credere pecuniam argentariis, non est male credere, ut nonnulli dicunt. Nam qui male credit alicui pecuniam, spem tamen habet aliquam recuperandi, nec prorsus perdit : at qui argentariis credit, prorsus perdit; ergo nugantur, qui aiunt argentariis male credi. LAMB.

4. *Dum hic solvit*. Dum quærit unde solvat — *Omneis mensas*. Scil. aliorum argentariorum, ex quibus has decem minas corrogavit. LAMB. DOUZA.

5. *Postquam nihil fit*. Res non proficit. Sic Cicero, Epist. Famil. VII, 18. *An hoc significas, nihil fieri, frigere te?* GRON.

6. *Apud prætorem*. Per cessionem bonorum. LAMB. DOUZ. — *Ad præto-*

Verum amici conpulerunt, reddit argentum domo.
Nunc domum properare certum'st. TH. Heus tu, leno, te volo.
PHÆDR. Et ego te volo. CAPP. At ego vos nolo ambos. THER.
Sta, sis, inlico,
Atque argentum propere propera vomere. CAPP. Quid mecum'st tibi?
(ad Phædromum.) Aut tecum? aut? THER. Quia ego ex te hodie faciam pilum catapultarium:

rem solvere significat ita solvere, ut nihilo ditior sit creditor, sive id fiat per cessionem bonorum, et bonam copiam ejerando, sive per perjurium, diffitendo aut inficiando debitum, quod dicebant *abjurare debitum*. GRON.

7. *Amici conpulerunt.* Lego *contulerunt.* Mos fuit pulcherrimus et vere pius apud Græcos, sublevandi amicos pauperes. Erant enim sodalitates, quæ habebant communem arcam, in quam quot mensibus certum quid a singulis penderetur, ut esset unde juvari possent, qui ex illa sodalitate fortunam adversam aliquo modo essent experti. Tales itaque accipiebant ab istis amicis et sodalibus pecuniæ aliquam summam, ea lege, ut si deus aliquando meliora daret, quantum esset erogatum, tantumdem ipsi restituerent. Et hanc stipem collatitiam vocabant ἔρανον, et factum ipsum ἐρανίζειν. Nec raro accidebat, ut importuni exactores debitorem adorirentur, quum ille ab amicis *eranum*, id est, pecuniam erani nomine collectam, auferret. CASAUB. — Non male, nisi obstarent sequentia: *reddit argentum domo.* Nam *domo reddit*, qui promit de area propria, quod antea ibi repositum habebat: ut ita collaticia pecunia amici eum non juverint. GRUT. — Immo id ipsum, quod contulerunt amici, *reddit domo;* non enim a mensa, neque apud prætorem: quibus hic opponitur τὸ *domo;* non collationi aut ἐράνῳ. Fallitur Gruterus, et Casauboni conjectura nihil verius. Cicero de Off. II: « Liberales autem, qui suis facultatibus aut captos a prædonibus redimunt aut æs alienum suscipiunt amicorum ». Cornelius Nepos Epaminonda, ubi inter alia: « eamque summam quum faceret, priusquam acciperet pecuniam, adducebat eum, qui quærebat, ad eos, qui conferebant, eique ut ipsi numerarent, faciebat ». GRON. —Vera sane explanatio, si admiseris *contulerunt.* Sed facilis per se enarratio vulgatæ, qualis habetur. Amici suaserunt illi ut litem non periclitaretur, atque tandem domo i. e. de suo (Casin. II, 3, 8) solvit, non mutuata ab aliis pecunia, quippe ille non penuria, sed mala fide se solvendo imparem fatebatur. Esset *domi* i. e. apud se, ut Gronovius recte interpretatur. Præterea sic, ni fallor, acrius argentarii perstringuntur. N.

11. *Aut.* Additurus erat « vobiscum, quotquot adestis », ni miles interrumperet. Insulsam hanc lectionem Bothius judicat, et scribit « et tecum autem ». Quam sane ineptam haud pronuntiabimus, sed an ne-

Atque ita te nervo torquebo, itidem uti catapultæ solent.
PHÆDR. Delicatum te hodie faciam cum catello ut adcubes,
Ferreo ego dico. CAPP. At ego vos ambo in robusto carcere,
Ut pereatis. THER. Collum obstringe, abduce istum in malam crucem.
PHÆDR. Quidquid est, ipse ibit potius. CAPP. Proh deum atque hominum fidem!
Hoccine pacto indemnatum atque intestatum me abripi?
Obsecro, Planesium, et te, Phædrome, auxilium ut feras.
PLAN. Frater, obsecro te, noli hunc condemnatum perdere.
Bene et pudice me domi habuit. THER. Haud voluntate id sua:
Æsculapio huic habeto, quom pudica es, gratiam.
Nam si is valuisset, jam pridem, quoquo posset, mitteret.

cessaria, videris, lector. — *Pilum catapultarium*, quasi telum catapulta emissum te pulsabo. N.

12. *Nervo torquebo.* Ambigue luditur. Nam et damnati addictique nervo, vinculo, apud eos qui vicerant detinebantur, et nervis, funibus, tortis catapultæ tendebantur. N.

13. *Delicatum.* Quis non videt multo ita elegantius hæc Phædromum dicere, quasi succinentem militi? Hic quidem e re militari de catapulta exemplum ducens; Phædromus autem, ut delicatus et amatorius adolescens, de deliciis. Certe lenonem ab utroque irritatum, ostendit responsum ejus: « At ego vos ambo, etc. » PISTOR. — *Catello.* Ambiguum. Festus, « Catulus genus quoddam vinculi, qui interdum canis appellatur ». — *Delicatum*, etc. Faciam ut mora delicatorum, voluptati deditorum hominum qui adcubant mensæ in lectis cum catellis, quibuscum lusitant, tu adcubes cum catello quidem, sed patibulo et ferreo, i. e. collari. De cane carnificino vid. Casin. II, 6, 37. De more animalibus utendi ἀθύρμασι, vide Bacch. I, 1, 35; Capt. V, 4, 5. Inde appellatio « catelle » inter blanditiolas, Asin. III, 3, 103; Horat. Sat. I, 164, II, 3. N.

14. *In robusto carcere.* Id est, in robore. Nam in arcas e robore factas servi includebantur pœnæ causa. Vide Pœnul. V, 3, 34. ERN.

15. *Collum obstringe.* Amph. IV, 4, 23. Hæc dicit uni e comitibus suis. — *In m. cruc.* Aul. III, 3, 11.

16. *Quidquid est.* Qualiscumque sit res. *Ipse*, sponte; sic Phædromus pro Cappadoce ironicῶς spondet et videtur ei indulgere, ut coactor ille in Molieri fabula: « *et pour un million Vous ne voudriez pas faire rébellion* ». N.

17. *Indemnatum*, quem nondum judices damnaverunt, *intestatum* quem non monueris, ut velit in jus ire. Vid. scen. præced. N.

22. *Mitteret.* Asin. I, 3, 20, 43. N.

PHÆDR. Animum advortite, si potis sum hoc inter vos componere.
Mitte istunc : adcede huc leno : dicam meam sententiam:
Siquidem voltis, quod decrero, facere. CAPP. Tibi permittimus :
Dum quidem, hercle, ita judices, ne quisquam a me argentum abferat.
THER. Quodne promisti? CAPP. Quî promisi? PHÆDR. Lingua. CAPP. Eadem nunc nego.
Dicendi, non rem perdendi gratia, hæc nata 'st mihi.
THER. Nihil agit: collum obstringe homini. CAPP. Jamjam faciam ut jusseris.
THER. Quando vir bonus es, responde, quod rogo. CAPP. Roga quod lubet.
THER. Promistin', si liberali quisquam hanc adsereret manu,
Te omne argentum redditurum? CAPP. Non conmemini dicere.
THER. Quid? negas? CAPP. Nego, hercle, vero : quo præsente? quo in loco?
THER. Me ipso præsente, et Lycone trapezita. CAPP. Non taces?
THER. Non taceo. CAPP. Non ego te floccifacio, ne me territes.
THER. Me ipso præsente, et Lycone factum 'st. PHÆDR. Satis credo tibi.
Nunc adeo, ut tu scire possis, leno, meam sententiam:
Libera hæc est, hic hujus frater est, hæc autem illius soror.

24. *Mitte.* Hæc Phædromus ad militem. — *Dicam*, etc. Sequester pronuntiabit. N.

25. *Tibi permittimus* rem judicandam. N.

29. *Nihil agit.* Cappadox nugatur. — *Obstringe*, etc. Rursus servo imperat ut lenonem raptet. Ferè similis scena apud Ter. Adelph. II, 1. N.

35. *Floccifacio*, nihili pendo. Vid. Fest. h. voc.

Hæc mihi iubet: tu huic argentum redde: hoc judicium meum 'st.
THER. Tu autem in nervo jam jacebis, nisi mihi argentum redditur.
CAPP. Hercle, istam rem judicasti perfidiose, Phædrome.
Et tibi oberit: et te, miles, di deæque perduint:
Tu me sequere. THER. Quo sequar ego te? CAPP. Ad trapezitam meum,
Ad prætorem: nam inde rem solvo omnibus, quibus debeo.
THER. Ego te in nervom, haud ad prætorem hinc rapiam, ni argentum refers.
CAPP. Ego te vehementer perire cupio, ne tu me nescias.
THER. Itane vero? CAPP. Ita, hercle, vero. THER. Gnovi ego hos pugnos meos.
CAPP. Quid tum? THER. Quid tum? rogitas? hisce ego, si tu me inritaveris,
Placidum ted hodie reddam. CAPP. Age, ergo, recipe actutum. THER. Licet.
PHÆDR. Tu, miles, apud me cœnabis: hodie fient nuptiæ.
THER. Quæ res bene vortat mihi et vobis, spectatores, plaudite.

41. *Perfidiose*. Amphit. prolog. 72. N.

44. *Ad prætorem*. Qui mihi est pro trapezita; quippe apud quem perjurio resolvere soleam. Sup. 6. N.

49. *Licet*. Bacch. I, 1, 1.

51. *Quæ res*, etc. Cf. Aulul. II, 2, 41. N.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

EPIDICUS

DRAMATIS PERSONAE.

EPIDICUS[1], servus Stratippoclis.
THESPRIO, ejusdem armiger.
STRATIPPOCLES, adolescens.
CHÆRIBULUS, amicus Stratippoclis.
APOECIDES, senex, amicus Periphanis.
PERIPHANES, pater Stratippoclis.
MILES.
PHILIPPA, mater virginis, olim ab Apœcide compressa.
VIRGO, Apœcidæ filia.
FIDICINA, a Stratippocle amata, dein spreta.
DANISTA.
GREX.

1. *Epidicus*, i. e. litigiosus; is enim herum multis implicat fraudibus, ipse suis dolis implicitus. N.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*E*MIT fidicinam, filiam credens, senex
*P*ersuasu servi, aliam qui conductitiam
*I*terum pro amica ei subjecit : filio
*D*at herili argentum : eo sororem destinat
*I*nprudens juvenis : mox conpressæ ac militis
*C*ongnoscit opera sibi senex os sublitum,
*U*t ille amicam, hæc quæritabat filiam.
*S*ed inventa gnata servolum emittit manu.

1. *Senex* Periphanes. N.

2. *Servi* Epidici. — *Aliam* fidicinam. — *Conductitiam*, quæ operam id tempus mercede præberet. N.

3. *Iterum*, altero dolo. — *Ei subjecit;* pro amica filii, quam senex falso credebat filiam, supposuit. N.

4. *Argentum* seni decepto subreptum. — *Destinat*, emit. N.

5. *Conpressæ* Philippæ. N.

6. *Congnoscit opera sibi*, etc. Ordo : Senex per compressam et militem congnoscit se deceptum.— *Os sublitum*. Capt. III, 4, 124. N.

7. *Ut*, dum. — *Ille* miles.—*Hæc* Philippa. N.

8. *Servolum* Epidicum. — *Emittit* Periphanes. N.

ALIUD ARGUMENTUM
CAMERARII.

PERIPHANIS senis filius Stratippocles, quum amaret quamdam, proficiscitur in militiam. Quumque crebras literas mitteret ad servum Epidicum, de redimenda amica, id tandem effectum servus dedit, quum senex filiam, quam susceperat ex quadam Epidauria, captam redimi jussisset : nam pro illa fidicinam, quam filius amabat, seni adduxit. Postea adolescens aliam amare cœpit absens inter captivas, et quadraginta illam minis mercatus fuit Thebis. Ea erat amissa senis filia, et jussa requiri, soror adolescentis. Sed hoc ille ignorabat. Oportebat autem argentum, quod fœnore acceptum solverat, statim numerari Danistæ, qui mox adventurus erat cum adolescente. Id negotii datur Epidico, qui arte circumvenit senem, et persuadet ei, ut præmercetur fidicinam, quam filius perdite amaret. Ita illas minas quadraginta elicit, et conductam fidicinam, quasi ad rem divinam, adducit ad senem. Quum omnia facta palam et Epidicus in summo periculo esset, agnoscitur filia amissi senis : quæ quasi opera ac diligentia reperta sit sua, ita servus libertatem obtinet. Fabulæ hujus laus apud ipsum auctorem exstat in Bacch. II, 2, 36, et apud Ciceronem.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

EPIDICUS.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

EPIDICUS, THESPRIO.

EP. HEUS, adulescens. TH. Quis properantem me prehendit pallio?

EP. Familiaris. TH. Fateor : nam odio es nimium familiariter.

EP. Respice vero, Thesprio. TH. Oh ! Epidicumne ego conspicor ?

EP. Certe oculis uteris. TH. Salve. EP. Dii dent, quæ velis.

* *Scena prima.* Prologus hac fab. non comparet. Cf. Curc. I, 1. N.

1. THESPRIO. Protatica est persona, quæ, ut ait Donatus (præf. Andr.), « semel inducta in principio fabulæ, propter evolvendam argumenti obscuritatem, in nullis deinceps fabulæ partibus adhibetur » : hujusmodi est Sosia in Andria, Davus in Phormione, et cum Syra Philotis in Hecyra Terentii. Protaticæ nomen a protasi derivatur, quæ quid sit Molierus edocebit, in fabula cui titulus, *la critique de l'École des femmes*, sc. VII.

2. *Familiaris* tuus, ejusdem familiæ, conservus. Amphitr. prol. 127, 146. — *Odio*. Aul. II, 1, 4. — *Nimium*. Aulul. II, 2, 31. — *Familiariter*, libere, pro more familiarium. N.

4. *Oculis uteris*, non falleris cer-

Venire salvom gaudeo. TH. Quid cæterum? EP. Quod eo adsolet,
Cœna tibi dabitur. TH. Spondeo. EP. Quid? TH. Me accepturum, si dabis.
EP. Quid tu? agis ut velis? TH. Exemplum adest. EP. Intellego: eugepæ!
Corpulentior videre atque habitior. TH. Huic gratia.
EP. Quam quidem jamdiu te perdidisse oportuit.
TH. Minus jam furtificus sum, quam antehac. EP. Quid ita? TH. Rapio propalam.
EP. Di inmortaleis infelicent, ut tu es gradibus grandibus!
Nam ut apud portum te conspexi, curriculo obcœpi sequi:
Vix adipiscendi potestas modo fuit. TH. Scurra es. EP. Scio
Te esse quidem hominem militarem. TH. Audacter quamvis dicito.

nendo. Vel legend. « recte oculis uteris ». ERN.

5. *Quid cæterum?* Istud non satis est. Namque aliud quoque exspectat, quod Epidicus intelliget. — *Eo* i. q. ideo, ob adventum. N.

6. *Cœna tibi dabitur.* Bacch. III, 6, 8. N.

7. *Agis ut velis?* resne pro voluntate procedunt? Locutio haud absimilis hujus « quid agis? » — *Exemplum adest.* Exemplum habes me ipsum, nec est, ut verbis respondeam: hic enim nitor et habitudo mea testificantur, fuisse mihi, ut vellem. GRUT.

8. *Huic gratia.* Scil. « furtificæ lævæ », ut nominat in Persa, II, 2, 44, et quam hic δεικτικῶς notat. Huic, inquit, gratia debetur. Sinistra enim manu furta potissimum faciunt isti Lavernæ et crucis candidati, dum dextra aliud ab ipsis simulatur. Ovid. Met. XIII, « Conveniet timidæ nataeque ad furta sinistræ ». ALCIAT.

11. *Infelicent, ut*, etc. Dii tibi malum dent, qui tam celeriter ambulas, meque ægre persequentem exanimasti. N.

13. *Scurra es.* Urbanus et scurra eodem sensu dicuntur, ut ambo significent non modo hominem dicacem, sed etiam hominem umbraticum, in urbe assiduum, nec ruri unquam aut militiæ agentem. Trin. I, 2, 165: « Nihil est profecto stultius, quam urbani assidui cives quos scurras vocant ». Et ita hic accipe. Quasi diceret: Non est mirum, te consequi me vix potuisse, qui sis umbraticus, urbanus, non ruri aut militiæ ad gradum exercitatus. GRON. — *Quamvis*, quantumvis, valde, omnino. Menæchm. II, 2, 43; Trinum. III, 3, 68. Cic. pro

EP. Quid ais? perpetuon' valuisti? TH. Varie. EP. Qui varie valent,
Caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus.
TH. Quid tibi vis dicam, nisi quod est? EP. Ut illa respondeas probe,
Quid herilis noster filius? valet? TH. Pugilice atque athletice.
EP. Voluptabilem mihi nuncium tuo adventu adtulisti: sed ubi
Est is? TH. Adveni simul. EP. Ubi is ergo est? nisi si in vidulo,
Aut si in melina adtulisti. TH. Dii te perdant! EP. Te volo

Rosc. Amer. « posset ea quamvis diu dicere. » Confidentissime istud affirmare potes. N.

15. *Quid ais?* Aulul. IV, 9, 7. N. — *Varie.* Nunc bene, nunc male: ut quidem Thesprio vult intelligi. Sed Epidicus aliovorsum trahit, et illud, *varie*, interpretatur, atque Thesprio dixisset: tergum suum virgis et loris sæpius fuisse cruentatum, et ita ob livorem et vibices disparem colorem induisse ac varium esse factum. Dicit igitur, se abominari omne genus, quod varium ac maculosum sit, quale caprarum, ac in primis pantherarum, quod et nomen sibi a macularum varietate invenit, ut *variæ* appellentur, atque adeo homines etiam abhorrere, qui tergum flagris excitatum ac maculosum gestitent. LAMB. — Alibi, Bacch. III, 3, 30, hujusmodi varietas vel maculatio nutricis pallio adsimilatur. « Variari virgis ». Mil. gl. II, 2, 61; Pœnul. prol. 26. N.

17. *Ut illa*, etc. Volo ut vere ad ea quæ nunc quæram respondeas. N.

18. *Herilis noster*, etc. Cistell. IV, 2, 83. — *Pugilice atque athletice.* Bacch. II, 3, 14. N.

20. *Vidulo.* Involucrum est e corio, in quod peregrinantes res suas condebant. Menæch. V, 7, 47: « recte est obsignatum in vidulum marsupium cum viatico ». Cf. Rud. IV, 3, 47. ERN.

21. *Melina*, scortea mantica, sic dicta a *meles*, ut a *feles*, *felinus*. *Meles* est catus silvestris. Varro, de Re Rust. lib. III, cap. 12, præcipit septi leporarii macerias tectorio induci, « ne feles aut meles, aliave bestia introire possit ». Mart. X, 37: « Venator capta mele superbus adest ». GRON. — EP. *Te volo Percontari.* Jocus in distinctione: nempe ut Epidicus post, *te volo*, vocem paulisper sustinuerit (vel screatu, vel alio hæsitantiæ prætextu), et ex breviculo intervallo τὸ *percontari* subjecerit: ut Epidicus et spectatores, *te volo*, ad præcedentia, *dii perdant*, retulerint; Thesprio ad consequens verbum *percontari*. TAUBM.

Percontari : operam da, opera reddibitur tibi.
TH. Jus dicis. EP. Me decet. TH. Jam tu autem nobis præturam geris?
EP. Quem dices digniorem esse hominem hodie Athenis alterum?
TH. At unum a prætura tua, Epidice, abest. EP. Quidnam? TH. Scies.
Lictores duo, duo viminei fasceis virgarum. EP. Væ tibi!
Sed quid ais? TH. Quid rogas? EP. Ubi arma sunt Stratippocli?
TH. Pol, illa ad hosteis transfugerunt. EP. Armane? TH. Atque quidem cito.
EP. Serione dicis tu? TH. Serio, inquam : hosteis habent.
EP. Edepol, facinus inprobum. TH. At jam ante alii fecerunt idem.
Erit illi illa res honori. EP. Quî? TH. Quia antea aliis fuit.

22. *Operam.* Curcul. II, 2, 9. N.

23. *Jus dicis.* Non accipitur ut vulgo, scilicet quum de prætore vel magistratu loquimur, sed pro eo quod est vulgatum, dicis quod æquum et justum est, quod rationem habet. Sic *orare jus*, Trinum. V, 2, 37. Sic « jus est », pro æquum vel justum, Cistel. I, 1, 22; Pers. I, 2, 26. GRON. — *Me decet.* Epidicus cavillatur ambiguo sensu illius « jus dicis ». N.

26. *Lictores.* De duobus lictoribus audi *plebiscitum* a M. Pletorio tribuno pl. latum : « Prætor urbanus qui nunc est, quique posthac fuat, duo lictores apud se habeto : isque usque ad supremam jus inter cives dicito ». LIPS. — At quos Thesprio intelligit, de his vid. Amph. I, 1, 7. — *Fasceis.* Credo, in hac voce parumper histrio morabatur, antequam alio converteret subito orationem illa *virgarum*. N.

27. *Sed quid ais?* Supra 15. Thesprionis responsio nostram de hac locutione adnotationem confirmat.—*Ubi arma*, etc. Illud recte ab armigero anquirit. N. — *Ubi arma*, etc. Clypeus, galea, cassis, sarcinæ, quas constrictas gestare, scuto ad dorsum accommodato, cacularum erat provincia. Unde iidem *armigeri* sive etiam *scutigeruli* in Casina et alibi nominantur a Plauto. DOUZ.—*Stratippocli.* Hujusmodi nominum terminatio variatur apud Plautum. Ita Trinum. modo Callicles, is, modo Callicles, i; et Bacch. IV, 9, 14, « Achilli » genitivo casu, et « Euripidi » eodem, Rud. I, 1, 4. N.

31. *Quia antea aliis fuit.* Tametsi fere omnem fabularum contextum Plautus ex Diphilo, Menandro,

EP. Mulciber, credo, arma fecit, quæ habuit Stratippocles;
Travolaverunt ad hosteis : tum ille prognatus Theti,
Sine, perdat; alia adportabunt eii Nerei filiæ.
Id modo videndum 'st, ut materies subpetat scutariis,
Si in singulis stipeudiis is ad hosteis exuvias dabit.
TH. Supersede istis rebus jam. EP. Tu ipse, ubi lubet, finem face.
TH. Desiste percontarier. EP. Eloquere, ipse ubi est Stratippocles?
TH. Est causa, qua causa simul mecum ire veritu'st. EP. Quidnam id est?
TH. Patrem videre se non volt etiam nunc. EP. Quapropter? TH. Scies.
Quia forma lepida et liberali captivam adulescentulam
De præda mercatu'st. EP. Quid ego ex te audio? TH. Hoc quod fabulor.

Epicharmo, Philemone, Apollodoro accipiebat : tamen et ipse a censura et animadversione vitiorum non abstinuit, sed priscæ comœdiæ acerbitatem sæpe miscuit : neque in transcursu solum, uti hic; sed multis interdum versibus, ut vel Curculione, II, 3 : « Tum isti Græci palliati, etc. » item multis aliis locis notat sua tempora et nationes. SCALIG. — Forsan quum Epidicum Plautus docuit, non longum tempus erat transvectum, ex quo legiones e campis Cannensibus vel aliunde, Annibale victore, refugerant. Et multi e plebe similia querebantur iis quæ milites coram Marcello, apud Liv. XXV, 6. At Plautus neminem, ut Nævius, nomine signabat, immo palliatum objiciebat derisui. Censura illi fuit periculo immunis. N.

33. *Travolaverunt.* Hoc eo pertinet, quod vulcania arte fabricata plerumque animata erant, ut illi tripodes, de quibus Arist. Polit. I, 4, quod ait Hom. αὐτομάτους θεῖον δύσεσθαι ἀγῶνα. MUR. — *Tum ille prognatus.* Præterea ille Stratippocles e Theti vel Thetide prognatus est, ut Achilles. Itaque, quemadmodum Achilli, armis ejus ad Hectorem translatis, Thetis Nerei filia alia a Vulcano cusa attulit : ita noli admodum laborare, si Stratippocles sua perdat : nam alia ei apportabunt quædam Thetides Nerei filiæ. N.

40. *Patrem videre se.* Sc. patri obviam fieri. Amphibolia Plauto non vitata semper, immo ob ludum nonnunquam quæsita. Cf. Curcul. I, 1, 72. N.

41. *Liberali.* Curcul. V, 2, 68.

EP. Cur eam emit? TH. Animi causa. EP. Quot illic homo animos habet?
Nam certo, priusquam hinc ad legionem abiit domo,
Ipse mandavit mihi, ab lenone ut fidicina,
Quam amabat, emeretur sibi: id ei inpetratum reddidi.
TH. Utcunque in alto ventus est, Epidice, exin velum vortitur.
EP. Væ misero mihi! male perdidit me. TH. Quid istuc? quidnam est?
EP. Quid? istanc quam emit, quanti eam emit? TH. Vili. EP. Haud istuc te rogo.
TH. Quid igitur? EP. Quot minis? TH. Tot. EP. Quadraginta minis!
TH. Id adeo argentum ab Danista apud Thebas sumsit fœnore;
In dies minasque argenti singulas, numis. EP. Papæ!
TH. Et is Danista advenit una cum eo, qui argentum petit.
EP. Di inmortaleis, ut ego interii basilice! TH. Quid jam? aut quid est,
Epidice? EP. Perdidit me. TH. Quis? EP. Ille qui perdidit arma. TH. Nam

43. *Animi causa.* Asin. III, 1, 38. N.

47. *Utcunque in alto*, etc. Proverbio herum excusat, qui, ut ventus Amoris ferebat, sic vela Cupidinis obvertit. N.

50. *Tot.* Scilicet, digitorum significatione, quadragenarium numerum efficit. N.

51. *Adeo.* Igitur. N. — *Ab Danista.* A fœneratore. Vid. Asinar. act. I, 1, 108.

52. *In dies minasque argenti.* Cum Salmasio Grou. ait nummum esse didrachmum in Plauti fabulis, quod non satis mihi liquet qua auctoritate affirment. Sed fœneraria cupiditas non nimis modeste agere videatur, si singula quæque mina diurnam unam drachmam sudaverit, i. e. sex sortes in anno: namque quum drachmæ sexaginta minam compleant, hac usuræ ratione, annua minæ unius merces erit 360 drachmæ. N.

53. *Cum eo,* Stratippocle. *Qui*, ad Danistam pertinet. N.

54. *Basilice.* Quidquid magnum, ingens, amplum, dicebatur basilicum. Ideo basilice pro admodum, vehementer. N.

55. *Nam.* Cistell. IV, 2, 10. N.

Quid ita? EP. Quia cotidie ipse ad me ab legione epistolas
Mittebat... sed taceam optumum 'st. Plus scire satiu'st, quam loqui
Servom hominem : ea sapientia 'st. TH. Nescio, edepol, quid tu timidu' es.
Trepidas, Epidice : ita voltum tuum video : videre commeruisse
Heic, me absente, in te aliquid mali. EP. Potin' uti molestus ne sies?
TH. Abeo. EP. Adsta, abire hinc non sinam. TH. Quid nunc me retines?
EP. Amatne istam, quam emit de præda? TH. Rogas? deperit.
EP. Detegetur corium de tergo meo. TH. Plusque amat, quam te unquam amavit.
EP. Jupiter te perduit. TH. Mitte nunc jam; nam ille me vetuit domum.
Venire; ad Chæribulum jussit huc in proxumum; ibi manere jussit :
Eo venturu'st ipse. EP. Quid ita? TH. Dicam : quia patrem
Prius se convenire non volt, neque conspicari, quàm id argentum,
Quod debetur pro illa, dinumeraverit. EP. Heu, edepol, res turbulentas!
TH. Mitte me, ut eam nunc jam. EP. Hæccine ubi scibit senex, puppis
Pereunda 'st probe. TH. Quid istuc ad me adtinet, quo tu intereas modo?

57. *Plus scire*, etc. Cf. Bacch. IV, 6, 21. N.

60. *Potin' uti*. Bacch. I, 1, 1. N.

64. *Mitte*, dimitte me. Sæpe simplex verbum pro composito. N.

67. *Se convenire*. Supra 40. N.

69. *Puppis*, etc. Pro « puppi pereundum est ». Sic « placenda tibi uxor » Trinum. V, 2, 35, dixit. SALM.

70. *Pereunda 'st probe*, penitus peribit. *Probe* eodem sensu quo supra basilice. Cf. Captiv. III, 4, 102. N.

EP. Quia perire solus nolo, te cupio perire mecum;
Benevolens cum benevolente. TH. Abi in malam rem maxumam a me
Cum istac conditione. EP. I sane, si quid festinas magis.
TH. Nunquam hominem quemquam conveni, unde abierim lubentius. (abit)
EP. Illic hinc abiit; solus es nunc: quo in loco hæc res sit, vides,
Epidice: nisi quid tibi in tete auxili 'st, absumtus es.
Tantæ in te inpendent ruinæ, nisi subfulcis firmiter,
Non potes subsistere, itaque in te inruunt monteis mali.
Neque ego nunc quomodo me expeditum ex inpedito faciam,
Consilium placet: ego miser perpuli meis dolis senem,
Ut censeret suam sese emere filiam: is suo filio
Fidicinam emit, quam ipse amat, quam abiens mandavit mihi.
Is sibi nunc alteram ab legione adduxit animi
Causa: corium perdidi; nam ubi senex senserit
Sibi data esse verba, virgis dorsum depoliet meum.
At enim tu præcave: nihil est istuc: plane conruptum 'st caput.
Nequam homo es, Epidice: quî tibi libido 'st male loqui?

73. *Cum istac cond.* Pacto quod mibi offers. *Siquid*, si aliquo modo; i tu in crucem, siquid est cur festines magis illuc ire. N.

77.78. *Tantæ... itaque.* Ordo est: nisi subfulcis firmiter imminentia, opprimeris, tantæ sunt quæ in te impendent ruinæ, atque ita, adeo irruunt in te montes malorum. *Monteis mali.* Mostell. II, 1, 5. Cic. « montes molestiarum ». N.

80. *Placet.* Frustra *liquet*, *sapit*, *tacet*, *jacet*. *Neque consilium placet*, est, neque quidquam succurrit consilii, in quo acquiescam, sistere possim, quod sedeat vel placeat. GRON.

86. *Nihil est istuc.* Dialogismus perpetuus fit secum ipsius. Hinc se admonet ut caveat, inde admonenti respondet: istæc nihil proficit admonitio; quippe hoc caput (ego) omnino perditum est. Caput pro persona sæpe. Vid. Pœnul. III, 3, 31. N.

87. *Quî tibi*, etc. At Epidicum despondentem Epidicus animosior objurgat et restituit. Nequam,

Quia tute te deseris. Quid faciam? men' tu rogas?
Tu quidem antehac aliis solebas dare consilia mutua.
Quid? aliquid reperiundum 'st: sed ego cesso ire obviam
Adulescenti, ut, quid negoti sit, sciam? atque ipse illic est.
Tristis est: cum Chæribulo incedit æquali suo.
Huc concedam, orationem unde horum placide persequar.

SCENA SECUNDA.

STRATIPPOCLES, CHÆRIBULUS, EPIDICUS.

STRAT. Rem tibi sum elocutus omnem, Chæribule, atque admodum
Meorum mœrorum atque amorum summam edictavi tibi.
CHÆR. Præter ætatem et virtutem stultus es, Stratippocles.
Idne pudet te, quia captivam, genere prognatam bono,
In præda es mercatus? quis erit, vitio qui id vortat tibi?
STRAT. Qui invident, omneis inimicos mihi istoc facto reperi:
At pudicitiæ ejus nunquam nec vim, nec vitium adtuli.

ignavus es. Cur male tibi verbis ominaris? Cf. Asin. III, 3, 155. N.

88. *Quia.* Malim: « quid... deseris? »

1. *Admodum*, plane, omnino. N.

3. *Præter ætatem*, etc. De *ætate* planum: adolescens enim Stratippocles. *Virtutem* vero *ætati* ideo subjicit Chæribulus, quia miles ac bellator erat: quorum propria laus *virtus*, id est, strenuitas ac fortitudo. DOUZA.

6. *Qui invident*, etc. Plerique interpretes hunc locum mire torquent, dum mutare conantur « quin vide omnes », vel « quin vide ut omnes », et alii aliter; quibus Bothius adstipulatur, qui vulgatam judicat absonam, quasi quis dicat, qui invident, invident; quippe invidentes iidem et inimici. Hic tamen, ni fallor, sensus est: qui mihi invident tam pulchram hanc, id mihi, quod fecissent ipsi, vitio vertunt. Melibœus Virgilianus hoc sensu verbum invidere alia sententia protulit « non equidem invideo, miror magis ». N.

7. *At pudicitiæ.* In hoc vides, quam decoris liberalis observans Plautus, qui ne incestis amationibus comici argumenti verecundiam contaminare, ac sororem a fratre germano suo per imprudentiam corruptam inducere cogatur; amatorem continentem facit. N.

CHÆR. Jam istoc probior es, meo quidem animo, quom
in amore temperes.
STRAT. Nihil agit, qui diffidentem verbis solatur suis.
Is est amicus, qui in re dubia re juvat, ubi re est opus.
CHÆR. Quid tibi me vis facere? STRAT. Argenti dare quadraginta minas,
Quod Danistæ detur, unde ego illud sumsi fœnore.
CHÆR. Si, hercle, haberem, non negarem. STRAT. Nam
quid te igitur retulit,
Beneficum esse oratione, si ad rem auxilium emortuum'st?
CHÆR. Quin, edepol, egomet clamore defatigor, differor.
STRAT. Malim istiusmodi mihi amicos furno mersos,
quam foro.
Sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioso velim.
Quem quidem ego hominem inrigatum plagis pistori dabo,
Nisi hodie prius comparassit mihi quadraginta minas,
Quam argenti fuero elocutus ei postremam syllabam.
EPID. Salva res est; bene promittit; spero servabit item.
Sine meo sumtu paratæ jam sunt scapulis symbolæ.

9. *Diffidentem*, ægrum et suis rebus diffidentem. LAMB.

12. *Quod.* Enallage numeri post minas. Cf. Amph. III, 3, 11; Bacch. IV, 4, 74. *Unde*, a quo. N.

13. *Nam quid.* Quidnam. — *Quid te retulit*, etc. Quid mihi prodest te esse beneficum, etc. N.

15. *Clamore defatigor.* Immo ego ipse magnum æs alienum contraxi; et mei creditores nummos sibi debitos exigentes, me clamore suo obtundunt atque enecant, CAM. — *Differor.* Διαφέρομαι. *Differre etiam est diffamare.* NON.

16. *Furno mersos.* Paronomasia est in nominibus furno et foro. Foro mersi autem intelliguntur ære alieno obruti, quia in foro sunt fœneratores. Sententia est : malim mihi amicos, qualis tu es, esse in furnum calidum conditos, mortuos, quam obrutos, ære alieno. Dira frigido amico precatur. LAMB.

17. *Operam Epidici*, etc. Velim adesse nunc Epidicum, etiamsi hoc magno pretio mihi contingat. *Operam.* Cf. Curcul. II, 2, 29. N.

18. *Pistori.* Qui pinsit frumentum, non qui panem divendit. Vid. quæ ad Asin. I, 3, 48, annotavimus. Quid sit pistrino dare require ibid. I, 1, 16-24. N.

21. *Servabit item.* Id est, bene, fidem promissi præstabit. N.

22. *Symbolæ.* Jocus a cœnis collativis tractus. Ter. Andr. I, 1, 61 : « quid Pamphilus? quid? symbo-

Adgrediar hominem. Adevenientem peregre herum suum Stratippoclem
Salva inpertit salute servos Epidicus. STRAT. Ubi is est? EPID. Adest.
Salvom te gaudeo huc advenisse. STRAT. Tam tibi istuc credo, quam mihi.
EPID. Benene usque valuisti? STRAT. A morbo valui, ab animo æger fui.
EP. Quod ad me adtinuit, ego curavi; quod mandasti mihi,
Inpetratum 'st; emta ancilla 'st, quod tute ad me literas
Missiculabas. STRAT. Perdidisti omnem operam. EPID. Nam quî perdidi?
STRAT. Quia meo neque cara 'st cordi, neque placet. EPID. Quid retulit.
Mihi tantopere te mandare, et mittere ad me epistolas?
STRAT. Illam amabam olim, nunc jam alia cura inpendet pectori.
EPID. Hercle, miserum 'st, ingratum esse homini, id quod facias bene.
Ego quod benefeci, malefeci: quia amor mutavit locum.
STRAT. Desipiebam mentis, quom illas scribtas mittebam tibi.

lam dedit, cœnavit ». Eunuch. III, 4, 1 : « heri aliquot adulescentuli coiimus in Piræo In hunc diem ut de symbolis essemus ». LAMB. — Similitudo commodissima; multi enim virgatores in illius tergum eranos conferent quisque suum. N.

24. *Salva salute.* Pleonasmus ridicule amplificans orationem, cujusmodi Capt. IV, 1, 2; Casin. II, 3, 1. — *Ubi is est?* Non quærit ubi loci ille sit, quippe quem obvium sibi conspiciat. Sed compellatio est benevola convenientis aliquem. Cf. Bacch. II, 2, 11. — *Adest.* Non simpliciter « coram te est », sed « adest tibi ». Sed gallice : *comment va? — Prêt à vous servir.* N.

26. *A morbo.* Quod attinet ad morbum. N.

28. *Quod.* Ob quod perficiendum. *Tute* tu. N.

33. *Ingratum.* Cf. Amph. prol. 48, I, 1, 29. — *Homini.* Vulgatæ « hominem », male.

35. *Desipiebam mentis.* Elegans pleonasmus, pro *desipere* simpliciter. Symmachus : « Num vobis videor multa luxuria ebrius mentis desipere, atque adeo in poetas no-

EPID. Men' piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam?
Ut meum tergum stultitiæ tuæ subdas subcidaneum?
STRAT. Quid isteic verba facimus? huic homini opu'st quadraginta minis
Celeriter calidis, Danistæ quas resolvat, et cito.
EP. Dic modo, unde abferre me vis? a quo trapezita peto?
STRAT. Unde lubet: nam ni ante solem obcasum elo;
Meam domum ne inbetas: tu te in pistrinum.
EPID. Facile tu istuc sine periculo et cura, corde libero
Fabulare: gnovi ego nostros; mihi dolet, quom ego vapulo.

men dedisse». Cui oppositum *consipere mente* apud Livium, VI, 42. GRON.

37. *Subcidaneum*. Gellius, IV, 6, hunc locum proferens: «succidaneæ hostiæ, inquit, dicuntur *e* litera per morem compositi vocabuli in *i* literam commutata: nam quasi succedaneæ appellatæ sunt, quoniam si primis hostiis litatum non erat, aliæ post easdem ductæ hostiæ cædebantur, quæ quasi prioribus jam cæsis, luendi piaculi gratia, subdebantur et succedebant». Item Festus. LAMB.

38. *Huic homini*. Bacch. IV, 4, 1. N. — *Calidis*. Id est, celerrimis, θερμαῖς. LAMB. — Calor pro celeritate in metaphoris usitatum. Curcul. II, 3, 14. Ter. Eun. II, 3, 88.

39. *Danistæ*. Tametsi ipsi etiam trapezitæ *danistæ* essent, et quidem publici, tamen, qui ex privatis hunc quæstum faciebant, ita potius appellati, quum, qui publice hoc agitarent, *trapezitæ* Græcis, Latinis vero *argentarii* magis dicerentur. Ubicumque fit mentio apud hunc comicum *danistarum et generis danistici*, de his privatis fœneratoribus intelligendi sunt, qui erant alii a publicis, id est, *trapezitis*, quos sæpe etiam vocat voce latina, *argentarios*. SALM.

41. *Elicit*. Vulgatæ *elo*. Supplementum nescio cujus apud Lambinum, ut ille ait, ex antiquissimo codice, «hoc argentum eloces», sed suspectum omnino. Quin et unus e Pal. adscriptum habet: «helo est verbum græcum, hoc est, accepero»: quasi vellet ἕλω. Quod si cui placet, habeat. Quæ illi supplent, tam facilia sunt intellectu, ut facile lucri fecisse illa credam Plautum et brevitate verborum præcipitem necessitatem significasse. Scripserim igitur: «nam ni ante solem occasum, eloco (meam domum ne imbites) tu te in pistrinum». *Eloco* pro *illico*. GRONOV. — Truncatam hoc loco scripturam alii aliter supplere conati sunt. Conjecturam legi simplicissimam. N.

42. *Tu te in pistrinum*. Supplent «recta inferas». N.

44. *Nostros*. Non video cur Lambinum male interpretatum, nostros familiares Douza judicet, velitque subintelligi virgatores. Non ita, opinor, circumcisa significatio menti scriptoris obversabatur. Gnovi quo se modo nostri se gerant,

STRAT. Quid tu nunc? patierin' ut ego me interimam? EPID. Ne feceris.
Ego istuc adcedam periculum potius atque audaciam.
STRAT. Nunc places; nunc ego te laudo. EPID. Patiar ego istuc quod lubet.
STR. Quid de illa fiet fidicina igitur? EP. Aliqua reperibitur:
Aliqua ope exsolvam, extricabor aliqua. STRAT. Plenus consili es.
Gnovi ego te. EPID. Est Euboicus miles locuples, multo auro potens,
Qui ubi istam emtam esse scibit, atque hanc adductam alteram,
Continuo te orabit ultro, ut illam transmittas sibi.
Sed ubi illa'st, quam tu adduxisti tecum? STRAT. Jam faxo heic erit.
CHÆR. Quid heic nunc agimus? STRAT. Eamus intro huc ad te, ut hunc hodie diem
Luculente habeamus. EPID. Ite intro: ego de re argentaria
Jam senatum convocabo in corde consiliarium.
Quoi potissumum indicatur bellum, unde argentum abferam.
Epidice, vide quid agas, ita res subito hæc objecta'st tibi.
Non enim nunc tibi dormitandum, neque cunctandi copia'st.
At eumdem senem obpugnare certum 'st consilium: i, i, abi
Intro, atque adulescenti dic jam nostro herili filio,
Ne heic foras ambulet, neve usquam veniat obviam seni.

seu pater tuus qui me jubet ob noxam cædi, seu lorarii, qui cædunt. N.

46. *Audaciam*, id est, rem agendam audacia. N.

48. *Aliqua reperibitur* via. N.

49. *Exsolvam* me. *Extricabor*, ex impedito expeditus fiam. N.

53. *Faxo*. Capt. V, 4, 13. N.

56. *Senatum convocabo.* Hujusmodi ridiculam magniloquentiam doli artifices usurpant. Mil. gl. II, 6, 111; Most. III, 1, 158. N.

58. *Ita*. Capt. III, 5, 16. N.

61. *Nostro her. fil.* Cistell. IV, 2, 83. N.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

APOECIDES, PERIPHANES.

APŒC. Plerique homines, quos, quom nihil refert, pudet, ubi pudendum'st,
Ibi eos deserit pudor, quom usus est ut pudeat. Is adeo tu es. Quid
Est, quod pudendum siet, genere gnatam bono, pauperem domum
Ducere uxorem? præsertim eam, qua ex tibi commemores
Hanc, quæ domi'st, filiam prognatam. PERIP. Revereor filium.
APŒC. At, pol, ego te credidi uxorem, quam tu extulisti, pudore exsequi.
Quojus quotiens sepolcrum vides, sacruficas inlico Orco hostiis:
Neque adeo injuria, quia licitum'st eam tibi vivendo vincere.

1-2. *Plerique homines... Ibi eos*, etc. Eruditi hanc orationem ad leges grammaticas redigere laborant, vel subauditis verbis, vel mutatis. Sed vim, opinor, non medelam, orationi Plautinæ afferunt. Parumne verisimile videtur Apœcidem, quum positivum recto casu præmisisset, dein, producta oratione, per anacoluthum deerrasse in hanc clausulam « ibi eos, etc. »? Ea est sermonis indiligentia? Cf. Captiv. IV, 2, 27-30, 33-36; Mostell. I, 3, 93. N.

2. *Usus est*. Bacch. IV, 4, 54. N.

3. *Pauperem domum*. Pauperem mulierculam ducere uxorem *in domum tuam*. N.

4. *Qua ex*. Anastrophe. Asin. II, 3, 17. N.

6. *Extulisti* in sepulturam. N.

8. *Quia licitum 'st*, etc. Perpe-

PERIP. Oh, Hercules ego fui, dum illa mecum fuit! neque sexta ærumna
Acerbior Herculi, quam illa mihi est objecta. APOEC. Polchra,
Edepol, dos pecunia 'st. PERIP. Quæ, quidem, pol, non maritata 'st.

SCENA SECUNDA.

EPIDICUS, APOECIDES, PERIPHANES.

EPID. St, st! tacete: habete animum bonum: liquido exeo foras
Auspicio, avi sinistra: acutum cultrum habeo, senis quî exenterem
Marsupium: sed eccum ipsum ante ædeis conspicor Apœcidæ,
Qualeis volo, vetulos duo: jam ego me convortam in hirudinem,
Atque eorum exsugebo sanguinem, senati qui columen cluent.

tuæ de moribus odiosis scurrilitates. Asin. I, 1, 6; Cistell. 1, 3, 27; Trinum. I, 2, 13-20. N.

11. *Quæ non maritata 'st.* Qua fruaris sine conjugio, absque maritali jugo. N.

1. *St, st!* domo Chæribuli egreditur, hæc dicens adolescentulis. — *Liquido*, claro. Virg. Eclog. VI, 33, « et liquidi simul ignis ». N.

2. *Avi sinistra.* Causa vanitatis inde fuit: crediderunt augures, quod homine in meridiem (quæ deorum sedes æstimabatur) spectante, ad sinistram ejus partes mundi exorientes sint; ad dextram occidentes: inde *sinistra auspicia* fausta dici: quod ea, quæ oriuntur, quæque ortus causam tribuunt, meliora sint iis, quæ occidunt, quæve interitum rei demonstrant Varronis sententia. Cæl. Rhod. — *Qui.* Bacch. II, 3, 101. N.

3, 4. *Eccum ipsum... Qualeis volo.* Ipsum, Periphanem: primo eum, quem quærit, destinat unum, et desinente oratione per enallagen ostendit duos. N.

5. *Exsugebo*, pro *exsugam*. Secunda et tertia conjugatio eadem apud Veteres: ut etiam monet Scalig. ad Festum. Ern. — *Senati.* Antique. Conf. Priscian. N. — *Cluent.* Amph. II, 2, 16. N.

APOEC. Continuo ut maritus fiat. PERIPH. Laudo consilium tuum.
APOEC. Nam ego illum audivi in amorem hærere, apud nescio quam fidicinam.
PERIPH. Id ego excrucior. EPID. Di, hercle, omneis me adjuvant, augent, amant.
Ipsi hi quidem mihi dant viam, quo pacto ab se argentum abferam.
Age nunc jam orna te, Epidice, et palliolum in collum conjice;
Ita adsimulato, quasi per urbem totam hominem quæsiveris.
Age, si quid agis. Di inmortaleis, utinam conveniam domi
Periphanem! per omnem urbem quem sum defessus quærere,
Per medicinas, per tonstrinas, in gymnasio, atque in foro,
Per myropolia, et lanienas, circumque argentarias.
Rogitando sum raucus factus, pæne in cursu concidi.
PERIPH. Epidice. EPID. Epidicum quis est qui revocat? PERIPH. Ego sum Periphanes.
APOEC. Et ego Apœcides sum. EPID. Et ego quidem sum Epidicus: sed, here, optuma
Vos video ambo advenire obportunitate. PER. Quid rei est?
EPID. Mane, sine respirem, quæso. PERIPH. Imo adquiesce. EPID. Animo male est.
Recipiam anhelitum. APOEC. Clementer requiesce. EPID. Animum advortite:
A legione omneis remissi sunt domum Thebis. APOEC. Quis hoc

6. *Continuo ut*, etc. Hæc est colloquii sequela, quod ambo senes habebant, dum Epidicus secum loquebatur. N.

7. *In amorem.* Capt. IV, 2, 25. N.

10. *Palliolum in c. conj.* Captiv. IV, 1, 11. N.

12. *Age siq. agis.* Cf. Casin. IV, 1, 7. N.

14. *Per medicinas*, etc. Amph. IV, 1, 3-5. N.

22. *Quis hoc Scit factum.* Sic ediderunt ex Camerariano, in quo tamen testantur, *quis hoc*, adscri-

Scit factum? EPID. Ego ita esse factum dico. PERIPH. Scin' tu istuc? EPID. Scio.
PERIPH. Quî tu scis? EPID. Quia ego ire vidi militeis plenis viis.
Arma referunt, et jumenta ducunt. PERIPH. Nimis factum bene.
EPID. Tum captivorum quid ducunt secum! pueros, virgines,
Binos, ternos, alius quinque: fit concursus per vias.
Filios suos quisque visunt. PER. Hercle, rem gestam bene!
EPID. Tum meretricum numerus tantus, quantum in urbe omni fuit,
Obviam ornatæ obcurrebant suis quæque amatoribus,
Eos captabant: id adeo, qui maxume animum advorterim,
Pleræque hæ sub vestimentis secum habebant retia.
Quom ad portum venio, atque ego illam illeic video præstolarier;
Et cum ea tibicinæ ibant quatuor. PERIPH. Quicum, Epidice?
EPID. Cum illa, quam tuus gnatus annos multos deamat, deperit,
Ubi fidemque, remque, seque, teque properat perdere:

plum recentissima manu, et in aliis codd. desiderari. Itaque multo malim, quod est in priscis codd. et in scripto vidimus. PE. *Sic factum?* per interrogationem; cui belle respondet, EP. *Ego ita esse factum dico*. GRON.

25. *Nimis factum bene*. Exclamatio lætantis gratulantisque. Id est, res valde prospera! N.

29. *Numerus tantus, quantum*. Enallage in genere. I. e. tantus ibi numerus, quantus in omni urbe. Cf. Capt. V, 1, 4; Casin. II, 6, 3. N.

31. *Id adeo, qui maxume*, etc. Quum dixerit captari a meretricibus juvenes, hoc addit per jocum: « Id etiam (nam refero, ut qui maxime quasi rem mirandam animadverterim) habebant retia, etc. » Retia hæc profecto fuere quæ secum gerebant lenocinia voluptarii pulchrique corporis. At forsan ambigue alludit ad vera reticula quibus papillarum interioribus vinculis utebantur. N.

33. *Atque*, statim. Bacchid. II, 3, 45. N.

36. *Fidem*, i. e. famam. Asin. I, 3, 40; Bacch. III, 1, 10-14. N.

Ea præstolabatur illum apud portum. PERIPH. Viden' veneficam !

EPID. Sed vestita, aurata, ornata ut lepide ! ut concinne ! ut nove !

PERIPH. Quid erat induta ? an regillam induculam, an mendiculam ?

Inpluviatam ? ut istæ faciunt vestimentis nomina.

EPID. Utin' inpluvium induta eat ? PERIPH. Quid istuc est mirabile ?

Quasi non fundis exornatæ multæ incedant per vias.
At tributus quom inperatu'st, negant pendi potesse ;
Illis, quibus tributus major penditur, pendi potest.
Quid ? istæ quæ vesti quotannis nomina inveniunt nova ?
Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum cæsicium,

39. *Quid erat ind.* Interrogatio sane nova in tali rerum articulo talique animi affectu. N. — *Mendiculam.* Regillæ vesti opponit *mendiculam*, quasi mendicis convenientem. Quidam a voce *Meddix* derivant, quæ magistratum significat apud Oscos, teste Festo. DOUZA. — *Regillam*, Festus deducit a *rectus*, id est, longam rectamque vestem ; itaque non regiam. Cujus tamen nominis captans ambiguitatem, statim opponit « mendiculam », quod non fuisse credo verum vestimenti genus, sed tum a sene irato per antithesin derisorie excogitatum. Infra 48. N.

40. *Inpluviatam ?* Vestis erat, quæ, ad similitudinem impluvii in cavædiis, quadrata. — *Istæ.* Non demonstrativam habet vim hoc loco ea vox, sed generaliter accipitur, quasi diceret gallice *les femmes.* Solemne hoc est loquendi genus. Terent. Adelph. I, 1, 18, « et, quod isti fortunatum putant ». N.

41. *Utin' inpluvium.* Similiter Propert. III, eleg. 13, vs. 11 : « Matrona incedit census induta nepotum ». N.

42. *Fundis exornatæ.* Plautus præivit de luxu querentibus Lucretio, IV, 1125, « et bene parta patrum fiunt anademata, mitræ », et Senecæ, de Vit. Beat. 17, « quare uxor tua locupletis domus census auribus gerit ? » et de Benefic. VII, 9, « non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent ? », et Plinio, Histor. Nat. XXXIII : « miris hoc modis... luxuria variavit, gemmas addendo exquisiti fulgoris censuque opimo digitos onerando ». N.

43. *At tributus*, etc. Cf. Aulul. III, 5, 51-57. N.

46. *Rallam.* Diminutive « a raritate texturæ sic dicta » : cui opponitur hic *spissa.* NONIUS. — *Linteolum cæsicium.* Purum et candidum, sic dictum, vel quod cædendo

Indusiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam,
Subparum, aut subnimium, ricam, basilicum, aut exoticum,
Cumatile aut plumatile, cerinum aut melinum : gerræ maxumæ.
Cani quoque etiam ademtum 'st nomen. EPID. Quî?
PERIPH. Vocant Laconicum.

ad candorem pervenerit, vel quod oras circumcisas habeat. NONIUS.

47. *Indusiatam.* Varro, lib. IV de Ling. Latin. « Alterius generis item duo ; unum, quod foris ac palam, Palla : alterum, quod intus, a quo Intusium : id quod Plautus dicit Intusiatam ». Atque ita, per *t* scribendum esset. TAUBM.— *Patagiatam.* « Patagium, aureus clavus, qui pretiosis vestibus immitti solet ». NONIUS.— At Festus docet esse patagium quod ad summam tunicam assui solet. Ideo patagiata vestis, et qui eam faciunt patagiarii. LAMB. — *Caltulam, aut crocotulam*, a colore calthæ et croci. N.

48. *Subparum.* Supparus, lineum puellarum vestimentum, quod et subula appellatur. FEST. — *Subnimium.* Comice confictum nomen, quod supparo opponatur ab etymologia detorto, quasi e præpositione *sub* et adverbio *parum* constaret. N.— *Ricam*, velamentum capitis. Turpilius, « interea aspexi virginem in capite gestantem riculam indutam ostrinam ». Nonius, « rica est quod nos sudarium dicimus ». SCALIG.

49. *Cumatile.* « Coloris marini aut cærulei, quasi fluctuum similis, fluctus enim Græcis κύματα ». NONIUS. — Hic color Vegetio *Venetus* dicitur, Lucretio *Thalassinus*, IV, 1123. Ego arbitror non ita vocatam esse ob colorem, sed texturam repræsentantem fluctus, quæ et *undulata* dicta Varroni apud Nonium. GRUTER. — *Plumatile.* « Vestis plumatilis, inquit Nonius, est clavata aut ex clavis facta ». Quæ res quomodo eum nomine congruat non video. Nonne esset acu picta vestis, ut speciem plumarum referret. Ita fere de alia textura Virgilius, Æn. XI, 770 : « Pellis ahenis in plumam squamis auro conserta rigebat ». — *Cerinum.* Pro *cerinum* veteres libri habent, *garinum* pro *carinum*, a Siculo καρὸς, pro κηρὸς, quod est cerini coloris. Nam *carinarios* Aulular. III, 5, 36, Plautus appellavit, qui eo colore vestes inficerent. SALMAS. — *Melinum.* *Melinus*, qui mali Cydonii pallorem imitatur, alioqui *Melinus color* Plinio est candidus, a *Melo* insula, cui peculiaris est, et ubi optimus habetur. *Mellinus* vero color (ut quidam hic legunt, a melle) ad fuscum accedens. — *Gerræ.* Vimineæ crates. Narrant Athenienses, quum Syracusas oppugnarent, crebroque gerras poscerent, irridentes Syracusanos clamitasse gerras. Unde factum ut gerræ pro nugis dicerentur. LAMB.

50. *Cani quoque.* Canis etiam nomen ad vestes translatum. Nonnulli

Hæc vocabula auctiones subigunt ut faciant viri.
Quin tu, ut obcepisti, loquere. EPID. Obcepere aliæ mulieres
Duæ post me sic fabulari inter sese : ego abscessi solens
Paulum ab illis : dissimulabam me harum sermoni operam dare.
Nec satis exaudiebam, nec sermonis fallebar tamen,
Quæ loquerentur. PERIPH. Id lubido est scire. EPID. Ibi illarum altera
Dixit illi, quicum ipsa ibat... PERIPH. Quid? EPID. Tace ergo, ut audias.
Postquam illam sunt conspicatæ, quam tuus gnatus deperit :
Quam facile et quam fortunate evenit illi, obsecro, mulieri,
Liberare quam volt amator! quisnam is est? inquit altera
Illi : ibi nominat Stratippoclem Periphanæ filium. PERIPH. Perii,
Hercle! quid ego ex te audio? EPID. Hoc quod actum : egomet post, ubi illas audivi loqui,
Cœpi rursum vorsum ad illas pauxillatim adcedere,
Quasi retruderet hominum me vis invitum. PER. Intellego.

enim canes *Lacones* et *Laconici* appellantur. Horat. Epod. 6 : « Nam qualis aut Molossus aut fulvus Lacon, etc. » Sed nunc vestes suas appellant *Laconicas*. Quin et Horatius *Laconicas purpuras* commemorat, Od. II, 18. LAMB.—Hesychius, λακωνικὸς χιτὼν λεπτὴ ἐσθής. SALMAS.

51. *Auctiones*, etc. Illius modi insaniam notat Horatius, « Qui patrium mimæ donat fundumque laremque », Sat. I, 2, 56, et Vopiscus, vita Carini. N.

53. *Solens*, ut soleo. Amphit. I, 1, 43. Lepide fatetur se arcana venari aliena solitum. Alii volunt *silens*. Mutem « abscessi solers ego ». — *Sermoni operam dare*. Aulul. II, 2, 9.

55. *Satis*, i. q. multum, abunde. Rud. II, 5, 5; Trinum. II, 1, 27. N.

61. *Ibi*, tum. N.

62. *Post*, postea. Amphit. prol. 51. N.

63. *Rursum vorsum*. Amph. V, 1, 60. N.

EPID. Ibi illa interrogavit illam : quî scis? quis id dixit tibi ?
Quin hodie adlatæ sunt tabellæ ad eam a Stratippocle, eum
Argentum sumsisse apud Thebas ab danista fœnore :
Id paratum, et sese ob eam rem id ferre. PERIPH. Cedo, ego obcidi !
EPID. Hæc sic aibat se audivisse ab ea, atque ab epistola.
PERIPH. Quid ego faciam nunc? consilium a te expetesso, Apœcides.
APŒC. Reperiamus aliquid calidi conducibilis consili.
Nam ille quidem aut jam heic aderit, credo, hercle, aut jam adest. EPID. Si æquom siet
Me plus sapere quam vos, dederim vobis consilium catum,
Quod laudetis, ut ego opinor, uterque. PERIPH. Ergo ubi est, Epidice?
EPID. Atque ad eam rem conducibile. APŒC. Quid istuc dubitas dicere?
EPID. Vos priores esse oportet, nos posterius dicere,
Qui plus sapitis. APŒC. Eia vero, age, dic. EPID. At deridebitis.
APŒC. Non, edepol, faciemus. EPID. Imo, si placebit, utitor
Consilium : si non placebit, reperitote rectius.

68. *Ob eam rem*, ut eam liberet, afferre argentum. — *Cedo*, perge dicere. Curcul. V, 2, 42. N.

69. *Se audivisse ab ea*. Vulgata « sic aibat, sic audivisse ab se », omnino absona. Partim Lambini, partim Brunckii ope locum restitui. N.

71. *Calidi*, subiti, præsentis. Supra I, 2, 39. N.

73. *Catum*. Verbum hoc Sabinum esse Varro ait : et *cata dicta*, apud Ennium, interpretatur *acuta*: eoque Ælium Sextum esse nominatum, non, ut sapientem, sed ut acutum. Apud Ciceronem, Tusc. I: « Egregie cordatus homo catus Æliu' Sextus ». Et hinc *Catones* dicti, auctore Plinio.

74. *Ubi est?* Fac nobis compareat; eloquere. N.

78. *Imo, si placebit*, etc. Omnino consona illis hæc Horatiana : « Si quid novisti rectius istis, candidus imperti; si non, his utere mecum ». Epist. I, 6. N.

Mihi isteic nec seritur, nec metitur : nisi ea, quæ tu vis, volo.
PERIP. Gratiam habeo; fac participes nos tuæ sapientiæ.
EPID. Continuo arbitretur uxor tuo gnato : atque ut fidicinam
Illam, quam is volt liberare, quæ illum conrumpit tibi,
Ulciscare : atque ita curetur, usque ad mortem ut serviat.
APOEC. Fieri oportet. PERIPH. Facere cupio quidvis, dum id fiat modo. EPID. Hem
Nunc obcasio 'st faciundi, priusquam in urbem advenerit,
Sicut cras heic aderit, hodie non venerit. PERIPH. Quî scis? EPID. Scio.
Quia mihi alius dixit, qui illinc venit, mane heic adfore.
PERIPH. Quin tu eloquere, quid faciemus? EPID. Sic faciundum censeo.
Quasi tu cupias liberare fidicinam animi gratia,
Quasique ames vehementer tu illam. PERIPH. Quam ad rem istuc refert? EPID. Rogas?
Ut enim præstines argento, priusquam veniat filius,
Atque ut eam te in libertatem dicas emere. PERIPH. Intellego.
EPID. Ubi erit emta, ut aliquo ex urbe amoveas, nisi quid tua

80. *Isteic*, in hac re. — *Nisi*, sed. Casin. V, 2, 34. N.

82. *Continuo arbitretur uxor*. Continuo circumspiciatur uxor filio. Sic Plin. Epist. I, 14 : « Petis, ut fratris tui filiæ prospiciam maritum ». *Arbitrari* ad oculos refertur. Aulul. IV, 1, 71 : « Illinc ego huc et illuc potero, quid agant, arbitrarier ». GRUT. — *Arbitretur* hic passive. Veteres dicebant et « arbitrare, arbitro ». Pseud. IV, 2, 57; Stich. I, 2, 87. — *Atque ut*, simul suadeo ut. N.

84. *Ulciscare*, punias mancipatam. N.

87. *Sicut*, i. q. *ut* pro *quum*. Cistell. III, 1, 16. N. — *Hodie*, etc. conjunctio suppressa. Oratio est : nunc occasio est, quum (sicut) heic cras demum sit adfuturus, neque hodie venturus. N.

90. *Animi gratia*. Asin. III, 1, 38. N.

92. *Præstines*. Festus : « Præstinare apud Plautum est emere, et emendo tenere ». Captiv. IV, 2, 68. SCHMIED.

Secus sententia 'st. PERIPH. Imo docte. EPID. Quid tu autem, Apœcides?
APOEC. Quid ego jam, nisi te conmentum nimis astute intellego?
EPID. Jam tunc igitur amota ei erit omnis consultatio
Nubtiarum, ne gravetur, quod velis. APOEC. Vive sapis! et placet.
EPID. Tum tute igitur callide, quidquid acturus, age.
PERIPH. Rem, hercle, loquere. EPID. Et reperi, hæc te quî abscedat subspicio.
PERIPH. Sine me scire. EPID. Scibis, audi. APOEC. Sapit hic pleno pectore.
EPID. Opus est homine, qui illo argentum deferat pro fidicina.
Nam te illo non æque opus facto 'st. PERIPH. Quid jam? EPID. Ne te censeat
Fili causa facere. PERIPH. Docte. EPID. Quo illum ab illa prohibeas,
Ne qua ob eam subspicionem difficultas eveniat.

96. *Nimis astute.* Scite admodum. Aulul. II, 2, 31. N.

97. *Consultatio*, i. e. dubitatio, nam qui consultat, hæret dubius quid faciat. N.

98. *Nubtiarum*, i. e. de nuptiis. N. — *Vive sapis!* Significat excellenter, aut admodum sapis. Sic *vivus*, pro eo, quod alias *vividus* dicunt, positum, estque acris, vegetus, vehemens. Virg. Æneid. I, 721 : « Et vivo tentat prævertere amore Jampridem resides animos ». GRONOV.

99. *Calide.* Supra 71. N.

100. *Rem, h. loquere*, id quod res habet; recte dicis. — *Et reperi*, quasi subita res menti obveniret. — *Hæc... subspicio.* Reperi quomodo fiat ut te hujus rei participem non suspicentur. N.

102. *Illo*, illuc, ad lenonem. N.

103. *Nam te illo*, etc. Varie torquent hunc locum seu mutatis verbis, seu ellipsi suspecta. Tibi planus videbitur, si memineris *æque* trahere ablativum pro « æque ac ». Cf. Amph. I, 1, 137. Igitur sensus hic : non oportet te æque ac illum hominem, quemcumque allegabis, illud agere, id est, quivis alius ac tu commodius hoc aget. N. — *Censeat* fidicina. N.

104. *Fili causa.* Oratio interrupta a sene, quo consilium pertineat intelligenti, sequentibus absolvitur « quo (ut) illum ab illa proh. » N.

PERIPH. Quem hominem inveniemus ad eam rem utilem?
EPID. Hic erit optumus.
Hic poterit cavere recte, jura qui et leges tenet.
APOEC. Epidice, habeas gratiam. EPID. Sed ego istuc faciam sedulo.
Ego illum conveniam, atque adducam huc ad te, quoja 'st fidicina,
Atque argentum ego cum hoc feram. PERIPH. Quanti emi potest minumo? EPID. Illane?
Ad quadraginta fortasse eam posse emi minumo minas.
Verum, si plus dederis, referam: nihil in ea re captio 'st.
Atque id non decem obcupatum tibi erit argentum dies.
PERIPH. Quîdum? EPID. Quia enim mulierem illam alius adulescens deperit,
Auro opulentus, magnus miles, Rhodius, raptor hostium,
Gloriosus: hic emet illam de te, et dabit aurum lubens.

106. *Hic*, Apœcides: qui et III, 4, 86, legum et jurum conditor fictorque cluet. PISTOR.

108. *Habeas gratiam*. Locutio eodem quo illa « tibi gratiam facio ». Trinum. II, 2, 15. Formula recusandi, sicut gallice *grand merci*. — *Istuc faciam*, pergit enarrare Periphani quomodo ipse sit rem exsequuturus. N.

110. *Cum hoc feram*. Cum Apœcide argentum feram lenoni. Hoc dicit, ne si credi argentum sibi postulet, in suspicionem veniat. N.

111. *Posse emi minumo minas*. Sic quidem libri. Sed vel invitis illis sermo latinus dictat scribendum: « Ad quadraginta fortasse eam posse emi minimo minis ». Sic Suetonius in Julio, c. 20: « Campum Stellatem agrumque Campanum divisit extra sortem ad viginti millibus civium ». Ita enim recte Casaubonus pro vulgata *ac viginti*. Sic idem, Octav. 38: « Super triginta ducibus justos triumphos et aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit ». Nam eodem modo dicuntur: « curavit ducibus decernendos super viginti », et « divisit millibus civium ad viginti », et « emi potest minis ad quadraginta ». GRON.

113. *Atque id non decem*, etc. Hæc pecunia ante diem decimum ad te redibit. Columella, XI, 1: « Pecuniam domini neque in pecore, neque in aliis rebus promercalibus occupet ». Scilicet in re empta pretium ita occupatur et hæret, quo minus ad alium usum transferri queat. Ergo *occupare pecuniam*, est fœnori locare, aut merci impendere. TAUBM.

Face modo : est lucrum heic tibi amplum. PERIPH. Deos quidem oro. EPID. Inpetras !

APOEC. Quin tu is intro, atque huc argentum promis : ego visam ad forum :

Epidice, eo veni. EPID. Ne abeas, priusquam ego ad te venero.

APOEC. Usque obperiar. PERIPH. Sequere tu intro. EPID. I, numera, nihil ego te moror.

(abit ad forum Apœcides, Periphanes domum.)

SCENA TERTIA.

EPIDICUS.

Nullum esse opinor ego agrum in agro Attico
Æque feracem, quam hic est noster Periphanes:
Quin ex obcluso atque obsignato armario
Decutio argenti tantum quantum mihi lubet.
Quod, pol, ego metuo, si senex resciverit,
Ne ulmos parasitos faciat, quæ usque adtondeant.
Sed me una turbat res ratioque : Apœcidi
Quam ostendam fidicinam aliqua conducticiam.
Atque id quoque habeo : mane me jussit senex
Conducere aliquam fidicinam sibi huc domum,
Dum rem divinam faceret, cantaret sibi.

3. *Obsignato.* Cas. II, 1, 1. — *Armario.* Ubi pecunia adservatur. Cicero pro Cœl. « Tune aurum ex armario tuo promere ausa es? » TAUBM.

5. *Quod.* Junge cum *resciverit.* LAMB.

6. *Ne ulmos parasitos faciat.* Parasitorum est mensas divitum attondere, et a divitibus semper aliquid abradere. Unde et Phocylides *assentatores*, qui a parasitis non multum differunt, τραπεζοκόρους, *mensarum tonsores*, indigitat. Hoc igitur dicit Epid. Metuo, ne ubi senex resciverit me sibi verba dedisse, faciat ut ulmeæ virgæ in meo tergo sint veluti parasiti, meumque corium omni ex parte attondeant. LAMB.

8. *Aliqua*, ex aliquo loco. N.

11. *Cantaret*, subaudi *quæ*. N.

Ea conducetur, atque ei præmonstrabitur,
Quo pacto fiat subdola advorsus senem.
Ibo intro, argentum adcipiam ab damnoso sene.
(abit.)

12. *Ei*, fidicinæ. — *Præmonstrabitur*, præceptum dabitur. N.

13. *Advorsus*, erga. N.

14. *Ab damnoso sene.* Παθητικῶς pro infelici et multis damnis confecto. Taubm.



ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

STRATIPPOCLES, CHÆRIBULUS.

STRAT. EXSPECTANDO exedor miser, atque exenteror, quomodo mihi
Epidici blanda dicta eveniant: nimis diu maceror.
Sitne quid, nec ne sit, scire cupio. CHÆR. Per illam tibi copiam
Copiam parare aliam licet: scivi equidem in principio
Inlico nullam tibi esse in illo copiam. STRAT. Interii, hercle, ego!
CHÆR. Absurde facis, qui angas te animi. STRAT. Si, hercle, ego illum semel prehendero,
Nunquam inridere nos illum inultum sinam servom hominem.
Quid illum ferre vis? qui, tibi quoi divitiæ domi maxumæ

3. *Per illam copiam*, etc. Fallaciarum furtorumque artifices vulgo audiunt ab amantibus egenis copia. Asin. III, 3, 65; Bacchid. IV, 3, 25. Igitur est: « Si spem ponis in Epidico quasi copia tua, copiam aliam alicunde quæsito est opus». N.

8. *Quid illum ferre vis?* Inconstantia quidem ira tumultuantis. Chæribulo Epidicum incusanti assensit, et quasi stimulo incitatus in minas erupit; at subito in stimulatorem convertitur, qui alios segnitiæ incusat ipse segnis atque inutilis. « At tu quid pœnæ illi irrogas servolo, quum ita dives nil opis afferas ». Hic est ægri animi impetus. *Tibi* eleganter παρέλκει, ait Gron. ut in Aul. III, 6, 38: « Ego te hodie reddam madidum, sed vino, probe, Tibi cui decretum est bibere aquam ». — *Qui, tibi quoi.... is.* Ordo oratorius esset: qui, quum tibi sint opes... non habes, etc. » *Is* abundat, et *qui* cum *tibi quoi* haud convenit ad amussim. Sic habet sermonis profluentia, quam Plautus imitatur. N.

Sunt, is numum nullum habes, nec sodali tuo in te copia'st.

CHÆR. Si, hercle, habeam, pollicear lubens : verum aliquid, aliqua, aliquo modo,

Alicunde, ab aliqui, aliqua tibi spes est fore mecum fortunam.

STRAT. Væ tibi, muricida homo. CHÆR. Quî tibi lubet mihi male loqui?

STRAT. Quippe tu mihi aliquid, aliquo modo, alicunde, ab aliquibus blatis,

Quod nusquam'st : neque ego id inmitto in aureis meas : nec mihi

Plus adjumenti ades, quam ille qui nunquam etiam natu'st.

10. *Verum aliquid*, etc. Ridicula hominis nihil habentis quod promittat oratio. LAMBIN. — Aliquid non absimile a Terentio, Phorm. IV, 2, profertur, dum advocati Demiphoni respondent nil respondentes. N.

11. *Fore mecum fortunam*, fore mihi faventem magis quam hoc tempore. N.

12. *Muricida*. Male in editis *murricide*, quod Scaliger pejus exponebat, quasi μυσκτόνον. Hoc est et *muricida*; nec enim *muricidus* magis dicatur quam *parricidus*. Legendum est, *murcide*. *Murcus murcidus*, ut *flaccus flaccidus*. *Murcus* Veteribus idem quod ignavus. SALM.—Malit Bothius *muricida*, i. e. parietum effractor, quod solemne convicium apud comicos Græcorum, τοιχώρυχος. Sed hoc in vernam, in furciferum, non in segnem amicum quidem, sed ingenuum, cadere non satis animadvertit. N.

13. *Blatis*. Amph. II, 1, 79. N.

15. *Nec mihi Plus adjumenti ades*. Gaudent in omnibus MSS esse : « nec mihi plus adjumenta des » : sed in optimo Camerariano alterum esse diserte affirmat in suis excerptis Pareus. Est in eo et sententia aperta et dicendi ratio multo doctior. *Adjumentum* autem vel *plus adjumenti* dicitur per appositionem, quam vocant grammatici, ipse, qui debebat esse adjumento, ut *auxilium* pro auxiliante. Alioqui non absurde conjiceres, *adjumentod es*. GRON.

SCENA SECUNDA.

EPIDICUS, STRATIPPOCLES, CHÆRIBULUS.

EPID. Fecisti jam opficium tu tuum; me meum nunc facere oportet.
Per hanc curam quieto tibi licet esse : hoc quidem jam periit ;
Ne quid tibi hinc in spem referas : hoc oppido potitum 'st.
Crede modo tu mihi : sic ego ago, sic egere nostri.
Pro di inmortaleis, mihi hunc diem dedistis luculentum !
Ut facilem, atque inpetrabilem ! sed ego hinc migrare cesso,
Ut inportem in coloniam hunc auspicio conmeatum !
Mihi cesso, quom sto : sed quid hoc ? ante ædeis duos sodaleis,

1. *Fecisti jam opficium.* « Dum mihi pecuniam emendæ fidicinæ dedisti. Ego etiam meum servi officium faciam, et te pecunia intervortam, senex ». Nam ita sentit. Hæc seni intus. LAMB.

2. *Hanc*, meam. Anlular. II, 2, 60, 89. N. — *Hoc quidem*, δεικτικῶς argentum in marsupio. Et hæc jam secum solus loquitur.

3. *Ne quid*, etc. Hæc valde probabilis Bothii emendatio. Vulgata *ni quid;* sensu impedito. — *Hoc oppido*, etc. Id est, hoc jam argentum omnino in nostra potestate. *Potitus* passive a Plauto usurpatur. Captiv. I, 2, 41. Vulgatæ *politum*, eo sensu videlicet, perfectum est negotíum. Bothius « hic potitn'st », id est, ego potitus snm. Nostra lectio propius abest a vulgari scriptura. N.

4. *Nostri* majores, autiqna Epidicorum, Pseudolornm prosapia. Solemnis ea est magniloquentia furibus Plautinis. Cf. Casin. II, 6, 66; Pers. I, 2, 1-5. N.

6. *Ut facilem.* Per hypallagen ad diem transfert quæ sunt hominum. Dies facilis, impetrabilis in quo ab hominibus quidvis facile impetres. N.

7. *Ut inportem.* Allegoria, ducta a more veterum Rom. qui solebant commeatnm ad exercitum in colonia aliqua præsidii causa impositum auspicato portare; idque auspicato faciebant, ne interciperetur. LAMB.

8. *Mihi cesso, q. sto.* Hoc ad meipsum adtinet qnod sto, meum ipse negotinm moror. Ita Bacchid. act. I, sc. 1, 40 : « ferus es..... mihi sum ». N.

Herum et Chæribulum conspicor: quid heic agitis? adcipe hoc, sis.
STRAT. Quantum heic inest? EPID. Quantum sat est, et plus satis: supersit.
Decem minis plus adtuli, quam tu danistæ debes.
Dum tibi ego placeam, atque obsequar, meum tergum floccifacio.
STRAT. Nam quid ita? EPID. Quia ego tuum patrem faciam perenticidam.
STRAT. Quid istuc est verbi? EPID. Nihil moror vetera et volgata verba,
Peratim ductare: at ego follitim ductitabo.
Nam leno omne argentum abstulit pro fidicina (ego resolvi,
Manibus his dinumeravi), pater suam gnatam quam esse credit.
Nunc iterum ut fallatur pater, tibique auxilium adparetur,
Inveni viam: ita ego suasi seni, atque hanc habui orationem,
Uti, tu quom redisses, ne tibi ejus copia esset.
STRAT. Euge, euge! EPID. Ea jam domi 'st pro illa. STRAT. Teneo. EPID. Nunc auctorem

9. *Sis*. Amph. I, 1, 130. N.

10. *Supersit*, supple *ita ut*. N.

13. *Perenticidam*. Analogia suadet scribendum esse *pericidam*. BOXHORN. — *Perenticidam* recte se habet, et melius versui convenit quam *pericidam*. Præterea omnes libri ita legunt. Cogitandum est Plautum multa talia fingere sine ulla analogia et ratione. Satis illi fuit quod vulgus intelligere posset nomen illud a *pera* factum esse, et lusisse auctorem in ambiguo vocum *parenticidæ* et *perenticidæ*. SALM.

15. *Peratim ductare*. Servi nihili protinus triumphum se commeruisse, putant, si forte herum suum *peratim*, id est, perpauxilli argenti modo, et quantilli *peræ* unius laxitas sit capax, defraudaverint. *Ductare* expono, quasi dicas, argeuto circumducere; suspicorque omnem sententiæ istiusce argutiolam in duobus adverbiis illis, *peratim* et *follitim*, hoc est, in modi sive mensuræ ejus differentia, quanta inter *peram* et *follem* est, consistere. DOUZA.

21. *Euge*. Adolescenti, quem olim amatæ odium nunc cepit, placet consilium, quo sibi ab illa interdicitur. N. — *Ea jam domi est pro illa*. Scilicet ea fidicina, quæ introducta erat pro filia. Et forte sic

Dedit mihi ad hanc rem Apœcidem, is apud forum manet me :
Quasi quoi emeret, caveat. STRAT. Haud male! EPID. Jam ipse cautor captu'st.
Ipse in meo collo tuus pater cruminam conlocavit.
Is adornat, adveniens domi extemplo ut maritus fias.
STRAT. Uno persuadebit modo, si illam, quæ adducta 'st mecum,
Mihi ademsit Orcus. EPID. Nunc ego hanc astutiam institui.
Deveniam ad lenonem domum egomet solus : eum ego docebo,
Si qui ad eum adveniant, ut sibi datum esse argentum dicat
Pro fidicina : argenti minas se habere quinquaginta.
Quippe ego qui nudiustertius meis manibus dinumeravi
Pro illa tua amica, quam pater suam filiam esse retur.
Ibi leno sceleratum caput suum inprudens adligabit,
Quasi pro illa argentum adceperit, quæ tecum adducta nunc est.

Plautus scripsit : *pro filia*, inquam; uam testatur Gruterus istud esse quidem in Cam. sed manu secunda. Alii codices *pelia* vel *pellia*. GRON.

23. *Quasi quoi emeret, caveat.* Quasi caveat ei, cui emeret, nempe Periphani. *Caveat*, id est, satis accipiat a lenone prædibus et prædiis. LAMB. — *Quasi* hoc loco valet *ut*. Scilicet : tanquam is qui caveat, id est, ut caveat. Tò « quasi » notionem simulandæ rei nullam hic habet. — *Cautor captu'st.* Capt. II, 2, 6. N.

26. *Uno... modo, si*; etc. Unus modus est quo me hoc persuadeat, nempe si illa emortua fuerit. N.

28. *Domum*, ubi sit secretum colloquium nullis arbitris. — *Egomet solus*, antequam eum comitante Apœcide conveniam. N.

30. *Minas se habere quinquaginta.* Atqui de *triginta* tantum constat ex ultima scena. Quærit Acidalius colorem et velum, quo tegat œconomiæ hunc errorem : sed utrum invenerit nescio. Dicamus interea, Epidicum vernili ingenio et jactantia summam apud alios verbis exaggerasse : quod solet fieri. ERN.

33. *Inprudens.* Quidam malunt *inpudens*; edoctum enim illum rem fore ab Epidico. Sed fallet eum falsidicis documentis Epidicus, qui de puella quam adolescens adduxit secum, reticebit. Itaque leno credet se de fidicina quam vendidit jurare, dum jurabit de illa vir-

CHÆR. Vorsutior es, quam rota figularis. EPID. Jam ego parabo
Aliquam dolosam fidicinam, numo conducta quæ sit,
Quæ se emtam simulet, quæ senes duo docta ludificetur.
Eam ducet simul Apœcides ad tuum patrem. STRAT. Ut parate!
EPID. Eam permeditatam meis dolis, astutiisque onustam
Mittam: sed nimis longum loquor; diu me estis demorati.
Hæc scitis jam, ut futura sint: abeo. STRAT. Bene ambulato.
CHÆR. Nimis doctus ille est ad malefaciendum. STRAT. Me quidem certo
Servavit consiliis suis. CHÆR. Abeamus intro hinc ad me.
STRAT. Atque aliquanto lubentius quam abs te sum egressus intus,
Virtute atque auspicio Epidici cum præda in castra redeo.

SCENA TERTIA.

PERIPHANES, APŒCIDES, SERVUS.

PERIPH. Non oris causa modo homines æquom fuit
Sibi habere speculum, ubi os contemplarent suum;
Sed quî perspicere possent cor sapientiæ,

gine quam senes fidicinam existimaut. N.

35. *Vorsutior*, etc. Vorsuti audiunt qui callidum habent ingenium et quocumque opus sit versabile. Qua metaphora Chæribulus alludit ad rotam figularem, quæ versando currit. Cf. Horat. Art. poet. 22; Capt. II, 3, 8. N.

37. *Docta*. A me fallaciis instructa. Terent. Eun. *perdocta est probe*.

39. *Permeditatam*. Probe doctam, præparatam. Stich. II, 2, 34, « meditabor me ad ludos ». Μῄδειν. N.

42. *Nimis*. Aulul. II, 2, 31.

45. *Virtute*, etc. Cf. Bacch. IV, 9, 145. N.

3. *Cor sapientiæ*. Frustra scripturæ seu verbis seu interpunctione emendandæ laborant docti viri. « Cor sapientiæ » hellenismus est pro « cor sapiens, in quo sedet sapientia ». Hujusmodi locutio Plautina est. Pers. III, 1, 2, « perennitatis cibo ». De corde conf. Cistell. I, 1, 67 seq. N.

Igitur perspicere ut possent cordis copiam.
Ubi id inspexissent, cogitarent postea,
Vitam ut vixissent olim in adulescentia.
Vel quasi egomet, qui dum fili causa cœperam
Ego me excruciare animi, quasi quid filius
Meus deliquisset me erga, aut quasi non plurimum
Malefacta mea essent solida, in adulescentia.
Profecto deliramus interdum senes.
Fuit conducibile hoc quidem mea sententia.
Sed meus sodalis it cum præda Apœcides.
Venire salvom mercatorem gaudeo.
Quid fit? APOEC. Dii deæque te adjuvant. PERIPH. Omen placet.
APOEC. Quoi homini omneis subpetunt res prosperæ.
Sed tu hanc intro jubeas abduci. PERIPH. Heus foras
Exite huc aliquis: (exit servus.) duce istam intro mulierem,
Atque audin'? SERV. Quid vis? PERIPH. Cave siris cum filia
Mea copulari hanc; neque conspicere: jam tenes?
In ædiculam istanc seorsum concludi volo.
Divortunt mores virgini longe ac lupæ.
APOEC. Docte et sapienter dicis: non nimis potest

4. *Igitur*, exinde. Bacchid. III, 4, 19. N.

7. *Vel*, i. e. et jam, αὐτίκα. — *Quasi*, exempli causa; ut ego ipse, qui, etc. *Quasi* pro *quemadmodum*. LAMB. — *Qui dum*. Dum παρέλκει. Bothius emendat « vel quasi egomet quidem ». N.

8. *Excruciare animi*. Cf. supra I, 2, 35; II, 2, 55. N.

10. *Solida*. Gravia, integra, suis partibus absoluta. Sic Ter. « solide gaudere » Andr. V, 5, 8, « solidum beneficium » Eunuch. V, 2, 32. LAMB.

12. *Fuit conducibile*. Scilicet tale speculum habere.

13. *It*. Bacch. V, 2, 67. — *Cum præda*. Cum fidicina filio erepta. Ita quidem senes arbitrantur; sed falso. LAMB.

16. *Subpetunt*. Id est, congruunt, consequuntur, ut Asin. I, 1, 41; Pseud. I, 1, 106. GRON.*

18. *Exite huc aliquis*. Huc aliquis famulorum exeat. Merc. IV, 2, 111.

19. *Siris*. Pro *siveris* a sino. TAUB.

20. *Jam tenes?* Capt. prol. 10. N.

22. *Divortunt*. Id est, differunt, diversi sunt. GRON.*

Pudicitiam quisquam suæ servare filiæ.
Edepol, næ istam tempore gnato tuo
Sumus præmercati. PERIPH. Quid jam? APOEC. Quia dixit mihi
Jamdudum se alius tuum vidisse heic filium.
PERIPH. Hanc, edepol, rem adparabat. APOEC. Plane, hercle, hoc quidem 'st.
Næ tu habes servom graphicum, et quantivis preti.
Non caru'st auro contra: ut ille fidicinam
Fecit nescire prorsus, se esse emtam tibi!
Ita ridibundam atque hilaram huc adduxit simul.
PERIPH. Mirum, hoc quî potuit fieri? APOEC. Te pro filio
Facturum dixit rem esse divinam domi,
Quia Thebis salvos redierit. PERIPH. Recte institit.
APOEC. Imo ipsus illi dixit, conductam esse eam,
Quæ heic administraret ad rem divinam tibi,
Facturum hoc dixit, rem esse divinam tibi domi.
Ego illeic me autem sic adsimulabam quasi
Stolidum, quom bardum me faciebam. PERIPH. Imo ita decet.
APOEC. Res magna amici apud forum agitur: ei volo
Ire advocatus. PERIPH. At quæso, ubi erit otium,
Revortere ad me extemplo. APOEC. Continuo heic ero. (abit.)
PERIPH. Nihil homini amico est obportuno amicius:

25. *Tempore.* Id est, opportune, tempestive: idemque efferebant *tempori*, ut *heri*, *here*, *luci*, *luce*. — *Præmercati.* Mercati ante filium. N.

29. *Graphicum. Graphicus*, ut apud Horatium, ad unguem factus, venustus scitoque ingenio, et quasi pictoris manu expolitus. Γράφειν, pingere: γραφίς, stylus, penicillus. SCALIG.

30. *Non caru'st auro contra.* Cf. Curcul. I, 3, 46. N.

32. *Ridib. atque hil.* Credo equidem furti consciam risisse, sed aliter atque senex existimabat. N.

35. *Institit*, processit, i. e. fecit. Asin. I, 1, 39. N.

37. *Quæ heic*, etc. Post hunc versum vulgatæ dant « facturum hoc dixit rem esse divinam tibi domi » errore librariorum ex v. 34 repetitum. N.

40. *Quom.* Both. emendat *quin*, velim auctore manuscripto. N.

Sine tuo labore, quod velis, actum'st tamen.
Ego si adlegassem aliquem ad hoc negotium
Minus hominem doctum, minusque ad hanc rem callidum,
Os sublitum esset : itaque me albis dentibus
Meus derideret filius meritissumo.
Sed hic quis est, quem huc advenientem conspicor,
Suam qui undantem chlamydem quassando facit?

SCENA QUARTA.

MILES, PERIPHANES, FIDICINA.

MIL. Cave præterbitas ullas ædeis, quin roges,
Senex ubi habitat Periphanes Plothenius.
Incertus tuum cave ad me retuleris pedem.
PERIPH. Adulescens, si istunc hominem, quem tu quæritas,
Tibi conmonstrasso, ecquam abs te inibo gratiam?
MIL. Virtute belli armatus promerui, ut mihi
Omneis mortaleis deceat agere gratias.

48. *Os sublitum.* Captiv. III, 4, 124. N. — *Albis dentibus.* Significatur cachinnatio, et risus effusior; in quo dentes denudantur. CAMER. — Cf. Capt. III, 1, 25, et epigr. Catulli in Egnatium 39. N.

51. *Undantem chlamydem.* Habitum incessumque gloriosi, nimis pol graphice expressit : ab Afranio item adumbratum, in Pompa : «Tene tu : in medio nemo est : magnifice volo fluctuatim ire ad illum», ubi *fluctuatim* pro *jactanter et solute* sumptum exponitur a Nonio. *Vestis undans* hic est, quæ incessu crispatur, præsertim dum succussatur corpus : qua ratione *undantes habenas* dixit Virgil. Æn. XII, v. 471, quasi undatim crispantes, dum ab auriga commoventur. H. JUN. — Contra de incessu modesto ac minime superfluo perelegantia sunt illa Petronii : «Quo oculorum mollis illa petulantia? quo incessus tute compositus, et ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia, etc.» Seneca, Nat. Quæst. VII, 31 : «Tenero et molli incessu suspendimus gradum». WOUW.

1. *Cave.* Servum suum anteambulonem alloquitur miles. BOXH.

2. *Plothenius.* Vulgatæ *Platenius.* Non dubitamus nomen illud populi corruptum fuisse. *Plothenius* est Πλωθειεὺς ex Ægeide tribu. Stephanus : Πλωθειά δῆμος Αἰγηΐδος φυλῆς· ὁ δημότης, Πλωθειεὺς, καὶ Πλωθεύς. PETIT.

PERIPH. Non reperisti, adulescens, tranquillum locum,
Ubi tuas virtutes explices, ut postulas.
Nam strenuiori deterior si prædicat
Suas pugnas, de illius ore fiunt sordidæ.
Sed istum quem quæris Periphanem Plothenium,
Ego sum, si quid vis. MIL. Nempe quem in adulescentia
Memorant apud reges, armis, arte duellica
Divitias magnas indeptum? PERIPH. Imo si audias
Meas pugnas, fugias manibus demissis domum.
MIL. Pol, ego magis unum quæro, meas quoi prædicem,
Quam illum qui memoret suas mihi. PERIPH. Hic non est locus.
Quin, tu alium quæras, quoi centones sarcias.
(secum.) Atque hæc stultitia'st me illi vitio vortere,
Egomet quod factitavi in adulescentia,
Quom militabam; pugnis memorandis meis
Eradicabam hominum aureis, quando obcœperam.
MIL. Animum advorte, ut, quod ego ad te venio, intellegas.
Meam amicam audivi te esse mercatum. PERIPH. Attate!
Nunc demum scio ego hunc, qui sit; quem dudum Epidicus

8. *Tranquillum locum.* Sane τὸ *tranquillum* eleganter et non trito more pro commodo, vacuo, nihil ubi sit impedimenti, ubi non obloquuntor. Hæc est tempestas, quæ ostentatori mero tranquillum non sinat. GRONOV.

11. *De illius ore*, id est, ex oratione strenuioris, narratione majorum rerum opposita, minus strenui laudes sordescunt. N.

14. *Memorant apud reges*, etc. De hujusmodi quæstu cf. Mil. gl. I, 1, 73. — *Duellica.* Vetus, ut *duellum* pro *bellum*. N.

16. *Manibus demissis.* Græci dicunt παραστῆσαι τὰ χεῖρε. Contentius enim currimus, manus demissas habentes, et circum latera jactantes. CASAUB.

19. *Quoi centones sarcias.* Vulgatæ male *farcias*. Lucilius: « sarcinatorem esse summum, suere centonem optime ». Suuntur et *sarciuntur* centones, non *farciuntur*. Isidorus, Orig. I, 38: « Centones apud grammaticos vocari solent, qui de carminibus Homeri vel Virgilii ad propria opera, more centonario, ex multis hinc inde compositis in unum sarciuntur corpus ad facultatem cujusque materiæ ». GRONOV.

25. *Scio hunc... qui.* Hellenismus.

Mihi prædicavit militem. Adulescens, ita 'st
Ut dicis : emi. MIL. Volo te verbis pauculis,
Si tibi molestum non est. PERIPH. Non, edepol, scio.
Molestum non est, nisi dicis quid velis.
MIL. Mihi illam ut tramittas, argentum adcipias.
PERIPH. Habeas. MIL. Nam quid ego apud te parcam proloqui?
Ego illam hodie volo facere libertam meam,
Mihi concubina quæ sit. PERIPH. Te absolvam brevi:
Argenti quinquaginta mihi illa emta 'st minis.
Si sexaginta mihi denumerantur minæ,
Tuas possidebit mulier faxo ferias :
Atque ita profecto, ut eam ex hoc exoneres agro.
MIL. Estne emta mihi hæc? PERIPH. Istis legibus habeas licet.
Conciliavisti polchre. Heus, foras educite,

28. *Volo te.* Bacch. V, 2, 21. N.

30. *Molestum non est, nisi dicis.* Haud possum tibi dicere, molestumne sit futurum an non, nisi prius loquentem audiero. Præ se fert enim, se nec scire nec divinare, quid miles esset dicturus, etsi satis suspicabatur. GRON.

32. *Habeas.* Nulla hic opus mutatione quam vult Dissaldeus. Nondum quidem Periphani de pretio cum milite convenerat : nihilominus subintelligitur. Habeas, inquit, illam, ubi mihi pro illa, quæ empta mihi est quinquaginta minis, argentum solveris. BOXH.

34. *Concubina quæ sit.* Jure fiebat concubinatus, seque jure suo concubinæ tuebantur, quasi uxores sine justis nuptiis longe alia conditione atque meretrices, neque illas domo exigere pro lubitu licebat. Cf. Mil. gl. IV, sc. 3.

37. *Tuas possidebit*, etc. *Feriæ* dicuntur, remissio laboris. *Possidebit ferias tuas*, quas tu illi facies, libertate donatæ, a servili opere et labore immuni. BOXH. — Legend. «Tuas residebit mulier faxo ferias», id est, tibi mulier feriabitur, tibi cessabit, tuas ferias celebrabit. Idem Plautus in Capt. III, 1 : « Venter gutturque resident esuriales ferias ». SALMAS.

38. *Ex hoc exoneres agro.* Est hypallage, pro hunc agrum scilicet Atticum ea exoneres, eam alio avehas ne obvia sit filio. LAMB.

39. *Estne emta*, etc. Cf. Captiv. I, 2, 76-78. N.

40. *Conciliavisti polchre.* « Bene, ac pulchre conciliare », est vili emere; contra *male conciliare*, care et magno pretio. Omnis enim conventio est conciliatio. Sic Donatus ad Terent. Eunuch. act. IV, sc. 4, 1

Quam introduxistis fidicinam : atque etiam fides,
Ei quæ adcessere, tibi addam dono gratiis.
(Servus educit fidicinam modo conductam ab Epidico.)
Age, adcipe hanc, sis. MIL. Quæ intemperiæ te tenent?
Quas tu mihi tenebras cudis? quin tu fidicinam
Produci intus jubes? PERIPH. Hæc ergo est fidicina.
Heic alia nulla'st. MIL. Non mihi nugari potes.
Quin tu huc producis fidicinam Acropolistidem?
PERIPH. Hæc, inquam, est. MIL. Non hæc, inquam, est : non gnovisse me
Meam rere amicam posse? PERIPH. Hanc, inquam, filius
Meus deperibat fidicinam. MIL. Hæc non est ea.
PERIPH. Quid? non est? MIL. Non est. PERIPH. Unde hæc igitur gentium'st?
Equidem, hercle, argentum pro hac dedi. MIL. Stulte datum
Reor, atque peccatum largiter. PERIPH. Imo hæc ea'st:
Nam servom misi, qui sectari solet meum
Gnatum : ipse hanc emit fidicinam. MIL. Hem, istic homo
Articulatim te concidit, senex, tuus
Servos. PERIPH. Quid? concidit? MIL. Nihil : sic subspicio'st.
Nam pro fidicina hæcce subposita 'st tibi.
Senex, tibi os est sublitum plane et probe.

vers. 2, ubi citat Amphitr. I, 1, 132. N.

41. *Fides.* Citharam.

42. *Quæ intemperiæ*, etc. Non sanus es. Aulul. I, 1, 30. N.

45. *Intus.* Amph. II, 2, 138. N.

55. *Ipse*, etc. Scribit Bothius ex conjectura Gulielmi : « ipsod hanc in articulo emit fidicinam.—Hem istic te homo articulatim concidit, senex, Tuus servos. — Quid? concidit? — Sic suspicio'st ». Ita τὸ articulatim militis alludat per ambiguitatem ad τὸ ipso in articulo (i. e. nuperrime). Id optimum, si MSS. ferrent. N.

56. *Articulatim te concidit.* I. e. te delusit omnibus modis atque diripuit pecuniam. N.

57. *Nihil : sic subspicio 'st. Nihil* delendum censent viri docti, quod ea vox in plerisque MSS non compareat, neque ullus usus hoc loco sit. Sed profertur, opinor, ironicōs et facit ad metrum. GRON.

59. *Probe.* Curcul. I, 3, 58.

PERIPH. Ego illam requiram jam, ubi ubi est : bellator, vale.
Euge, euge, Epidice, frugi es; pugnasti; homo es,
Qui me emunxisti mucidum, minumi preti.
(ad fidicinam.) Mercatus te hodie est de lenone Apœcides?
Ehodum. FID. Ego istunc hominem nunquam audivi ante hunc diem,
Neque me quidem emere quisquam ulla pecunia
Potuit : plus jam sum libera quinquennium.
PERIPH. Quid tibi negoti 'st meæ domi igitur? FID. Audies.
Conducta veni, ut fidibus cantarem seni,
Dum rem divinam faceret. PERIPH. Fateor me omnium
Hominum esse Athenis Atticis minumi preti.
Sed tu gnovistin' fidicinam Acropolistidem?
FID. Tam facile, quam me. PERIPH. Ubi habitat? FID. Postquam libera 'st,
Incerto scio. PEIPH. Eho! ain'? quis eam liberaverit,
Volo scire, si scis. FID. Id quod audivi audies.
Stratippoclem audivi Periphani filium
Absentem curavisse ut fieret libera.
PERIPH. Perii, hercle, si isthæc vera sunt, planissume;
Meum exenteravit Epidicus marsupium.
FID. Hæc sic audivi : numquid me vis cæterum?
PERIPH. Malo cruciatu ut pereas, atque abeas cito.

61. *Pugnasti.* Pugna tibi absolnta prospere cessit. Cf. Bacch. II, 3, 40. N. — *Homo es*, sic te hominem approbas, non stipitem, bellnam. Humanitas i. q. artes. LAMB.

62. *Qui me emunxisti.* Metaphora servilia et jocosa. Græcis ἀπομύττειν. Me, tanquam puerulum, cujus nasus mucoris plenus, omnisque consilii expers est, delnsum argento spoliasti. Phorm. IV, 4, 1 : « Emunxi argento senes ». LAMB. — *Minumi preti*, me stolidum, hebetem ingenio. N.

70. *Athenis Atticis.* Non babuit hoc, credo, ille in mente, ut Athenas in Attica terra sitas ab aliis Athenis, quæ erant, distiugueret. Sed iratus insistit definitione regionis. N.

75. *Periphani*, genitiv. qnasi ex *Periphanus*. Supra p. 114, n. 27. N.

77. *Planissume.* Ad verbnm *per ii* hæc vox referenda. N.

FID. Fides non reddis? PERIPH. Neque fides, neque tibias.
Propera igitur fugere hinc, si te dii amant. FID. Abiero.
Flagitio cum majore post reddes tamen. (abit.)
PERIPH. Quid nunc? qui in tantis positus sum sententiis,
Eumne ego sinam inpune? imo etiam alterum
Tantum perdundum 'st; perdam potius, quam sinam
Me inpune inrisum esse habitum, depeculatum eis.
[Mi] sic data esse verba præsenti palam!
At me minoris facio præ illo, qui omnium
Legum atque jurum fictor, conditor cluet?
Is etiam sese sapere memorat; malleum
Sapientiorem [scilicet] manubrio.

83. *Flagitio.* Qui res suas furto vel per vim ablatas repetebant, iis convicium faciebant, eorum occentabant ostium, qui illas babebant injuria. Merc. II, 3, 82.

84. *In tantis positus sum sententiis. Pani in sententia* est præscribi sententiæ auctorem. Solebant antem psephismatibus et decretis liberarum civitatum præponi nomina illorum, qui eorum auctores fuerant. Hinc illud apud Gellium, XVIII, 3: « Quod si proba ista hæc et honesta sententia est, quæso vos, non sinamus eamdem dehonestari turpissimi auctoris contagio ». Vide reliqua et nostrum quartum Observationum. Est ergo, « qui in tantis positus sum sententiis », cujus in sententiam toties populi psephisma factum et nomen meum præscriptum bahuit. GRONOV. — *Tantis* pro *tam multis* ad instar graiæ vocis τοσοῦτος. Nisi de psephismatibus vocem *sententiis* intelligas, possis accipere sententias in senatu dictas. Duo enim senes « senati columen cluent », supra II, 2, 5. Haud semel vel inscitis, vel nequam objicitur sua diguitas senatoria. N.

89. *At me minaris*, etc. Vulgatæ *Atque me*, metro laborante. Postquam se ultro incusavit, in adjutorem suum Apœcidem convertitur, jureconsultum nobilem, qui cautor captus est.

90. *Legum atque*, etc. Supra II, 3, 108.

92. *Sapientiarem*, etc. Hic erat lacuna in libris omnibus MSS inter vocem *sapientiorem* et *manubria*, uno excepto, in quo sic erat expleta aliena manu « malleum sap. scilicet esse manub. » Scil. idem est quod « perspicuum est », Asin. IV, 1, 41. Significat comice et εἰρωνικῶς Periphanes Apœcidem se esse sapientiorem, ut malleus plus sapit quam manubrium. Ambo igitur æque stulti ac stolidi. LAMB.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

PHILIPPA, PERIPHANES.

PHIL. Si quid homini miseriarum, quod miserescat misere ex animo, est,
Id ego experior, quoi multa in unum locum confluunt, quæ meum
Pectus pulsant simul : multiplex ærumna me exercitam habet : paupertas,
Pavor territat mentem animi, neque ubi meas conlocem spes,
Habeo usquam munitum locum : ita gnata mea hostium 'st potita :
Neque, ea nunc ubi sit, nescio. PERIPH. Quis illæc est mulier, timido
Pectore peregre adveniens, quæ ipsa se miseratur? PHIL. In his dictu'st

1. *Si quid homini*, etc. Vulgatæ, « Si quid est homini miseriarum, quod miserescat, miser ex animo est », sublesto sensu. Partim Gronovii, partim Bothii ope restituimus, ita explicandum : si quid miseriarum est homini (ob) quod misere miserescat ex animo (homines), id ego, etc. *Miserescit*, i. q. miseret. Conf. Terent. Heaut. V, 4, 3. « Misere miserescat », locutio Plautina, ut « memoriter meminisse » et talia multa. « Ex animo », valde, penitus. Formula usitatissima. N.

4. *M. animi*. Bacch. III, 4, 11.

5. *Hostium 'st potita*. Captiv. I, 1, 24. N.

6. *Neque... nescio*. Gemina negativa hic negat, ut sæpe. Tit. Liv. V, 3 : « numquam nec opera sine emolumento, nec emolumentum, etc. » Idem, XXXVII, 52 : « Ego nulli omnium neque regum neque populorum, etc. » Brunck. « atque ... nescio ». — *Quis illæc est ?* Aul. II, 1, 16. N.

Locis habere mihi Periphanes. PERIPH. Me nominat hæc : credo ego
Illi hospitio usus. Invenit. PHIL. Pervelim mercedem dare
Qui monstret eum mihi hominem, aut ubi habitet. PERIPH. Gnoscito ego hanc.
Nam videor, nescio ubi, me vidisse prius : estne ea an non
Est, quam animus retur meus? PHIL. (aspiciens Periphanem.) Di boni ! visitavi antidhac.
PERIPH. Certe ea est, quam in Epidauro pauperculam memini conprimere.
PHIL. Plane hic ille est, qui mihi in Epidauro primus pudicitiam
Pepulit. PERIPH. Quæ meo conpressu peperit filiam, quam domi
Nunc habeo. PHIL. Quid si adeam? PERIPH. Haud scio an congrediar, si hæc ea 'st.
PHIL. Sin est is homo, sicut anni multi me dubiam dant.... PERIPH. Longa
Dies meum incertat animum : sin ea est, quam incerto autumo.... hanc
Congrediar astu. PHIL. Muliebris adhibenda mihi malitia nunc est.
PERIPH. Conpellabo. PHIL. Orationis aciem contra conferam.
PERIPH. Salva sis. PHIL. Salutem adcipio mihi et meis. PERIPH. Quid cæterum?

8. *Habere*. Aulul. prol. 5. N.

9. *Illi hospitio usus*. Non mutanda vulg. lectio hujus loci, sed sola interpunctione adhibita sananda. Nominaverat Periphanem mulier peregrina priusquam eum videret. Dicit Periphanes : « huic mulieri, ut opinor, hospitio usus, id est, opus est ». Et per ironiam addit, *invenit*.

14. *Pudicitiam Pepulit*. I. e. virginitatem mihi eripuit. Livius : *Expugnavit decus muliebre*; quod Apul. *interficere virginitatem* dixit. TAUBM. — Cf. Aulul. prol. 36. N.

16. *Si hæc ea 'st*. Continuatio dubitationis an illa sit. Cf. Amph. I, 1, 301, II, 1, 74.

18. *Autumo*. Amph. I, 1, 150. N.

PHIL. Salvos sis : quod credidisti, reddo. PERIPH. Haud adcuso fidem.
Gnovin' ego te? PHIL. Si ego te gnovi, animum inducam uti gnoveris.
PERIPH. Ubi te visitavi? PHIL. Inique injurius. PERIPH. Quid jam? PHIL. Quia
Tuæ memoriæ interpretari me æquom censes. PERIPH. Conmode
Fabulata es. PHIL. Mira memoras. PERIPH. Hem istuc rectius.
Meministin'?... PHIL. Memini id. PERIPH. In Epidauro?... PHIL. Ah! guttula
Pectus ardens mihi adspersisti. PERIPH. Virgini pauperculæ,
Tuæque matri me levare paupertatem? PHIL. Tun' is es,
Qui per voluptatem tuam in me ærumnam obsevisti gravem?
PERIPH. Ego sum : salve. PHIL. Salva sum, quia te esse salvom sentio.
PERIPH. Cedo manum. PHIL. Adcipe : ærumnosam et miseriarum conpotem

22. *Quod credidisti, reddo.* Nempe *salutem :* quam abs te quasi creditam accepi. Bacchid. II, 3, 11 : « Quin tu primum reddis salutem, quam dedi? » — *Haud adc. fidem.* Debitrix es fidelis. N.

24. *Inique injurius es.* Non recte agis. N.

25. *Interpretari.* Interpretem fieri. DOUZA.

26. *Mira memoras.* Scilicet quum dicis, me scite loqui; quum id a natura feminarum absit. LAMB. — Aliquid simile vide in Aulul. II, 1, 16. N. — *Istuc rectius.* Antea recte, nunc etiam rectius loqueris, de muliebri genere vitium confessa. N.

27. *Meministin'?—Mem. id.* Mira sane diverbii subtilitas certantium uter non prior se nominet. — *Ah! guttula*, etc. Conf. Amph. V, 1, 6. Sed « guttula » dicit, quia pauxillum adhuc declaratur. N.

29. *Me levare.* Hoc pendet a verbo *meministin'*. N.

30. *Obsevisti gravem.* Trucul. II, 6, 38 : « Qui vim magni doloris per voluptatem tuam condidisti in corpus, etc. » Eleganter et honeste solent Veteres agriculturæ vocabula transferre ad rem voluptatum : de quo dicit Asin. V, 2, 24, et alibi. ERNEST.

32. *Conpotem.* Id est, plenam. LAMB. — Ita « culpæ conpotem », Trucul. IV, 3, 61. N.

Mulierem retines. PERIPH. Quid est, quod voltus te turbat tuus?
PHIL. Filiam, quam ex te suscepi..... PERIPH. Quid eam? PHIL. Eductam perdidi.
Hostium est potita. PERIPH. Habe animum lenem, et tranquillum face :
Domi meæ eccam salvam et sanam : nam postquam audivi inlico
Ex meo servo illam esse captivam, continuo argentum dedi
Ut emeretur : ille eam rem adeo sobrie et frugaliter
Adcuravit, ut alias res est inpense inprobus.
PHIL. Fac videam, si me vis. PERIPH. Eho, Canthara, statim jube
[Huc] Thelestidem prodire filiam ante ædeis meam,
Ut suam videat matrem. PHIL. Remigrat animus nunc demum mihi.

SCENA SECUNDA.

FIDICINA, PERIPHANES, PHILIPPA.

FID. Quid est, pater, quod me excivisti ante ædeis? PERIPH. Ut matrem tuam
Videas, adeas, venienti des salutem atque osculum.
FID. Quam meam matrem? PERIPH. Quæ exanimata exsequitur adspectum tuum.

33. *Quid est, quod vultus te turbat.* Princeps codicum, *quod duoitus* : unde plerique posteriores librarii fecerunt *quod digitus*, frustra arreptum et explicatum viris doctis : quum non aliud id significet quam *quod voltus*, ut vidit Gruter. Sed præterea scribendum suspicor: « quod voltus se turbat tuus ». GRONOV.

40. *Si me vis* eam videre. Locutio festinantis videre optatam. Haud absimilis illis frequentibus, « age, si quid agis, da, si quid das ». N.

41. *Thelestidem.* Vulgatæ « Acropolistidem ». Sed fidicinæ hoc nomen est, supra III, 4, 47. Igitur Camerarius recte vidit mendosos hoc loco esse codices, et suum virgini quod datur infra nomen restituit. N.

3. *Exsequitur*, quærit. N.

PHIL. Quis istæc est, quam tu osculum mihi ferre jubes? PERIPH. Tua filia.
PHIL. Hæccine? PERIPH. Hæc. PHIL. Egone osculum huic dem? PERIPH. Cur non, quæ ex te gnata sit?
PHIL. Tu, homo, insanis. PERIPH. Egone? PHIL. Tute. PERIPH. Cur? PHIL. Quia ego hanc quæ siet,
Neque scio, neque gnovi, neque ego hanc oculis vidi ante hunc diem.
PERIPH. Scio quid erres, quia vestitum atque ornatum inmutabilem
Habet hæc. PHIL. Aliter catuli longe olent, aliter sues: nego
Eam gnovisse, quæ sit. PERIPH. Proh deum atque hominum fidem!
Quid? ego lenocinium facio? qui habeam alienos domi,
Atque argentum egurgitem domo prorsum. Quid tu, quæ patrem
Tuum vocas me, atque osculare? quid stas stupida? quid taces?
FID. Quid loquar vis? PERIPH. Hæc negat se tuam esse matrem. FID. Ne fuat,
Si non volt: equidem hac invita tamen ero matris filia.
Non me istanc cogere æquom 'st meam esse matrem, si ne volt.

4. *Quis.* Scen. præced. vs. 6. N.

8. *Ornatum*, scil. fidicinæ ornatum gerebat. — *Inmutabilem.* Sicut hærere hic non debebant interpretes, ita feriari potuissent correctorum manus. *Immutabilis* derivatur ab *immuto*, ubi *in* vim augendi habet. *Immutabilem* vero potins dixit, quam *immutatum*, quia non tautum filiæ habitus et ornatus mutatus, sed et in dies mntandus erat: qnum olim, sicut et nostræ ætatis petulantia, vestitus ornatusque, præsertim feminarnm, certam formam, vel modum, ut nnuc loquuntur, non haberet in quo consisteret. Sic venuste a Calpurnio, Ecl. II, dicitnr *mutabilis arbor.* « Mntabilis induet arbor Ignotas frondes, et non geuitalia poma ». Mutabilis arbor, qnæ alienis froudibus et ramnsculis subinde insertis aliter atque aliter comitur. Boxh.

10. *Proh deum*, etc. Hæc sane una est e sceuis, cur Plautus Epidico se jactaret. Bacch. II, 3, 36.

PERIPH. Cur me igitur patrem vocabas? FID. Tua istæc culpa'st, non mea.
Non patrem ego te nominem, ubi tu tuam me adpelles filiam?
Hanc quoque etiam, si me adpellet filiam, matrem vocem.
Negat hæc, filiam me suam esse, non ergo hæc mater mea'st.
Postremo hæc mea culpa non est: quæ didici, dixi omnia.
Epidicus mihi magister fuit. PERIPH. Perii! plaustrum perculi.
FID. Numquid ego ibi peccavi? PERIPH. Si, hercle, te unquam audivero patrem
Me vocare, vitam tuam ego interimam, pessuma. FID. Non voco.
Ubi voles pater esse, ibi esto; ubi noles, ne fueris pater.
PHIL. Quid? ob eam rem hanc emisti, quia tuam gnatam ratus? quibus
De signis adgnoscebas? PERIPH. Nullis. PHIL. Quare filiam
Credidisti nostram? PERIPH. Servos Epidicus dixit mihi.
PHIL. Quid? si servo aliter visum 'st, non poteras gnovisse, obsecro?

22. *Plaustrum perculi.* I. e. everti ac perturbavi rem, falsa emptione. Donatus ad Eunuch. II, 3, 87, rusticum ait proverb. *Pæne plaustrum perculit:* ubi ait Eunucho servus, *Perculeris tu jam me*, id est, impellendo perturbaveris. Fest. « Plaustrum perculi dicebant antiqui ab eo, qui pede onusta plaustra perculit, id est, evertit, quod postea abiit in proverbium ». CAMER. — Accipiendum enim semper de eo, qui evertit ac perturbat rem. Huic proverbio rustico originem dedit aliquis male sedulus et opera vehemente, qui plaustrum inæquale et altera rotarum in alteriorem orbitam depressa inclinatum, veritus, ne in eam partem procumberet, subeundo tam immodice levavit, ut idem plaustrum in alterum latus everteret. Sic Periphanes queritur, se dum sustentare ac suffulcire rem, domumque cupit, tam prompte obnixe egisse, ut eamdem afflixerit. GRON.

29. *Quid? si servo aliter visum 'st*, etc. Si servo aliud fuit consilium atque tibi, nempe ut te falleret. N.

PERIPH. Quid ego? qui illam, ut primum vidi, nunquam vidi postea.
PHIL. Perii misera! PERIPH. Ne fle, mulier: intro abi, habeto animum bonum.
Ego illam reperiam. PHIL. Hinc Athenis civis eam emit Atticus;
Adulescentem equidem dicebant emisse. PERIPH. Inveniam, tace:
Abi modo intro, atque hanc adserva Circam, Solis filiam.
Ego relictis rebus Epidicum operam quærendo dabo:
Si invenio, exitiabilem ego illi faciam hunc, ut fiat, diem.

30. *Ut*, ex quo. Amphit. II, 2, 101. N.

33. *Tace*. Cf. Curcul. I, 1, 84.

34. *Circam*. Circam pro Circen Dorismus est, ideoque veterem latinitatem sapit. Quidam nimium intelligendo faciunt ne intelligant, quum opinantur, quisquis olim ignoto patre genitus fuisset, eum filium Solis dictum fuisse; ideoque fidicinam jculariter vocari Circen. Lambini magis placet interpretatio, qui veneficam præstigiatricem hic significari censet. N.

35. *Relictis rebus*. Cistell. I, 1, 6. Eodem modo et Bacch. III, 5, 1, « rebus aliis antevortar, etc. »

36. *Hunc, ut fiat, diem*. Hellenismus. Faciam ut illi fiat hic dies exitiabilis. N.



ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

STRATIPPOCLES, EPIDICUS, DANISTA, VIRGO.

STRAT. Male morigerus mihi est Danista, qui de me argentum nôn petit,
Neque illam adducit quæ emta ex præda'st : sed eccum incedit Epidicus.
Quid illuc est, quod illi caperat frons severitudine?
EPID. Si undecim deos præter sese secum adducat Jupiter,
Ita non omneis ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.
Periphanem emere lora vidi; aderat ibi una Apœcides.
Nunc homines me quæritare credo : senserunt, sciunt
Sibi data esse verba. STRAT. Quid agis, mea conmoditas? EPID. Quod miser.
STRAT. Quid est tibi? EPID. Quin tu mihi adornas ad fugam viaticum,
Priusquam pereo : nam per urbem duo defloccati senes
Quæritant me, in manibus gestant copulas sescuncias.
STRAT. Habe bonum animum. EPID. Quippe ego, quoi libertas in mundo sita 'st?

3. *Illuc.* Vetus pro *illud.* N.

8. *Quid agis?* Aulul. I, 2, 39. — *Quod miser.* Bacch. V, 2, 20. N.

10. *Defloccati senes.* Id est, calvi, sumpta metaphora a vestibus, quæ villos amiserunt, detritæ. SCAL.

11. *Copulas sescuncias.* Placeret legi cum Scaligero *sescuncias*, qui recte interpretatur sesquipollicem crassitudinem. Lectiones aliæ omnes nugatoriæ. SALMAS. — Bothius velit *sescunciales.* At positivum vice adjectivi in sermone Plautino fungi haud semel animadvertemus. N.

12. *Quippe ego, quoi libertas in mundo.* Quasi dicat : quidni ego bo-

STRAT. Ego te servabo. EPID. Edepol, me illi melius, si nacti fuant.

Sed quis hæc muliercula, et illic gravastellus qui venit?

STRAT. Hic est Danista : hæc illa 'st autem, quam emi ex præda. EPID. Hæccine'st?

STRAT. Hæc : estne ut tibi dixi? adspecta. EPID. Hæc? STRAT. Contempla, Epidice.

Usque ab unguiculo ad capillum summum 'st festivissuma.

Estne? considera : signum pictum polchre videris.

EPID. Ex tuis verbis meum futurum corium polchrum prædicas :

Quem Apelles atque Zeuxis duo pingent pigmentis ulmeis.

STRAT. (ad Danistam.) Di inmortaleis, otio isse admiror : pedibus pulmoneis

Qui perhibetur, prius venisset, quam tu advenisti mihi.

num animum habeam, cui libertas parata est domi? Ironia servilis. « In mundo esse dicebant antiqui, quum aliquid in promptu esse volebant intelligi ». FEST. LAMB. — *In mundo*. Asin. II, 1, 16. Ironia vel in metu jocantis. N.

13. *Me illi melius* servabunt, id est, custodient alio sensu atque adolescens se servaturum, tuiturum pollicebatur. N.

14. *Gravastellus*. Meursius velit *ravastellus*, quasi a *ravus* fiat ravaster, unde *ravastellus*. Salmasius retinet « gravastellus » eadem significatione, litera *g* ante *r* addita, ut præit *n* in *gnavus*, *gnatus*, et similibus. Bothius censet litera *g*, spiritum literæ *r* repræsentari. N.

19. *Ex tuis verbis*. Si picta sunt pulchra; meum tergum pulchrum futurum est. LAMB.

20. *Apelles atque Zeuxis*. Non Periphanes atque Apœcides erant, ut Lambinus autumat, sed duo lorarii; jubebant, non faciebant ipsi carnificinam. — *Pigmentis ulmeis*. Alius ejusdem ordinis atque ingenii se conscribi stylis ulmeis volet, alius statua fiet verberea. Captiv. V, 1, 31; Pseud. I, 5, 132. N.

21. *Otio isse admiror* te. Quam lente veneris miror. — *Pulmoneis*. Id est, ut alii interpretantur, mollibus, vel, ut alii, tumentibus; ad utrumque enim facit metaphora. Sed Bothius legit in codicibus *pulmunes*, *pulmones*, et inde orationem confecit metro aptiorem eamdemque sententia apertiore : « otio isse admiror pedibus. Pulmon' es qui perhibetur ». Venire pedibus pro simplici venire latine profertur, sicut *ore loqui*, et similia. Dein sententia esset : an pulmo es de quo proverbium ore vulgi teritur. Id autem fuit : « pulmo prius venisset ». N.

21. *Qui perhibetur*. Sensus vulgata lectione: homo, qui pulmo-

DAN. Hæc, edepol, remorata me est. STRAT. Siquidem istius gratia
Es remoratus, quod ista voluit, nimium advenisti cito.
DAN. Age, age, absolve me atque argentum numera, ne comites morer.
STRAT. Pernumeratum'st. DAN. Tene cruminam: huc inde. STRAT. Sapienter venis.
Obperire, dum ecfero ad te argentum. DAN. Matura. STRAT. Domi'st. (abit.)
EPID. (conspiciens virginem.) Satin' ego oculis utilitatem obtineo sincere, an parum?
E Philippa matre gnatam a Thebis, Epidauri satam,
Videon' ego Telestidem te Periphani filiam?
VIRG. Quis tu homo es, qui meum parentum nomen memoras, et meum?
EPID. Non me gnovisti? VIRG. Quod quidem nunc veniat in mentem mihi.
EPID. Non meministi me auream ad te adferre natali die
Lunulam atque anellum aureolum in digitum? VIRG. Memini, mi homo.
Tune is es? EPID. Ego sum, et istic frater tuus est, alia matre, uno patre.

neis, ut proverbio perhibetur, incedit pedibus, etc. N.

25. *Comites*, non servos, sed quos adduxit secum, adjutores et advocatos, si opus esset. N.

26. *Sapienter venis.* Cum crumena scilicet, cui indam pecuniam. LAMBIN.

28. *Satin' ego*, etc. Alibi dicit, « satin' recte oculis utor? » id est, satisne clare oculis prospicio, an secus? Eleganter: utilitas hic non aliud quam usus: non χρησιμότης, sed χρῆσις. Et hæc est propria ac prisca notio. Auctor ad Heren. IV, « si idoneus esse potest ad eas utilitates et aptus, quæ desiderantur ab equo ». Postea, quia quicquid usum sui præstat, commodum adfert, factum ut pro iis *utilitas* acciperetur. MEURS.

29. *Epidauri satam.* Ibi Philippam Periphanes compresserat. N. — *A Thebis, Epidauri.* « Matre a Thebis » est « matre Thebana ». Ut Livio « Turnus Herdeonius ab Aricia ». Florus « ab Etruria Veientes ». GRON.

32. *Quod quidem*, etc. I. e. ita te incipio agnoscere, quatenus hoc

VIRG. Quid, pater meus? vivo'st? EPID. Animo liquido et tranquillo es, tace.

VIRG. Di me ex perdita servatam cupiunt, si vera autumas.

EPID. Non habeo ullam obcasionem, ut apud te falsa fabuler.

STRAT. (rediens.) Adcipe argentum hoc, Danista, heic sunt quadraginta minæ.

Si quid erit dubium, inmutabo. DAN. Benefecisti! bene vale.

STRAT. Nunc enim tu mea es. VIRG. Soror quidem, edepol, ut tu æque scias.

Salve frater. STRAT. Sanan' hæc est? EPID. Sana, si adpellat suum.

STRAT. Quid? ego modo huic frater factus; dum intro eo atque exeo?

EPID. Quod boni'st, id tacitus taceas tute tecum, et gaudeas.

STRAT. Perdidisti, et reperisti me, soror. EPID. Stultus; tace.

Tibi quidem, quod ames, domi præsto 'st fidicina opera mea;

Et sororem in libertatem idem opera concilio mea.

STRAT. Epidice, fateor. EPID. Abi intro, ac jube huic aquam calefieri.

in memoriam potest. redire.—*Veniat*. Potentiale est. N.

36. *Vivo'st?* vivusne est? *Animo liquido*, etc. Esto animo curis soluto et minime sollicito. Turneb. X. Pseud. III, 3, quem Aul. I, 2, *animum defæcatum* dixit. TAUBM. — *Tace*. Vid. Curcul. I, 1, 84. N.

38. *Obcasionem*, causam. N.

40. *Benefecisti*. Curc. II, 2, 22.

41. *Enim*. Aulul. III, 5, 26. N. —*Æque scias*. Juxta mecum. DOUZ.

42. *Si adpellat*, i. e. quoniam. N.

44. *Id tacitus taceas*. Utrum *teneas* an *habeas?* GRON.

45. *Perdidisti*. Scilic. me amantem; quia frui te non potero, quum sis soror.—*Reperisti*. Scil. fratrem: quem perdideras, et quem fratrem esse nesciebas. LAMB. — *Stultus; tace*. Vulgatis nulla distinctione datur *stultus tace*, male. Intellige *stultus es*; de verbo *tace*, vid. sup. 36.

46. *Quod ames*. Amphit. prolog. 106; Casin. II, 8, 15. N.

48. *Aquam calefieri*. Ut lavet

Cætera hæc posterius, faxo, scibis, ubi erit otium.
STRAT. Sequere hac me, mea soror. EPID. Ego ad vos Thesprionem jussero
Huc transire : sed memento, si quid sæviunt senes,
Subpetias mihi cum sorore ferre. STRAT. Facile istuc erit. (abit cum sorore.)
EPID. Thesprio, exi istac per hortum, adfer domum auxilium mihi.
Magna 'st res : minoris multo facio, quam dudum, senes.
Remeabó intro, ut adcurentur advenienteis hospites.
Eadem hæc intus edocebo, quæ ego scio, Stratippoclem.
Non fugio : domi adesse certum 'st : neque ille haud objiciet mihi
Pedibus sese provocatum : abeo intro : nimis longum loquor.

SCENA SECUNDA.

PERIPHANES, APOECIDES, EPIDICUS.

PERIPH. Satin' ille hic homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos
Habet? APOEC. Imo, edepol, tu quidem miserum me habes miseris modis.

perægre adveniens. Bacchid. I, 1, in fine. N.

49. *Cætera hæc*, quæ ad hanc historiam pertinent. — *Faxo, scibis.* Cf. Captiv. V, 4, 13. N.

52. *Facile istuc erit.* Istud faciemus. N.

53. *Auxilium*, præparandorum causa quæ opus sunt. N.

54. *Magna 'st res.* Locutio ejus qui erectum et silentum animum audientis vult facere. Curcul. V, 2, 2. N.

56. *Eadem*, simul. Bacch. I, 1, 15. N.

57. *Neque ille haud.* Duæ negationes, ut supra. — *Ille*, herus, senex. N.

58. *Pedibus sese provocatum.* Scil. ad cursuram, seu currendi certamen, utpote qui me currentem persequeretur. Nimis festivum. Douz.

1. *Decrepitos.* A lucerna vel candela, quæ ultimum expirans crepitum edere solet. Hoc enim est *decrepare* : ut apud Pers. *destertere.* A veteribus Græciæ magistris *decrepitus* exponitur ὑπέργηρος, τετυμβωμένος, ἐφθὸς, γέρων ταχυθάνατος. Scalig.

PERIPH. Tace, sis, modo : sine me hominem apisci. APŒC. Dico ego tibi jam, ut scias.
Alium tibi te comitem melius quærere; ita, dum te sequor,
Lassitudine invaserunt misero in genua flemina.
PERIPH. Quot illic hodie me exemplis ludificatu'st, atque te?
Ut illic autem exenteravit mihi opes argentarias!
APŒC. Apage illum a me, nam ille quidem Volcani irati 'st filius :
Quaqua tangit, omne amburit : si prope adstes, æstu calefacit.
EPID. Duodecim deis plus, quantum in cælo est deorum inmortalium,
Mihi nunc auxilio adjutores sunt, et mecum militant.
Quidquid ego malefeci, auxilia mi et subpetiæ sunt domi.
Apolactizo inimicos omneis. PERIPH. Ubi illum quæram gentium ?
APŒC. Dum sine me quæras, quæras mea causa vel medio in mari.
EPID. Quid me quæris? quid laboras? quid hunc sollicitas? ecce me.
Num te fugi? num ab domo absum? num oculis concessi tuis?

3. *Tace*. V, 1, 36.—*Sine*. Locutio non est precantis ut alter sinat aliquid fieri, imo minantis et irati, præcipue cum voce *modo*. Curcul. V, 2, 55. — *Apisci*, id est, assequi; vetus pro *adipisci*. N.

5. *Flemina*. Dicuntur *flemina*, auctore Festo, « quum labore viæ sanguis defluit circa talos, et tumorem facit ». Idem fere cum *boa* et *tama*. Glossarium : ὁ τοὺς πόδας φλεγμαίνων. In Absyrti etiam libro de equis, leguntur φλεμίλια. CAM. — Caper de Orthographia : « Flemina sunt, ubi abundant crura sanguine : plemina quum in manibus aut pedibus callosi sunt sulci ». GRON.*

10. *Duodecim deis plus, quantum*, etc. Lectionem hanc Bothianam recepi liquidam et sane metro commodam. I. e. « Dii, plus duodecim illis majoribus, non solum illi, sed quantum deorum est in cælo, me adjuvant ». Vulgata « duodec. deis plus quam, etc. » inextricabilis. N.

14. *Mea causa*, quod ad me attinet, per me licet. N.

15. *Hûnc*, Apœcidem. N.

Nec tibi subplico : vincire vis? hem, ostendo manus.
Tu habes lora ; ego te emere vidi : quid nunc cessas? conliga.
PERIPH. Ilicet : vadimonium ultro mihi hic facit. EPID. Quin conligas ?
PERIPH. Edepol, mancupium scelestum. EPID. Te profecto, Apœcides,
Nil moror mihi precatorem. APOEC. Facile exoras, Epidice.
EPID. Eho, quid agis? PERIPH. Tuon' arbitratu? EPID. Meo, hercle, vero, atque haud tuo.
Conligandæ hæ sunt tibi hodie. PERIPH. At non lubet : non conligo.
APOEC. Tragulam in te injicere adornat : nescio quam fabricam facit.
EPID. Tibi moram facis, quom ego solutus adsto, adliga, inquam, conliga.
PERIPH. At mihi magis lubet solutum te rogitare. EPID. At nihil scies.
PERIPH. Quid ago? APOEC. Quid agas? Mos geratur. EPID. Frugi es tu homo, Apœcides.
PERIPH. Cedo manus igitur. EPID. Morantur nihil, atque arcte conliga.

17. *Subplico.* Bacch. IV, 8, 63.

19. *Ilicet.* I. e. transactum est, abeundum nobis. Nam quem sequebar profecto fugiturum, ipse ultro me provocat, quasi jubet coram consistere. Ironia irati. De judiciis in sermonem hæc formula transierat. Capt. III, 1, 9. N.

21. *Precatorem.* Cui imminebat supplicium, servus in sanctum confugiebat locum, atque aliquem heri vel cognatum vel amicum qui veniam deprecaretur, interponere satagebat. Cf. Mostell. V, 1, 45; 2, 46, 58. — *Facile exoras.* Quod a me petis, habebis. N.

22. *Eho, quid agis?* Senem rursus lacessit, quod cesset agere. N.

24. *Tragulam in te injicere adornat.* Id est, dolum aliquem in te struit. Allegoria a re militari. *Tragula*, genus teli hastæ non multum absimile, quæ vel manu vel tormento mittitur, et atrociter sauciat, ac plerumque e corpore non tam retrahenda est, metu magni doloris et profusionis sanguinis, quam hinc vel inde decidenda, ut e vulnere sic cum minore noxa recipiatur. TURN.

27. *Mos geratur* illi. Fac quod rogat, eum vinci. N.

Nihil vero obnoxiose. PERIPH. Facto opere arbitraminor.

EPID. Bene hoc habet : age nunc jam ex me exquire : rogita quod lubet.

PERIPH. Qua fiducia ausus primum, quæ emta 'st nudiustertius,

Filiam meam dicere esse? EPID. Lubuit; ea fiducia.

PERIPH. Ain' tu? lubuit? EPID. Aio : vel da pignus, ni ea sit filia.

PERIPH. Quam negat gnovisse mater? EPID. Ni ergo matris filia 'st,

In meum numum, in tuum talentum pignus da. PERIPH. Enim istæc captio 'st.

Sed quis ea 'st mulier? EPID. Tui gnati amica, ut omnem rem scias.

PERIPH. Dedin' tibi minas triginta ob filiam? EPID. Fateor datas;

Et eo argento illam me emisse amicam fili fidicinam,

Pro tua filia; istis adeo te tetigi triginta minis.

PERIPH. Quomodo me ludifecisti de illa conductitia

Fidicina? EPID. Factum, hercle, vero, et recte factum judico.

29. *Obnoxiose.* Qui agit aliquid obnoxie, vel obnoxiose, non fortiter, non integre agit, utpote qui non liber sit, et metu expers. Illud *obnoxie* opponitur his « omnino, certe, plane ». Stich. III, 2, 41.— *Facto opere arbitraminor.* Id est, re facta, sc. colligatis manibus, estote arbitri, tu, Apœcides, tuque, Epidice, an obnoxie colligaverim. N.

31. *Qua fiducia.* Qua fretus audentia; unde tanta tibi confidentia. Pœnul. V, 4, 39. N.

33. *Vel da pignus*, etc. Cf. Casin. prol. 75.— *Ni ea sit filia.* Dissaldæus vult mutari *ni emsim filiam*; alioquin argueretur mendacii, si fidicinam esse filiam Periphanis asseveraret. Sed nihil opus est mutato, nam quum dicit *ea*, non intelligit illam quæ abiit, fidicinam, at eam quæ intus nunc est mente habet nutuque monstrat. N.

35. *In meum numum*, etc. Casin. loc. cit. *Enim.* Vid. Aulul. III, 5, 26. *Istæc captio 'st.* Tu hæc dicens me captas. N.

39. *Te tetigi trig. num.* Tangere hac figura dicendi est fraudare. Pœnul. V, 5, 7; Pseud. I, 1, 118. Sic Turpilius : « patrem talento argenti tetigi ». Et vetus poeta apud Ciceronem : « sentin' senem tactum triginta minis? » GRON.

PERIPH. Quid postremo argento factum 'st, quod dedi?
EPID. Dicam tibi.
Neque malo homini, neque benigno, tuo dedi Stratippocli.
PERIPH. Cur dare ausus? EPID. Quia mihi lubitum 'st.
PERIPH. Quæ hæc, malum, ferocia 'st?
EPID. Etiam inclamitor quasi servos? PERIPH. Quom tu es liber, gaudeo.
EPID. Merui, ut fierem. PERIPH. Tu meruisti? EPID. Vise intro : ego, faxo, scies
Hoc ita esse. PERIPH. Quid est negoti? EPID. Jam ipsa res dicet tibi;
Abi modo intro. PERIPH. Hei, non illuc temere 'st! adserva istunc, Apœcides. (abit intro.)
APŒC. Quid illuc, Epidice, est negoti? EPID. Maxuma, hercle, injuria
Vinctus adsto, quojus hæc hodie opera inventa 'st filia.
APŒC. Ain' tu te illius invenisse filiam? EPID. Inveni, et domi 'st.
Sed ut acerbum 'st, pro benefactis quom mali messem metas!
APŒC. Quemne hodie per urbem uterque sumus defessi quærere?
EPID. Ego sum defessus reperire, vos defessi quærere.
PERIPH. (rediens.) Quid isteic oratis opere tanto? meruisse intellego,
Ut liceat merito hujus facere : cedo tu, ut exsolvam manus.

42. *Quid argento factum 'st.* Ubi argentum? Lucilins, quem citat Nonius v. *committere : quid me fiet?* Terent. Heant. IV, 3, 36 : « quid me fiat parvi pendis ». N.

43. *Neque malo... neque benigno.* Scilicet homini haud magni faciendo, qui vitio et virtnte careat. Alii reponunt *indigno*, quæ ironia comica esset, modo codices bene noti approbarent. N.

54. *Ego sum defessus.* Quæ de discrimine, quod est inter *invenire* et *reperire*, hic disserunt interpretes, vana sunt, neque hnc faciunt. Sententia est : Ego fessus sum quærendo, quod reperi, vos fessi quærendo, quod non reperistis. BOXH.

55. *Quid isteic oratis opere tanto?* Hæc loquitur filio et filiæ intus. Pro *isteic* malim *istuc*, id est, istud. Sed isteic erit, vos qui istic estis. N.

EPID. Ne adtigas. PERIPH. Ostende vero. EPID. Nolo. PERIPH. Non æquom facis.
EPID. Nunquam, hercle, hodie nisi subplicium mihi das, me solvi sinam.
PERIPH. Optumum atque æquissumum oras : soccos, tunicam, pallium
Tibi dabo. EPID. Quid deinde porro? PERIPH. Libertatem. EPID. At postea?
Novo liberto opu'st quod pappet. PERIPH. Dabitur : præbebo cibum.
EPID. Nunquam, hercle, hodie nisi me orassis, solves. PERIPH. Oro te, Epidice,
Mihi ut ingnoscas, si quid inprudens culpa peccavi mea.
At ob eam rem liber esto. EPID. Invitus do hanc veniam tibi,
Nisi necessitate cogar : solve sane, si lubet.

GREX.

Hic is homo'st, qui libertatem malitia invenit sua.
Plaudite, valete : lumbos subrgite atque extollite.

58. *Subplicium mihi das.* Nisi mihi das pœnas, id est, nisi mihi satisfacis. Unde et Terent. Adelph. III, 2, 15 : « Satis mihi habeam supplicii ». LAMB.

61. *Quod pappet.* Quod edat. Pueruli dicuntur pappare. Persius Sat. III, 17.

62. *Nunquam, hercle, nisi or.* etc. Hoc certe derisioni accommodatum, sed ultra comicum tenditur opus. N.

63. *Mihi.* Hoc verbum, ni fallor, liturandum, metro molestum, orationi non necessarium. N. — *Inpr.* Recte *inprudens*, nam *culpæ* finitio est « imprudentia, qua homines circa res alienas, vel negligunt quod fieri oportet; vel faciunt quod omitti debet ». Donatus ad illud Hecyræ : « Non mea opera neque pol culpa evenit » : culpam ab opera ita differre dicit : ut *opera* sit, si scientes læserimus ; *culpa*, si nescientes; quorum alterum sceleris est, alterum stultitiæ. COBAS.

65. *Nisi.... cogar.* Ellipsis est. Do invitus, ita ut non dem nisi cogar precibus. At Bothius in MS invenit *cogor*. Tum *nisi* erit pro *sed*. Cf. Aulul. IV, 10, 75. N.

2. *Subrgite.* Syncope pro *subrigite*, ut *surpuit* pro *subripuit*. Captiv. III, 5, 102. N.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

MENÆCHMI

DRAMATIS PERSONAE.

PENICULUS[1], parasitus.
MENÆCHMUS, subreptus, qui Epidamni habitat.
EROTIUM[2], meretrix, amica Menæchmi Epidamniensis.
CYLINDRUS[3], coquus.
MENÆCHMUS Sosicles, advena.
MESSENIO[4], servus Sosiclis.
MULIER, uxor Menæchmi Epidamniensis.
SERVUS alius.
ANCILLA Erotii.
SENEX, Menæchmi Epidamniensis socer.
MEDICUS.
LORARII[5].

1. Vid. I, 1, 1. N.

2. *Erotium*. Forma diminutivi græca, vulgatissima nominibus meretricum, ut in vita urbana, sic apud comicos. Amica Epicuri fuit Leontium. Sæpius hac nominis immutatione blandula utebantur: Philotis audit Philotium in Hecyra. Ita gallice nomen *Marie* variat terminationibus. N.

3. *Cylindrus* pars erat instrumenti culinarii, quod gallice vocatur *rouleau*. N.

4. *Messenio*, nomen servile e gentili ortum; ut Syrus, Gela, aliaque hujusmodi. N.

5. Cf. nomina personarum in Captivis. N.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

MERCATOR Siculus, quoi erant gemini filii,
Ei, subrepto altero, mors obtigit.
Nomen subrepticii illi indit qui domi 'st
Avos paternus, facit Menæchmum Sosiclem.
Et is germanum, postquam adolevit, quæritat
Circum omneis oras : post, Epidamnum devenit :
Heic fuerat auctus ille subrepticius.
Menæchmum civem credunt omneis advenam,
Eumque adpellant, meretrix, uxor, et socer.
Ii se congnoscunt fratres postremo invicem.

1, 2. *Mercator*, etc. De hac oratione quæ aliter, atque incepit, desinit, cf. Aulul. IV, 1, 9; Epid. II, 2, 1. N.

7. *Auctus*, divitiisne et matrimonio, an ætate? Quæ mens fuerit scriptoris, haud certum satis. Prius libenter intelligam. Namque *auctus*, pro « qui ætate crevit » parum latine. N.

ALIUD ARGUMENTUM

CAMERARII.

HUJUS argumentum fabulæ venustum est, et varietate quadam delectabile, quæ de similitudine nascitur geminorum fratrum. Nam Syracusanus quidam, quum ex sua uxore geminos suscepisset liberos, inter se simillimos; et unum ex his abductum secum ad mercatum amisisset: alter non desistendum putavit, dum requisitum illum inveniret. Venit tandem Epidamnum, quæ Illyriæ urbs Dyrrachium a Romanis appellata fuit: ibi et ab amica, et uxore, et socero fratris appellatur, quasi ille ipse esset. Tandem post multiplices ludificationes, et nonnullas turbas, agnoscitur uterque a servo, et re palam facta servus libertate donatur.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

MENÆCHMI.

PROLOGUS.

SALUTEM primum jam a principio propitiam
Mihi, atque vobis spectatores, nuncio.
Adporto vobis Plautum lingua, non manu:
Quæso ut benignis adcipiatis auribus.
Nunc argumentum adcipite, atque animum advortite.
Quam potero in verba conferam paucissuma.
Atque hoc poetæ faciunt in comœdiis:
Omneis res gestas esse Athenis autumant,
Quo illud vobis græcum videatur magis:
Ego nusquam dicam, nisi ubi factum dicitur.
Atque adeo hoc argumentum græcissat, tamen
Non atticissat, verum sicilicissitat.
Huic argumento antelogium quidem hoc fuit.
Nunc argumentum vobis demensum dabo,

7. *Atque* hic disjunctivum, nempe « autem ». *Hoc* quod versu sequenti edissereretur. N.

8. *Autumant.* Cf. Amph. I, 1, 150. Pleræque Athenis agi dicebantur fabulæ, non omnes. N.

10. *Ego*, etc. Non mentiar, vere ubi facta est res, dicam. N.

11. *Atque adeo*, itaque. *Græcissat*, græcum est. N.

12. *Sicilicissitat.* Menæchmi duo natu Sicilienses. N.

13. *Antelogium*, prooemium, præfatio. N.

14. *Demensum.* Quod alicui debitum pro ratione certæ quantitatis

Non modio, neque trimodio, verum ipso horreo;
Tantum ad narrandum argumentum adest benignitas.
Mercator quidam fuit Syracusis senex,
Ei sunt nati filii gemini duo,
Ita forma simili pueri, uti mater sua
Non intergnosse posset, quæ mammam dabat;
Neque adeo mater ipsa, quæ illos pepererat,
Ut quidem ille dixit mihi, qui pueros viderat.
Ego illos non vidi, ne quis vostrum censeat.
Postquam jam pueri septuenneis sunt, pater
Oneravit navem magnam multis mercibus.
Inponit alterum geminum in navem pater,
Tarentum avexit secum ad mercatum simul;
Illum reliquit alterum apud matrem domi.
Tarenti ludi forte erant, quom illuc venit;
Mortaleis multi, ut ad ludos, convenerant.
Puer aberravit inter homines a patre.
Epidamniensis quidam ibi mercator fuit:
Is puerum tollit, atque Epidamnum avehit.

persolvebatur, id dicebatur demensum. Sic annonam servorum mensualem appellabant; Ter. Phorm. I, 1, 9; sic, ætate aequiore, annonæ magistratuum. N.

15. *Verum ipso horreo.* Ait se non parce aut restricte, sed copiose et abundanter argumentum fabulæ narraturum. Cic. Epist. ad Atticum, VI, 1: « Sic illa jam habent pleno modio verborum honorem, etc. » Hic vernilis hyperbole. Ern.

16. *Tantum ad narrandum argumentum.* Ita MSS Cam. Talia forma, Epid. act. II, 2: « nihil in ea re captio est ». Pseud. act. I, 5: « Quum apud te parum stet fides ». Similis constructio illi Terent. Enn. I, 5: « mihi parum habeat fidem. » Vid. Bacchid. act. III, 6. Gaut.

19. *Mater sua.* Hæc est nutrix quæ mammam dabat, alia atque mater quæ pepererat. Matris nomine vocabantur nutrices, quas jam sua ætate Plautus vice matrum vulgo infantium curam suscepisse testatur Bacch. III, 3, 31; Pœn. prol. 28, 86, 88. Illum vero in oris similitudine naturæ lusum haud semel ingenium poeticum cecinit. Conf. Æneid. XI, 391; Stat. Theb. VI, 340. N.

21. *Adeo*, quoque, etiam.

24, 25. *Septuenneis sunt... Oneravit.* Enallage temporis vulgatissima.

33. *Atque Epid. avehit.* Ultima vocis *Epidamnum*, ut versus constet non liquescit. Vulgatæ « avehitque Epidamnium », ipso reprobante Plauto infra 49, 51. N.

Pater ejus autem, postquam puerum perdidit,
Animum despondit, eaque is ægritudine
Paucis diebus post Tarenti emortuu'st.
Postquam Syracusas de re ea nuncius redit
Ad avom puerorum, puerum subreptum alterum,
Patremque pueri Tarenti esse emortuum,
Inmutat nomen avos huic gemino alteri:
Ita illum dilexit, qui subreptus est, alterum,
Illius nomen indit illi, qui domi'st,
Menæchmo idem quod alteri nomen fuit;
Et ipsus eodem avos est vocatus nomine.
Propterea illius nomen memini facilius,
Quia illum clamore vidi flagitarier.
Ne mox erretis, jam nunc prædico prius:
Idem est ambobus nomen geminis fratribus.
Nunc in Epidamnum pedibus redeundum 'st mihi,
Ut hanc rem vobis examussim disputem.
Si quis quid vostrum Epidamnum curari sibi
Velit, is audacter inperato et dicito:
Sed ita, ut det, unde curari id possit sibi.
Nam nisi qui argentum dederit, nugas egerit:
Qui dederit, magis majores nugas egerit.
Verum illuc redeo unde abii, atque uno adsto in loco.

40. *Huic*, qui heic, hacce domo habitat. Cf. Cistell. I, 2, 14. N.

41, 42. *Ita... dilexit... nomen indit.* I. e. ita ut subrepti nomen indat superstiti. Enallage est, et suppressa conjunctio. Cf. sup. 24, 25.

46. *Illum* subreptum. *Flagitarier.* Per præcones proclamari: ut Gyton ille, apud Petron. Douz.

49. *Pedibus redeundum 'st mihi.* Alludit ad pedes carminum. Taubm.

51. *Epidamnum.* Si quis vestrum est qui mandare mihi aliquid rei procurandum apud Epidamnienses, etc. *Epidamnum* poeta dixit, non *Epidamni*, quia illuc euntis motum in mente habuit. N.

54. *Nugas egerit.* Quidquid mandaverit, frustra mandaverit, siquidem non is ego sum, qui gratis agam quidquam. N.

55. *Magis majores.* Hellenismus. Aristoph. μᾶλλον ὀλβιώτερος. Cf. Amph. I, 1, 146. *Nugas egerit*, etenim argentum mecum aufugerit. N.

56. *Uno adsto in l.* ibi me sisto.

Epidamniensis ille, quem dudum dixeram,
Geminum illum puerum qui subripuit alterum;
Ei liberorum, nisi divitiæ, nihil erat;
Adoptat illum puerum subrepticium
Sibi filium, eique uxorem dotatam dedit,
Eumque heredem fecit, quom ipse obiit diem.
Nam rus ut ibat forte ut multum pluverat,
Ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longule,
Rapidus raptori pueri subduxit pedes,
Abstraxitque hominem in maxumam malam crucem.
Illi divitiæ evenerunt maxumæ.
Is illeic habitat geminus subrepticius.
Nunc ille geminus, qui Syracusis habet,
Hodie in Epidamnum venit cum servo suo
Hunc quæritatum geminum germanum suum.
Hæc urbs Epidamnus est, dum hæc agitur fabula;
Quando alia agetur, aliud fiet oppidum;
Sicut familiæ quoque solent mutarier;
Modo enim idem fit leno, modo adulescens, modo senex,
Pauper, mendicus, rex, parasitus, ariolus.

57. *Epidamniensis ille.* Nota, hunc rectum casum non habere, quo referatur. Sed hoc est comicum: hæc enim negligentia imitatur sermonem quotidianum, quo maxime comœdia utitur. Lamb.

59. *Liberorum, nisi divitiæ. Nisi* hic ponitur pro *sed*, ut sæpe huic nostro, Ciceroni, Livio, aliis. Perinde est igitur, quasi dixisset : ei nihil erat liberorum, sed divitiæ Cf. Epid. V, 2, 65. Gronov.

63. *Pluverat.* A *pluveo* : ut *annuvit* apud Enn. ab *annuveo.* Scal.

65. *Rapidus roptori.* Fluvius imbribus auctus submovit pedes mercatori illi, qui puerum Menæchmum surripuerat.

73. *Aliud fiet oppidum.* Cf. Truc. prol. 1-10. N.

74. *Sicut familiæ.* Videntur *familiæ histrionum* fuisse, «ut gladiatorum». Douza. — Vide quæ ad Asin. prol. 3 annotavimus. N.



M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

MENÆCHMI.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

PENICULUS.

Juventus nomen fecit Peniculo mihi,
Ideo quia mensam, quando edo, detergeo.
Homines captivos qui catenis vinciunt,
Et qui fugitivis servis indunt conpedes,
Nimis stulte faciunt, mea quidem sententia.
Namque homini misero si ad malum adcidit malum,
Major lubido est fugere et facere nequiter.
Nam se ex catenis eximunt aliquo modo.

1. *Peniculo mihi.* Cauda equina, vulpina, præcipue bubula Veteres utebantur ad extergendum, quod instrumentum peniculum vocabant. Cf. Ter. Eun. IV, 7, 7. Lamb. — Unde *peniculamentum* pro cauda Arnob. dixit. Et quemadmodum Plautus parasito, quod mensas extergeret, nomen indidit *Peniculo* : ita etiam Theopompus Comicus anum, quæ lances lingendo detergebat, σπόγγον λεκάνης καὶ πτερὸν λοπαστῆς vocavit. Scalig.

6. *Ad malum*, etc. Frustra Boxhornius argutatur, qui enarrat : « si malum passionis (pœna) ad malum culpæ accedat ». Sensus est : « si malum duræ captivitatis additur malo servitutis, quæ ad fugam eum adegerit ». N.

Tum conpediti anum lima proterunt,
Aut lapide excutiunt clavom : nugæ sunt eæ.
Quem tu adservare recte, ne abfugiat, voles,
Esca atque potione vinciri decet.
Apud mensam plenam homini rostrum deliges.
Dum tu illi, quod edat et quod potet, præbeas,
Suo arbitratu et adfatim cotidie,
Nunquam, edepol, fugiet, tametsi capital fecerit.
Facile adservabis, dum eo vinclo vincies.
Ita istæc nimis lenta vincla sunt escaria;
Quam magis extendas, tanto adstringunt arctius.
Nam ego ad Menæchmum nunc eo, quo jam diu
Sum judicatus, ultro eo ut me vinciat.
Nam illic homo homines non alit, verum educat
Recreatque : nullus melius medicinam facit.

9. *Anum*, i. e. annulum ferreum quo crus circumdatur. Sic vetustissimi codices. At vulgatæ *januam*, nempe quia videbatur sententia aptior metrumque commodius. Sic antequam anulus unice diceretur, anus apud Veteres in usu fuit; et versus constabit, si more Plautino, ultima vocis *compediti* corripietur, neque eliquescet ante vocalem. N.

10. *Clavom*, quo inserto compedes tenentur. — *Nugæ sunt eæ.* Scilicet omnia quibus captivos retinere conaris, nihil proficiunt, eluduntur. N.

20. *Quo;* sic bene, nec est necesse τὸ *quoi. Quo sum judicatus*, ut in Aulularia, III, 5, 15 : « Quo illæ nubent divites ? » id est, in quam domum. Sticho, I, 2, 14 : « Si manere hic sese malint quam alio nubere ». Et 85 : « nam quo dedisti nuptum abire, nolumus ». Gron.

21. *Sum judicatus.* I. e. adjudicatus. Alludit ad nexos, qui, quum impares resolvendo essent, sententia judicum addicti petitorem sequebantur. N.

22. *Non alit*, etc. Nonius, qui hunc locum testem laudat : « Alere est victu cultuque temporali vitam sustentare : educare, ad satietatem perpetuam educere ». *Recreare*, verbum Lucretianum : quo ita hic Plaut. utitur, ut significet, plus etiam esse *recreare* quam *alere*. Ritt.

23. *Nullus melius medicinam facit.* Nullus est medicus, qui præsentiorem medicinam ægris faciat suis, quam gutturi ventrique meo famelico Menæchmus. Douz. — *Medicinam facit. Medicina* non continuat lusum, quem inceperat in verbo *recreare*. Quia hoc præstat medicina, ideo quem dixerat *recreare*, eum subjicit optime « medicinam facere ». Est autem et medicinæ pars διαιτητικὴ, unde et *nutrire* medici dicuntur, ut ad Livium notamus. Gron.

Ita est adulescens ipsus escæ maxumæ,
Cerealeis cœnas dat, ita mensas exstruit :
Tantas struices concinnat patinarias;
Standum est in lecto, si quid de summo petas.
Sed mi intervallum jam hos dies multos fuit:
Domi domitus fui usque cum caris meis.
Nam neque edo, neque emo, nisi quod est carissumum.
Id quoque jam cari qui instruuntur, deserunt.
Nunc ad eum inviso : sed aperitur ostium.
Menæchmum eccum ipsum video; progreditur foras.

24. *Ipsus escæ maxumæ.* Non aiunt esse parasiti laudare eum, qui multum ipse edit, sed qui multum præbet convivis. At o bone, qui multum ipse edit, is etiam multum præbet convivis. Pro suo enim ore de aliis judicat, et quum sibi multum instruit, non potest facere, quin multæ sint inde reliquiæ. Gronovius.

25. *Cerealeis cœnas,* opimas, quales instrui solent in festo altricis deæ. N.

26. *Tantas struices concinnat patinarias. Struices,* ait Festus, hunc locum citans, « antiqui dicebant omnium rerum exstructiones » : ita Livius, « Struices saxeas ». Nævius etiam, teste Servio dixit, « Struix malorum ». Siber.

27. *Standum*, etc. Tanta ferculorum aggeritur copia, ut accubans non possis quæ in præcipuo mensæ loco apposita sunt, ab infimo attingere, oporteatque assurgas. Hyperbola parasitica. *De summo*, cf. Asin. V, 2, 41. N.

29. *Domi domitus.* Sensus : Coactus necessitate domi manere. Sed ludit paronomasia *domi domitus*, quasi *casa*, *casatus*. N. — *Usque cum caris meis.* Alludit sane ad liberos qui absolute *cari* tum dicebantur, ut jam notatum viris doctis : « Caros suos Deo relinquere », Lactant. VI, 12. Sed parasitus alios a se *caros* vocari, significat; simulque interpretatur quinam illi cari essent, cum quibus domi domitus fuerat : « Nam neque edo, inquit, neque emo, nisi quod est carissimum ». Ergo *carorum* nomine significavit cibos; quos ideo *caros suos* appellabat, quia nullos emeret aut ederet nisi qui essent carissimi. Salm.

31. *Id quoque.* Salmasius existimat *i* pro *ii* scriptum fuisse, et inde factum *id*, haud improba sane conjectura. Sed si retineas vulgatam, possis intelligere « in eo quoque casu, secundum id rerum punctum », i. e. *sic cari qui instruuntur, deserunt.* His verbis prorogatur ridicularia puerorum et ciborum amphibolia. N.

SCENA SECUNDA.

MENÆCHMUS, PENICULUS.

MEN. Ni mala, ni stulta sis, ni indomita inposque animi,
Quod viro esse odio videas, tute tibi odio habeas.
Præterhac si mihi tale post hunc diem
Faxis, faxo foris vidua visas patrem.
Nam quotiens foras ire volo, me retines, revocas;
Rogitas quo ego eam, quam rem agam, quid negotî geram,
Quid petam, quid feram, quid foris egerim.
Portitorem domum duxi: ita omnem mihi
Rem necesse loqui est quidquid egi atque ago.
Nimium ego te habui delicatam.
Nunc adeo, ut facturus, dicam: quando ego tibi ancillas, penum,
Lanam, aurum, vestem, purpuram bene præbeo, nec quidquam eges,
Malo cavebis, si sapis: virum observare desines.
Atque adeo, ne me nequidquam serves, ob eam industriam
Hodie ducam scortum, atque ad cœnam aliquo condicam foras.
PEN. Illic homo se uxori simulat male loqui, loquitur mihi.
Nam si foris cœnat, profecto me, haud uxorem, ulciscitur.

1. *Ni mala*, etc. Hæc loquitur uxori intus. N.

2. *Odio*. Cf. Asin. II, 4, 40. N.

4. *Faxo*, etc. Te reddam patri repudiatam. Cf. Casin. II, 2, 36. N.

8. *Portitorem domum duxi. Portitorem* vocat uxorem suam, hoc est, sciscitatricem. « Nam portitores, inquit Nonius, dicuntur telonarii, qui portum obsidentes, omnia sciscitarentur, ut ex eo vectigal acciperent ». DISSALD. — Neque quid arcanum obsignatæ literæ ferrent parcebant inspicere. Cf. Triu. III, 3, 66. N.

10. *Habui delicatam*. Te nimium humaniter atque laute habui. N.

12. *Aurum*. Gall. *les joyaux*. Cf. inf. V, 2, 50; Ter. Eun. IV, 1, 13; Tit. Liv. XXXIV, 4. N.

14. *Ob eam ind.* Ob istud ipsum de industria.

15. *Ducam*, verbum meretricium, sicut uxorium. N.

MEN. Evax! jurgio, hercle, tandem uxorem abegi ab janua.

Ubi amatores sunt mariti? dona quid cessant mihi

Conferre omneis, congratulanteis, quia pugnavi fortiter?

Hanc modo uxori intus pallam subripui, ad scortum fero.

Sic hoc decet dari facete verba custodi catæ.

Hoc facinus pulchrum'st, hoc probum'st, hoc lepidum', hoc factum'st fabre.

Meo malo a mala abstuli; hoc ad damnum deferetur.

Averti prædam ab hostibus, nostrum salute socium.

PEN. Heus, adulescens, ecqua in istac pars inest præmî mihi?

MEN. Perii, in insidias deveni! PEN. Imo in præsidium: ne time.

MEN. Quis homo est? PEN. Ego sum. MEN. O mea conmoditas, o mea obportunitas,

Salve. PEN. Salve. MEN. Quid ais? PEN. Teneo dextera Genium meum.

MEN. Non potuisti magis per tempus mihi advenire, quam advenis.

PEN. Ita ego soleo: conmoditatis omneis articulos scio.

MEN. Vin' tu facinus luculentum inspicere? PEN. Quis id coxit cocus?

Jam sciam, si quid titubatum'st, ubi reliquias videro.

24. *Meo malo*, labore et periculo: cf. sc. 3, vs. 16, 18. *Ad damnum*, ad meretricem, cujus gratia sum damnosus. Sic Thaïs « fundi calamitas », Eun. I, 1, in fine. N.

26. *Adulescens*. Hoc nomine appellant et viros. Cf. Curcul. III, 1, 29. N. — *Præmi*, boni. Cf. Amph. III, 1, 17.

29. *Quid ais?* cf. Asin. III, 1, 18. *Dextera*. Quum deos precarentur, aram dextra tangebant. Sinistra, infelix. N. — *Genium meum*. Cf. Capt. IV, 2, 99.

32. *Quis id coxit*. Nil aliud hominis hujusmodi menti obversatur, ac edulia et culinariæ laudes. N.

33. *Si quid titubatum 'st*, etc. Rogatus a Menæchmo parasitus, numquid vellet inspicere facinus *luculentum* (quod erat cognoscere furto subductam a marito uxoris pallam) pro ingenio suo nihil aliud *luculentum* putat, quam quod ad lucu

MEN. Dic mihi, numqua tu vidisti tabulam pictam in pariete,

Ubi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?

PEN. Sæpe: sed quid istæ picturæ ad me adtinent? MEN. Age, me adspice.

Ecquid adsimilo similiter? PEN. Qui istic est ornatus tuus?

MEN. Dic hominem lepidissumum esse me. PEN. Ubi esuri sumus?

MEN. Dic modo hoc quod ego te jubeo. PEN. Dico, homo lepidissume.

MEN. Ecquid audes de tuo istuc addere? PEN. Atque hilarissume.

MEN. Perge. PEN. Non pergo, hercle, ego, nisi scio qua gratia.

Litigium 'st tibi cum uxore: oh, mihi abs te caveo cautius.

lentum focum sit paratum, nec id *inspicere* esse aliud quam probare, exigere, gustando explorare, rectene accuratum an in eo peccatum sit. Ergo ait, « quis id coxit cocus? » tanquam luculentum nihil daretur, nisi a coquo. Jam sciam, arte rem gesserit an offenderit, videam modo ipsum pulpamentum vel scitamentum. *Inspicere* sic apud Suetonium Caligula, 58. *Titubare* apud Horatium: « Vide ne titubes mandataque frangas ». Terent. Heaut. II, 3: « Verum ille ne quid titubet ». *Reliquias*. Sic appellant quidquid est de penu, sive cibus paratus. Cf. Curcul. II, 3, 43; Pers. I, 3, 25. GRON.

35. *Catamitum*, id est, Ganymedem. Sic enim Latini illum nominarunt: Cic. II Philipp. pro impudico aut effæminato posuit *Catamitum*, et intellexit Antonium. Videtur, a γαδαμείδης, quod idem est cum γανυμήδης, detortum esse, γάδεσθαι enim et γάνυσθαι idem: ut prius diceretur apud barbaros *Gadamidus*, inde *Catamitus*. Sic *Laumedo*, pro *Laomedon*. SCAL.

37. *Ecquid adsimilo similiter?* An similis sum illis examussim? furtum illi feliciter obtigit. Ergo venustus sibi videtur. Invenustum se profitetur Pamphilus in Andria, quia infelix. N.

40. *Ecquid audes*. Visne? Nam *audere* pro *velle* usurpabant. DOUZ. — *Istuc*, adverbium pro nomine, i. q. ad istud quod tibi præivi. N.

42. *Oh, mihi abs te caveo cautius.* Jubet Menæchmus parasitum pergere in supparasitatione: at ille renuit blandiri gratis, nisi sciat qua mercede. Atque ob eam causam, inquit, diligentius abs te mihi caveo, et præscire præmium cupio; quia litigium cum uxore est: ut haud facile me domum sis ad cœnam vocaturus. Respondet Menæchmus: Eo pretio, quicquid di-

MEN. Clam uxorem ubi sepolcrum habeamus, et hunc conburamus diem.
PEN. Age sane igitur, quando æquom oras, quam mox incendo rogum.
Dies quidem jam ad umbilicum est dimidiatus mortuus.
MEN. Te morare, mihi quom obloquere. PEN. Oculum ecfo dito persolum
Mihi, Menæchme, si ullum verbum faxo, nisi quod jusseris.
MEN. Concede huc a foribus. PEN. Fiat. MEN. Etiam concede huc. PEN. Licet.
MEN. Etiam nunc concede audacter ab leonino cavo.
PEN. Heu, edepol, næ tu, ut ego opinor, esses agitator probus.
MEN. Quî dum? PEN. Ne te uxor sequatur, respectas identidem.
MEN. Sed quid ais? PEN. Egone? id enim quod tu vis, id aio, atque id nego.
MEN. Ecquid tu de odore possis, si quid forte olfeceris,
Facere conjecturam? PEN. Captum sit conlegium augurum.

ces, dices ut hunc diem luculentum nobis, clam uxore habeamus. Acid.

43. *Sepolcrum habeamus, et hunc comburamus diem.* Mortuo et exacto die Genium curemus et epulemur. Statius, lib. IV Silvar. « Jam moriente die rapuit me cœna benigni Vindicis ». Sic fere Hor. IV, Od. 5, « Condere diem », dixit. Eo autem tempore cœnare Veteres solebant. Ita ex *morte* et *sepulcro* diei, tempus cœnandi intellexit : proinde quasi cœna sit *diei bustum* et sepulcrum. Turn.

45. *Ad umbilicum*, i. e. ad medium. Turn.

46. *Oculum persolum.* Cf. Curcul. III, 1, 22. N.

49. *Ab leonino cavo.* A spelunca leonina, ubi commoratur uxor, quæ ei instar leonis timebatur. Ern.

51. *Respectas identidem.* Jocus in verbo *respectare*. Aurigator vel agitator in ludis Circensibus identidem respicit eos, qui pone sequuntur. Sic Menæchmus pallam uxoris indutus crebro oculos retorquet, timens, ne ab uxore conspiciatur furti deprensus. Ern.

54. *Captum sit.* Roganti Menæchmo, conjecturam faciat : Egone? inquit, Non ipsum collegium augurum melius conjecturam fecerit. Lips.—Sic « captus augur, captus judex, captus arbiter » dicuntur. Turn.

MEN. Agedum, odorare hanc quam ego habeo pallam: quid olet? abstines?
PEN. Summum olfactare oportet vestimentum muliebre;
Nam ex istoc loco spurcatur nasum odore illutibili.
MEN. Olfacta igitur hinc, Penicule lepide: ut fastidis! PEN. Decet.
MEN. Quid igitur? quid olet? responde. PEN. Furtum, scortum, prandium.
MEN. Nunc ad amicam deferetur hanc meretricem Erotium.
Mihi, tibi, atque illi jubebo jam adparari prandium.
Inde usque ad diurnam stellam crastinam potabimus.
PEN. Expedite fabulatu's: jam foreis ferio? MEN. Feri:
Væ! mane etiam. PEN. Mille passum commoratu's cantharum.
MEN. Placide pulta. PEN. Metuis, credo, ne foreis Samiæ sient.
MEN. Mane, mane, obsecro, hercle: ab se ecca exit. PEN. Oh! solem vides.
Satin' ut obcæcatu'st præ hujus corporis candoribus?

57. *Spurcatur nasum odore illutibili.* Quasi dicat: summam pallæ partem mihi olfaciendam porrige: nam « ex istoc loco », id est, ex infima parte, *nasum* (pro *nasus* antique) læditur et inquinatur odore fœtido atque illuto, hoc est, qui elui seu lavando abstergi non potest. *Illutus* pro *illotus.* Glossæ Papiæ: *illutus, sordidus.* Ab *illutus* fit *illutibilis.* BOXHORN.

58. *Decet.* Acid. mallt *licet*, assentiendi formula solemni. At τῷ *licet* hic nullus est locus. Rectissimum autem est *decet*. Subintellige, fastidire; quia, nempe, palla olebat furtum et scortum, quod sequitur. BOXHORN.

60. *Hanc;* cf. Cist. I, 2, 14. N.

62. *Diurnam stellam.* Id est, Luciferum: ut Hesperum, *Noctiferum* vocat Catullus. TURN.

64. *Væ! mane etiam.* Vulgo *vel mane*, perperam. Quum dixisset Menæchmus *feri*, pultaverat parasitus, sed improbe ac vehementer nimis. Ergo Menæchmus, *Væ*, scilicet tibi, qui delicatæ delicatas fores tam rustice insultas. Ne perge, ne iterum feri: sed *mane etiam*, exspecta dum. Respondet parasitus: tua nunc opera serius bibemus. Et ludit confundendo longitudinem loci et temporis. Ut ille apud Quintilianum: « quot millia passuum declamasset ». GRON.

65. *Samiæ.* Cf. Bacch. II, 2, 24. N.

66. *Ab se.* E domo sua. LAMB. —Acidal. legit: « ME. Mane, mane obsecro hercle: eapse ecce exit:

SCENA TERTIA.

EROTIUM, PENICULUS, MENÆCHMUS.

EROT. Anime mi, Menæchme, salve. PEN. Quid ego?
EROT. Extra numerum es mihi.
PEN. Idem istuc aliis adscribtivis ad legionem fieri solet.
MEN. Ego isteic mihi hodie adparari jussi apud te prælium.
EROT. Hodie id fiet. MEN. In eo uterque pro Ilio potabimus.
Uter ibi melior bellator erit inventus cantharo,
Tua est legio, adjudicato, cum utro hanc noctem sies.
Ut ego uxorem, mea voluptas, ubi te adspicio, odi male!
EROT. Interim nequis, quin ejus aliquid indutus sies.
Quid hoc est? MEN. Induviæ tuæ, atque uxoris exuviæ, rosa.
EROT. Superas facile ut superior sis mihi, quam quisquam qui inpetrant.

oh! solem vide : Satin' ut, etc. » Quasi dicat : Nonne vides, solem hujus Erotii candoribus ex adverso oppositis obscuratum esse? ERN.

2. *Adscribtivis.* Varro : « Adscriptivi dicti, quod olim adscribebantur inermes, qui succederent armatis militibus, si quis eorum deperisset ». Eo parasitus probrum meretricis in meliorem partem vertit. Quum enim illa dixisset : « extra numerum es mihi » : quasi diceret, te nullo numero habeo; Atqui, inquit ille, non ideo sum vilior, nam et adscriptivi ad legionem, non viliores relatis in numerum, extra numerum sunt. GRON. — *Ad legionem*, apud exercitum; cf. Amph. prol. 133. N.

3. *Prælium. Prælium* urbane dixit, *prandium* significans, manens in metaph. a re militari. ERN.

4. *Uterque.* Intelligit se et parasitum suum; ut recte Lamb. Nam Erotio electionem tribuit, ut dijudicet cum utro, ipsone Menæchmo an parasito esse velit. PISTOR. — *Pro Ilio potabimus.* Nec mutandum est aliquid, nec est serium dicendi genus, sed jocus duplex παρὰ προσδοκίαν. Nam quum dixisset, « mihi hodie apparari jussi apud te », exspectabant spectatores, ut diceret *prandium*, audiunt inopinantes *prælium :* deinde, « in eo prælio uterque pro Ilio », circa quod tantum bellum fuit, exspectabant dictum iri, *pugnabimus*, audiunt autem *potabimus :* et utrimque in risum solvuntur. GRON.—Et lusus est paronomasiæ in *prælium pro Ilio*.

9. *Rosa.* Cf. Bacch. I, 1, 50. N.

10. *Mihi*, meo judicio. *Qui inpetrant.* Quasi dicat : Facile a me ob-

PEN. Meretrix tantisper blanditur, dum illud quod rapiat videt.
Nam si amabas, jam oportebat nasum abreptum mordicus.
MEN. Sustine hoc, Penicule; exuvias facere, quas vovi, volo.
PEN. Cedo, sed obsecro, hercle, salta sic cum palla postea.
MEN. Ego saltabo? sanus, hercle, nou es. PEN. Egone, an tu magis?
Si non saltas, exue igitur. MEN. Nimio ego hanc periculo
Subripui hodie : meo quidem animo, ab Hippolyta subcingulum
Hercules haud æque magno unquam abstulit periculo.
Cape tibi hanc, quando una vivis meis morigera moribus.
Hoc animo decet animatos esse amatores probos.
PEN. Qui quidem ad mendicitatem se properent detrudere.
MEN. Quatuor minis ego emi istanc anno uxori meæ.
PEN. Quatuor minæ periere plane, ut ratio redditur.

tines, ut te pluris faciam, quam quemquam eorum, qui a me impetrant delicias. LAMB.

12. *Nam si amabas, jam oportebat nasum.* Nihil mutandum. Hic versus a parasito clare, et ut audiret meretrix, pronunciatus. Præcedentem sub lingua dixerat : « meretrix tantisper blanditur ». Ut autem dissimularet quod ita submurmuraverat, ex abrupto incipit, quasi continuaret id quod submisse secum dixerat : « Nam si amabas ». SALM. — *Nam*, i. q. autem. *Nasum abreptum mordicus.* Mirandum profecto genus blanditiarum, quod regi suo Peniculus poscit ! N.

13. *Exuvias facere, quas vovi, volo.* Exuvias facturus Men. id est, pallam Erotio destinatam exuturus, pallium dat interea Peniculo sustinendum : pallium, inquam, quod pallæ superinduxerat occultandæ, et in quo alias prodibat in scenam, ut solet in palliatis comœdiis. Id quum Peniculus reciperet, simul orat Menæchmum, ut exuto hoc, in illa aliquantulum saltet, priusquam deponat; ubi hoc negat alter, quippe adhuc sobrius, statim exuere jubetur, etc. ACIDAL.

16. *Nimio.* Cf. Aul. II, 2, 31. N.

19. *Una*, præ cæteris. Excellentiam significat. Cf. Stich. I, 1, 12. N.

20. *Hoc animo decet.* Sibi congratulatur munifico amanti. N.

23. *Ut ratio redditur.* Quantum colligere licet ex ratione, quam hic reddit, quum ait se quatuor minis emisse pallam, quam uxori subreptam meretrici defert, minæ quatuor perierunt. Sic Amph. « Decimo post mense, ut rationem te dictare intelligo ». GRON.

MEN. Scin quid volo ego te adcurare? EROT. Scio, curabo quæ voles.
MEN. Jube igitur nobis tribus apud te prandium adcurarier,
Atque aliquid scitamentorum de foro opsonarier,
Glandionidam suillam, laridum, pernonidem, aut
Sinciput, aut polimenta porcina, aut aliquid ad eum modum:
Madida quæ mihi adposita in mensam, milvinam subgerant.
Atque actutum. EROT. Licet, ecastor. MEN. Nos prodimus ad forum.
Jam nos heic erimus: dum coquitur, interim potabimus.
EROT. Quando vis veni, parata res erit. MEN. Propera modo.
Sequere tu. PEN. Ego, hercle, vero te et servabo, et te sequar:
Neque hodie ut te perdam, meream deum divitias mihi.
(abeunt.)
EROT. Evocate intus Cylindrum mihi cocum actutum foras.

24. *Scio, curabo.* Scio me curaturum, etc. N.

26. *Scitamentorum de foro*, ponitur hic pro scitis cibis. Est cibis et condimentis etiam suus ornatus. Inde *scitamenta*, sive *sciti cibi*, ut supra, *faceti cibi*, id est, pulchri appellantur. BOXHORN. — *De foro opsonarier.* Conf. Captiv. III, 1, 14. N.

27. *Glandionidam*, etc. Cf. Captiv. IV, 3. N.

28. *Aut polimenta porcina.* « Polimenta, ait Verrius, antiqui dicebant testiculos porcorum, quum eos castrabant: a politione segetum, aut vestimentorum: quod similiter atque illa curentur ». Arnob. l. VII: « Polimenta sunt ea, quæ verecundius proles dicimus ». ERN.

29. *Madida.* Veteres *madere* pro coqui usurpasse, sat multis exemplis docere possum. Virg. Georg. I, « Et quamvis igni exiguo properata maderent, etc. » Id ex eo, credo, quod plerumque quæ cocta sunt, tenerescere et madescere solent. — *Milvinam.* Cf. Pers. I, 3, 12, « milvinam famem ». TURN.

30. *Licet.* Cf. Bacch. I, 1, 1. N.

33. *Servabo.* Observabo ne te amittam. N.

34. *Meream*, habere velim. Hæc locutio « neque hodie, etc. » similis illi Asin. V, 2, 36, « non, edepol, conduci, etc. » N.

SCENA QUARTA.

EROTIUM, CYLINDRUS.

EROT. Sportulam cape atque argentum; eccos treis numos habes.

CYL. Habeo. EROT. Abi atque opsonium adfer, tribus, vide, quod sit satis.

Neque defiat, neque supersit. CYL. Quòjusmodi hi homines erunt?

EROT. Ego et Menæchmus, et parasitus ejus. CYL. Jam isti sunt decem.

Nam parasitus octo hominum munus facile fungitur.

EROT. Elocuta sum convivas; cæterum cura. CYL. Licet.

Cocta sunt, jube ire adcubitum. EROT. Redi cito. CYL. Jam ego heic ero.

1. *Tris numos habes.* Aureos intelligit Lambinus, non sestertios. Ego vero nec sestertios, nec aureos, sed, ut alibi Plautus, didrachmos. Nam si obolo olera et pisciculi sufficiebant in cœnam seni apud Terentium; si nummo, hoc est, didrachmo, erat χοιρίδιον, ut videre est act. IV, sc. 2 (quod Athenis constabat tribus drachmis, ut ostendit Aristophanes in Pace), quidni triginta sex obolis lauta cœna compararetur tribus? GRON. — Quid Romani intellexerint quum histrio coram illis *numo* diceret, si quæramus, haud facile didrachmum in mentem venisse crediderim; neque id Plautus ipse voluit, qui Capitolium, portam Trigeminam et alia hujuscemodi nominaret. Quodnam igitur fuerit numisma usu adeo pervulgatum, ut nomine communi intelligeretur, scias oportet; is est nodus, quem statim solveris, si pro tum spectatore computaveris. Romæ fuit sestertius. At si palliati apud Græcos agerent, Græci didrachmos, obolos censerent. N.

4. *Jam isti sunt decem.* Sic Eubulus Comicus, apud Athen. l. I, ingeniose edacem Philocratem, quum unus esset, bis nominavit, et pro duobus numerari voluit. MURET.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

MENÆCHMUS SOSICLES, MESSENIO.

MEN. Nulla 'st voluptas navitis, Messenio,
Major, meo animo, quam quom ex alto procul
Terram conspiciunt. MESS. Major, non dicam dolo,
Si adveniens terram videas, quæ fuerit tua.
Sed quæso quamobrem nunc Epidamnum venimus?
An, quasi mare, omneis circumimus insulas?
MEN. Fratrem quæsitum geminum germanum meum.
MESS. Namquid modi futurum 'st illum quærere?
Hic annus sextus, postquam ei rei operam damus.
Istros, Hispanos, Massilienseis, Illurios,
Mare superum omne, Græciamque exoticam,
Orasque Italicas omneis, qua adgreditur mare,
Sumus circumvecti : si acum, credo, quæreres,
Acum invenisses, si adpareret, jam diu.

3. *Nan dicam dolo*, sincere dicam. N.

4. *Tua*. Secunda persona pro generali sententia. N.

7. *Quæsitum*. Hoc pendet a verbo *venimus*. N.

8. *Namquid*, quidnam. N.

11. *Græciamque exoticam*. Græcos Italos ipsi Græci transmarini vocabant ἐξωτικοὺς, id est, *barbaros*. Messenio vocat « exoticam Græciam », quam Romani « majorem Græciam », non quidem ex persona sua, nam erat Siculus : neque vocasset consulto se ipsum barbarum : sed μιμητικῶς ex persona Græcorum ipsorum, qui Siculos et Calabros vocabant Ἕλληνας ἐξωτικοὺς, id est, barbaros : ut Plautus quum se vocat *barbarum*, et *Barbariam* Italiam, non ex consuetudine Romana dicit, sed ex persona Græcorum, qui βαρβάρους καὶ ἐξωτικοὺς Italos vocabant. SCALIG.

14. *Si adpareret*. *Adparere* est hic idem quod exstare, superesse, non

Hominem inter vivos quæritamus mortuum :
Nam invenissemus jam diu, si viveret.
MEN. Ergo istuc quæro certum qui faciat mihi,
Qui sese dicat scire, eum esse mortuum.
Operam præterea nunquam sumam quærere.
Verum aliter vivos nunquam desistam exsequi;
Ego illum scio, quam cordi sit carus meo.
MESS. In scirpo nodum quæris : quin nos hinc domum
Redimus, nisi si historiam scributuri sumus?
MEN. Dictum facessas doctum, et discaveas malo.
Molestus ne sis, non tuo hoc fiet modo. MESS. Hem,
Illoc enim verbo esse me servom scio.
Non potuit paucis plura plane proloqui.
Verum tamen nequeo continere, quin loquar.
Audi, Menæchme : quom inspicio marsupium,
Viaticati, hercle, admodum æstive sumus.
Næ tu, hercle, opinor, nisi domum revorteris,

amotum esse, ubi quæritur. Cf. Captiv. II, 3, 97; Amph. II, 2, 161. N.

17. *Istuc quæro*, etc. Quæro hominem, qui mihi facere certum possit istud, quod narras. N.

19. *Præterea*, postea quam certior factus fuero. N.

20. *Vivos*. Cf. Cist. II, 1, 47. N.

23. *Historiam scributuri*, nempe situs terrarum orbis, urbium, insularum, marium, per quæ peregrinamur. BOXHORN.

24. *Dict. fac. doctum*. Eleganter dictum exsequere, serva, ut discaveas malo. Quodnam dictum? nempe « molestus ne sis ». Quid sit malum, vid. Amph. Prol. 31. N.

25. *Non tuo hoc fiet modo*. « Alicujus modo aliquid facere », est, obtemperare illius libidini, ut illi rectum videtur, sic facere. PALM.

26. *Illoc verbo*. Scil. *malo*, vel *non tuo*, etc. Cf. Curcul. I, 3, 56. N.

30. *Viaticati*. Recte se habent : « Viaticati hercle admodum æstive sumus ». I. e. admodum leviter. Veteres habuere æstivas vestes leviores, et hibernas crassiores ac magis graves. Hinc *æstive viaticatus* dicitur, qui leve viaticum habet. Levi viatico nihil esse gravius, festive dixit Sidonius Apollinaris. SALM.— Viatores, præsertim tenuiores, æstate minus sibi provident de viatico, quam hieme : nam et paucioribus diebus, quo volunt, perveniunt, non tempestatibus hibernis detinentur; et inter eundum frugibus, quas capiunt ex agris, prope vitam tolerare possunt, et sub dio sine injuria corporis cubare, minusque in vestem impendunt. GRON.*

Ubi nihil habebis, geminum dum quæris, gemes.
Nam ita est hæc hominum natio Epidamnia,
Voluptarii atque potatores maxumi;
Tum sycophantæ et palpatores plurimi
In urbe hac habitant; tum meretrices mulieres
Nusquam perhibentur blandiores gentium.
Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum 'st,
Quia nemo ferme huc sine damno divortitur.
MEN. Ego istuc cavebo: cedodum mihi huc marsupium.
MESS. Quid eo vis? MEN. Jam abs te metuo de verbis tuis.
MESS. Quid metuis? MEN. Ne mihi damnum in Epidamno duis.
Tu magnus amator mulierum es, Messenio:
Ego autem homo iracundus, animi perditi.
Id utrumque, argentum quando habebo, cavero,
Ne tu delinquas, neve ego irascar tibi.
MESS. Cape atque serva, me lubente feceris.

SCENA SECUNDA.

CYLINDRUS, MENÆCHMUS SOSICLES, MESSENIO.

CYD. Bene opsonavi, atque ex mea sententia
Bonum anteponam prandium pransoribus.

32. *Ubi nihil... gem. dum q.* ubi quærendo fratre omnia consumseris. N.

38. *Propterea huic*, etc. Notandum est, quod historici scriptoris narratio comici poetæ commento aliquatenus conveniat: hunc locum Dyrrachium a Romanis denominatum, ob importuosam scopulorum æstuationem (τῆς ῥαχίας δυσχέρειαν), siquidem Epidamni appellatio notionem illati mali præ se ferens in lingua latina, visa sit illuc navigantibus triste omen opponere. Dio, XLI, 49. N.

39. *Quia nemo ferme sine damno.* Joco dictum est Epidamni nomen junctum esse ex ἐπὶ et *damnum*: quia illuc nemo fere nisi damno suo, divertere soleret: quod omen fugiens populus rom. antiquum oppido restituit *Dyrrhachii* nomen. MURET.

45. *Id utrumque.* Ob utramque causam. N.

2. *Anteponam*, apponam

Sed eccum Menæchmum video : væ tergo meo !
Prius jam convivæ ambulant ante ostium,
Quam ego opsonatu redeo : adibo atque adloquar.
Menæchme, salve. MESS. Di te amabunt : scis quis ego sum?
CYL. Non hercle vero! ubi convivæ cæteri?
MEN. Quos tu convivas quæris? CYL. Parasitum tuum.
MEN. Meum parasitum? certe hic insanu'st homo.
MESS. Dixin' tibi esse heic sycophantas plurimos?
MEN. Quem tu parasitum quæris, adulescens, meum?
CYL. Peniculum. MESS. Eccum in vidulo salvom fero.
CYL. Menæchme, numero huc advenis ad prandium.
Nunc opsonatu redeo. MEN. Responde mihi,
Adulescens, quibus heic pretiis porci veneunt
Sacres sinceri? CYL. Numo. MEN. Eum a me adcipe.
Jube te piari de mea pecunia.
Nam ego quidem insanum esse te certo scio,
Qui mihi molestus homini ingnoto, quisquis es.
CYL. Cylindrus ego sum, non gnosti nomen meum?
MEN. Seu tu Cylindrus, seu Coliendrus, perieris.

6. *Menæchme, salve.* Cylindrus dum ab opsonatu redit, ante herile ostium forte Sosiclem offendit, et deceptus oris similitudine ultro aggreditur ignotus tanquam notum; Sosicles vero quem servus a palpatoribus meretricibusque multis quidem Epidamni, cavere monuit, dum se in insidias vocari credit, lusores ludere gestiet. Vide quam naturaliter se rerum series nectat. N.

12. *In vidulo salvom fero.* Cf. inf. II, 3, 40. N.

13. *Numero.* Cf. Amph. I, 1, 25. N.

16. *Sacres sinceri? Porci sacri,* sive, ut Vet. loquebantur, « Porci sacres sinceri », id est, puri et integerrimi, atque ad sacrificium idonei, Laribus immolabantur, ab iis qui piaculum aliquod admiserant, aut qui insani fuerant. Varro de Re Rust. lib. I, cap. 1 et 4. MURET. — *Numo.* Vid. sup. I, 4, 1. N.

18. *Scio.* Cf. Cas. II, 6, 3. N.

21. *Seu Coliendrus. Culindrus,* pro Cylindrus tunc scriptum et pronunciatum fuit. Nam eo tempore *Y* græcum passim a Romanis, in græcis vocibus quas usurpabant, mutabatur in *V* latinum. Quum igitur se dixisset *Culindrum* vocari, respondet Menæchmus : seu tu *Culindrus*, seu tu *Coliendrus*, perieris; a coleis voce obscœna conficta, ut *culindrus* videbatur esse a *culo*. Quasi diceret, sive a culo, sive a coleis nomen habes. SALM. — *Perieris.* Catull.

Ego te non gnovi, neque gnovisse adeo volo.
CYL. Est tibi Menæchmo nomen, tantum quod sciam.
MEN. Pro sano loqueris, quom me adpellas nomine.
Sed ubi gnovisti me? CYL. Ubi ego te gnoverim?
Qui amicam habeas heram meam hanc Erotium.
MEN. Neque, hercle, habeo; neque te, quis sis homo, scio.
CYL. Non scis quis ego sim? qui tibi sæpissume
Cyathisso apud nos, quando potas. MESS. Hei mihi,
Quom nihil est, illi quî homini diminuam caput.
MEN. Tun' cyathissare mihi soles, qui ante hunc diem
Epidamnum nunquam vidi, neque veni? CYL. Negas?
MEN. Nego, hercle, vero. CYL. Non tu in illisce ædibus
Habitas? MEN. Dii illos homines, qui illeic habitant, perduint.
CYL. Insanit hic equidem, qui ipse maledicit sibi.
Audin', Menæchme? MEN. Quid vis? CYL. Si me consulas,
Numum illum, quem mihi dudum pollicitus dare,
Jubeas, si sapias, porculum adferri tibi,
Nam tu quidem, hercle, certo non sanus satis,
Menæchme, qui nunc ipsus maledicas tibi.
MESS. Heu, hercle, hominem multum et odiosum mihi!
CYL. Solet jocari sæpe mecum illo modo.
Quamvis ridiculus est, ubi uxor non adest.
ME. Quid ais tu? CYL. Quid vis, inquam? satin' hoc quod vides,

Carm. LI: « Peri rustice »: Græcorum ἔῤῥε, et φθείρου exprimit; ita hoc loco *perieris*, i. e. ἔῤῥεις. SCAL.

22. *Adeo*, etiam. N.

26. *Hanc*. Cf. Cist. I, 2, 14. N.

36. *Audin'*, pro *audisne*, i. q. audi.

37. *Numum*. Hunc casum trahit τὸ *quem pollicitus*, quum sensus velit « numo jubeas porculum adferri ».

41. *Multum et odiosum*. *Multus* pro homine tetrico morosoque et importuno accipitur, quem Græci φορτικὸν dicunt. Afranius apud Nonium: « Multa es, et molesta multum ». Flav. Vopisc. in Epist. Valeriani de Aureliano scripta: « Nimius, multus est, gravis est, ad nostra non facit tempora ». Sed Græci πολὺν dicunt hominem gravem et serium, et quantivis pretii. GRON.*

43. *Quamvis*, admodum, quantumvis; cf. Trinum. III, 3, 68. N

44. *Quid ais tu?* Aul. IV, 9, 7.

Tribus vobis opsonatum 'st? an opsono amplius,
Tibi et parasito et mulieri? MEN. Quas tu mulieres,
Quos tu parasitos loquere? MESS. Quod te urget scelus,
Qui huic sis molestus? CYL. Quid tibi mecum'st rei?
Ego te non gnovi : cum hoc quem gnovi fabulor.
MEN. Non, edepol, tu homo sanus es, certo scio.
CYL. Jam ergo hæc madebunt faxo : nihil morabitur.
Proin tu ne quo abeas longius ab ædibus.
Numquid vis? MEN. Ut eas maxumam in malam crucem.
CYL. Ire, hercle, melius est te interim, atque adcumbere.
Dum ego hæc adpono ad Volcani violentiam.
Ibo intro, et dicam te heic adstare Erotio,
Ut te hinc abducat potius quam heic adstes foris. (abit.)
MEN. Jamne abiit? edepol, haud mendacia
Tua verba experior esse. MESS. Observato modo.
Nam isteic meretricem credo habitare mulierem,
Ut quidem ille insanus dixit, qui hinc abiit modo.
MEN. Sed miror, qui ille gnoverit nomen meum.
MESS. Minume, hercle, mirum : morem hunc meretrices habent :
Ad portum mittunt servolos, ancillulas,
Si qua peregrina navis in portum advenit,
Rogant cujatis sit, quid ei nomen siet.
Post, illæ extemplo se adplicant, adglutinant.
Si pellexerunt, perditum amittunt domum.
Nunc in istoc portu stat navis prædatoria,

45. *An opsono*, visne opsonem?

47. *Scelus*, infortunium. N.

51. *Madebunt*. Supra I, 3, 29.

54. *Ire, hercle, melius*, etc. *Te* suspense legendum est, ut sit jocus ex ambiguo : « ire hercle melius est te », nempe maximam in malam crucem; vel, intro, atque accumbere. DISSALD.

55. *Ad Volcani violentiam*. Comica emphasis. Amph. I, 1, 185. N.

58. *Jamne abiit?* Uno pede senarius deficit. Supple *tandem*, vel quid simile. N.

66. *Quid nomen*. Amph. I, 1, 208.

68. *Amittunt*. Bacch. IV, 9. 40.

69. *Istoc portu*, domo meretricis. Cf. Asin. I, 3, 6. N.

Abs qua cavendum nobis sane censeo.
MEN. Mones quidem, hercle, recte. MESS. Tum demum sciam
Recte monuisse, si tu recte caveris.
MEN. Tacedum parumper : nam concrepuit ostium.
Videamus qui hinc egreditur. MESS. Hoc ponam interim.
Adservatote hæc, soltis, navaleis pedes.

SCENA TERTIA.

EROTIUM, CYLINDRUS, MENÆCHMUS SOSICLES, MESSENIO.

EROT. Sine foreis sic : abi, nolo operiri.
Intus para, cura, vide, quod opus est, ut
Fiat : sternite lectos, incendite odores.
Munditia inlecebra animo est amantum.
Amanti amœnitas malo est, nobis lucro est.
Sed ubi ille est, quem cocus ante ædeis esse ait?
Atque eccum video, qui mihi est usui et
Plurimum prodest : item huic ultro fit, ut
Meret, potissumus nostræ domi ut sit :

73. *Concrep. ost.* Cf. Aul. IV, 5, 5. N.

74. *Hoc ponam.* Deponam humi sarcinam. N.

75. *Navaleis pedes.* Intelligit servos remiges, qui in navi loco pedum sunt. TURN.

1. *Sine foreis sic.* Non divinatui difficile, cur fores suas *operiri*, id est, claudi vetet Erotium, eis præsertim, qui experimentis cognitum habent, nihil pejus homines amatores, quam occlusas dominarum suarum januas odisse. DOUZA. — *Operiri.* Velo claudebantur scenicæ domus. Vide imagines ære incisas in Daceriano Terentio. N.

5. *Amanti amœnitas malo est.* Amœnitas loci allicit amantem, ut velit in domo meretricia versari : quod ei damnosum, etc. Festus : « Amœna loca, dicta sunt, quæ ad se amando alliciant ». ERN.

9. *Potissumus. Amator potissimus,* qui primas partes apud amicam tenet. Ter. Eun. *primum* vocat. Hinc Plauto, *amicæ potiorem fieri*, est ita insinuare et conciliare te amicæ, ut pulsis rivalibus solus et primus placeas, et regnes in exoptatis amo-

Nunc eum adibo, adloquar ultro.
Animule mi, mihi mira videntur,
Heic te stare foris, foreis quoi pateant
Magis, quam domus tua, domus quom hæc tua sit.
Omne paratum 'st,
Ut jussisti atque ut voluisti : neque tibi 'st
Ulla mora intus : prandium, ut jussisti, heic
Curatum 'st : ubi lubet, ire licet adcubitum.
MEN. Quicum hæc mulier loquitur? EROT. Equidem tecum. MEN. Quid mecum tibi
Fuit unquam, aut nunc est negotî? EROT. Quia, pol, te unum ex omnibus
Venus voluit me magnificare, atque id haud inmerito tuo.
Nam, ecastor, solus benefactis tuis me florentem facis.
MEN. Certo hæc mulier aut insana, aut ebria'st, Messenio,
Quæ hominem ingnotum conpellet me tam familiariter.
MESS. Dixin' ego istæc heic solere fieri? folia nunc cadunt,
Præ ut si triduum hoc heic erimus; tum arbores in te cadent.
Nam ita sunt heic meretrices omneis elecebræ argentariæ.
Sed sine me dum hanc conpellare : heus, mulier ! tibi dico. EROT. Quid est?
MESS. Ubi tu hunc hominem gnovisti? EROT. Ibidem, ubi hic me jam diu,
In Epidamno. MESS. In Epidamno? qui huc in hanc urbem pedem,

ribus. Cf. Asin. I, 3, 13, 14. N.

13. *Hæc*, mea. N.

20. *Me magnificare.* Tibi a me honorem haberi præ cæteris. Cf. Cistell. I, 1, 23. N.

21. *Solus*, ut vs. 19, *unum*, ante omnes, ita ut præ te quasi nulli sint. Ter. Phorm. III, 3, 30: « solus est homo amico amicus »; et apud Sueton. de ill. gramm. II, « qui solus legit ac facit poetas ». N.

26. *Elecebræ.* Festus : « Elecebræ argentariæ, meretrices, ab eliciendo argento dictæ ». ERN.

27. *Dum* paragoge ad verbum *sine* referenda.—*Tibi dico.* Formu-

Nisi hodie, nunquam intro tetulit. EROT. Eia, delicias facis,

Mi Menæchme : quin, amabo, is intro? heic tibi erit rectius.

MEN. Hæc quidem, edepol, recte adpellat meo me mulier nomine.

Nimis miror quid hoc sit negotî. MESS. Oboluit marsupium

Huic istuc quod habes. MEN. Atque, edepol, tu me monuisti probe.

Adcipedum hoc : jam scibo utrum hæc me mage amet, an marsupium.

EROT. Eamus intro, ut prandeamus. MEN. Bene vocas; tam gratia 'st.

EROT. Cur igitur tibi me jussisti coquere dudum prandium?

MEN. Egone te jussi coquere? EROT. Certo tibi et parasito tuo.

MEN. Quoi, malum, parasito? certo hæc mulier non sana est satis.

EROT. Peniculo. MEN. Quis iste est Peniculus? Quî extergentur baxeæ?

la jubentis aliquem auscultare. N.

30. *Delicias facis. Delicias facere*, interdum est irridere; ut hoc loco: interdum idem, quod in Pœnulo, *facere nequam*, id est, indulgere libidini. Catull. LXXIV, 2 : « Si quia delicias diceret, aut faceret ». MUR.

31. *Tibi erit rectius*, commodius te habebis. N.

36. *Bene vocas; tam gratia est.* Græci quum nollent ire invitati, dixere, κάλλιστα, ἐπαινῶ, et πάνυ καλῶς, quomodo Latini, « Benigne : Gratia est : Facio gratiam ». At qui invitabant, dicebant, *Una erimus hodie.* Terent. « Dionysia hic sunt : hodie apud me sis volo ». CASAUB. —Similiter negabant vel respondebant nihil voce *recte.* Cic. ad Att. VI, 3, « mihi dixit se Athenis me exspectaturum... recte inquam. Quid enim dicerem? » *Tam gratia 'st*, i. e. tam gratus ero sic, quam si vocatus irem. N.

39. *Malum.* Amph. I, 1, 247. N.

40. *Quî extergentur baxeæ?* Jlocaliter ludit in ambiguo significatu *Peniculi* : qui et parasitus erat, et spongia oblonga caudæ similis; qua, præter cætera, baxeæ etiam extergebantur. Sunt autem *baxeæ*, calceamenti genus, item crepidæ, ἀπὸ τῆς βάξεως : sed philosophis speciatim attributæ. JUNIUS.

EROT. Scilicet qui dudum tecum venit, quom pallam mihi
Detulisti, quam ab uxore tua subripuisti. MEN. Quid est?
Tibi pallam dedi, quam uxori meæ subripui? sanan' es?
Certe hæc mulier cantherino ritu adstans somniat.
EROT. Quî lubet ludibrio habere me, atque ire infitias mihi,
Facta quæ sunt? MEN. Dic quid est id, quod negem, quod fecerim?
EROT. Pallam te hodie mihi dedisse uxoris. MEN. Etiam nunc nego.
Ego quidem neque unquam uxorem habui, neque habeo, neque huc
Unquam, postquam natus sum, intra portam penetravi pedem.
Prandi in navi: inde huc egressus sum, te conveni. EROT. Eccere,
Perii misera! quam tu nunc mihi navem narras? MEN. Ligneam,
Sæpe tritam, sæpe fixam, sæpe excussam malleo,
Quasi subpellex pellionis, palus palo proxumu'st.
EROT. Jam me, amabo, desine ludos facere, atque i hac mecum simul.

44. *Hæc mulier cantherino ritu adstans somniat.* Jocus ex ambiguo. Nam et *somniare*, somnia est videre inter dormiendum: dormiunt autem equi plerumque (somni autem comes somnium est), tamen cantherii magis; qui, quod castrati snut, mitiores et placidiores somniculosique et dormitantes magis ob torporem videntur. *Somniare*, etiam delirare, nogasque et deliramenta effutire valet: ut Curc. act. IV, 3: *quos tu mihi libertos somnias?* TURN.

49. *Postquam*, i. q. ex quo. *Penetravi*, tuli intus. Conf. Amph. I, 1, 94. N.

50. *Eccere.* Festus explicat *per Cererem.* Adposite hic Cererem exclamat, quæ delirantem, ceritum credit Menæchmum. N.

53. *Quasi subpellex pellionis, palus palo proxumu'st.* Et in tentipellio sunt pali ad distendendas pelles: et de palis multis in taberna merces suspendebantur, et domi suppellex. Atque hoc de *Pellione* homine paupere cavillantes potuerunt intelligere, cujus suppellex præter palos nudos nulla erat. Is autem Comœdiarum actor, sed malus erat. Quem etiam perstringit Bacchid. act. II, 2. TURN.

MEN. Nescio quem, mulier, alium hominem, non me quæritas.

EROT. Non ego te gnovi Menæchmum, Moscho prognatum patre?
Qui Syracusis perhibere gnatus esse in Sicilia,
Ubi rex Agathocles regnator fuit, et iterum Phinthia,
Tertium Liparo, qui in morte regnum Hieroni tradidit.
Nunc Hiero 'st. MEN. Haud falso, mulier, prædicas. MESS. Pro Jupiter!
Num istæc mulier illinc venit, quæ te gnovit tam cate?
MEN. Hercle, opinor, pernegari non potest. MESS. Ne feceris.
Peristi, si intrassis intra limen. MEN. Quin tace modo:
Bene res geritur; adsentabor, quidquid dicet, mulieri,
Si possim hospitium nancisci. Jamdudum, mulier, tibi

58. *Ubi rex*, etc. Hæc de uno Agathocle, quæ ita rescribenda sunt : « Ubi rex Agathocles regnator fuit, et iterum Pliuthias, Tertium Lyparos, etc. » Plinthias, a πλίνθος, Lyparos, λύπηρος. PETIT. — Non *Pythia*, ut Hermol. et Lamb. non *Panthia*, ut Camerar. non *Pinthia*, ut Gruter. non denique *Plinthias*, ut Petitus, sed *Phintias* est scribendum. Hoc enim nomen fuit unius ex multis tyrannis, qui post mortem Agathoclis per Siciliam exstiterunt, commemoratus Diodoro Siculo, lib. XXII, cujus et nummi reperiuntur inscripti ΦΙΝΤΙΟΥ ΒΑCΙΛΕΩC, quique urbem *Phintiam* vel *Phintiada* condidit. Sed Agrigenti dominatum obtinuit, et in ea successit Agathocli, non Syracusis: hoc excusandum est in persona muliercula, ex male tradito, male accepto rumore, memoria mala, ut fit, rem narrantis et personas, tempora, loca, acta facile confundentis. Pronunciat autem *Phintia*, qui græce Φιντίας, ut alibi *Pterela*. Nec dubito, quin alia in parte fuerit revera aliquis *Liparo*, etsi in historia nomen ejus interciderit : neque enim Pyrrhi nomen sic deformasse ausim dicere. Excusandum quod in morte Liparonem istum tradidisse regnum ait Hieroni : nec enim ille regnum debuit cuiquam, sed suæ virtuti atque amori civium. GRON. — Multum laboris egregii viri sudaverunt, ut, qui fuerint illi reges, ex antiqua historia eruerent. Sed hujus rei monumenta omnino deficiunt. Cf. Commentarii Acad. Inscript. tom. XXXIV, part. hist. pag. 95. N.

60. *Nunc Hiero 'st.* Hiero, Siciliæ rex, decessit anno Urbis 539. Ergo Menæchmos ante hunc annum Plautus docuerat. N.

65. *Jamdudum, mulier*, etc. Hæc

Non inprudens advorsabar; hunc metuebam, ne meæ
Uxori renunciaret de palla et de prandio.
Nunc, quando vis, eamus intro. EROT. Etiam parasitum manes?
MEN. Neque ego illum maneo, neque floccifacio : neque, si venerit,
Eum volo intromitti. EROT. Ecastor, haud invita fecero.
Sed scin' quid te amabo ut facias? MEN. Impera quid vis modo.
EROT. Pallam illam, quam dudum dederas, ad phrygionem ut deferas,
Ut reconcinnetur, atque ut opera addantur, quæ volo.
MEN. Hercle, quin tu recte dicis; eadem ingnorabitur :
Ne uxor congnoscat te habere, si in via conspexerit.
EROT. Ergo mox abferto tecum, quando abibis. MEN. Maxume.
EROT. Eamus intro. MEN. Jam sequar te, hunc volo etiam conloqui. (Erotium abit.)
Eho Messenio, adcede huc. MESS. Quid negotî'st? MEN. St! scire vis?
MESS. Quid ergo? MEN. Opu'st.... MESS. Quid opu'st? MEN. Scio, ut me dices. MESS. Tanto nequior es.

dicens atque sequentia usque ad vs. 77 ad Erotium accedit procul Messenione, quasi clam illo cum ea confabulari velit. N.

71. *Amabo. Amabo* hic nihil aliud significat, quam *orabo* : ut et infra III, 3, 1. Terent. Hec. scen. penult. « Dic me amare, ut veniat ». Est enim blandientis, *Ait te amare*. Sed et Græci haud dissimili modo στέργω suum accipiunt : hoc enim non tam *amo* quam *oro* significat, si Sophocli credimus : imo nos hodieque quippiam ab aliquo postulaturi, *Amabo te*, in oratione directa dictitamus. LIPSIUS.

72. *Ad phrygionem*, etc. Non solum pallam suam vult reconcinnari, et quæ in ea corrupta erant ac læsa, sarciri; sed etiam alia quædam adjici ornamenta picturasque ad eas quas jam habebat, acu Phrygionis factas. Phrygio enim non ipse pulvinar aut vestem faciebat; sed jam factam accipiebat, ut variis operibus eam ornaret, et picturis variegaret. SALM. — Conf. Aulul. III, 5, 34.

74. *Eadem ingnorabitur*. Eadem opera (cf. Bacch. I, 1, 15) palla reconcinnata immutabitur ne ab uxore agnoscatur. ERN.

79. *Quid ergo? MEN. Opu'st*. Eruditi hic luserunt operam. Cor-

MEN. Habeo prædam; tantum incepi operis : i, quantum pote'st :
Abduc istos in tabernam actutum diversoriam.
Tum facito ante solis obcasum, ut venias advorsum mihi.
MESS. Non tu istas meretrices gnovisti, here. MEN. Tace, inquam.
Mihi dolebit, non tibi, si quid ego stulte fecero.
Mulier hæc stulta atque inscita'st, quantum perspexi modo.
Est heic præda nobis. MESS. Perii! MEN. Jamne abis? MESS. Periit probe.
Ducit lembum dierectum navis prædatoria.
Sed ego inscitus, qui hero me postulem moderarier :
Dicto me emit audientem, haud inperatorem sibi.
Sequimini, ut quod inperatum'st, veniam advorsum temperi.

ruptelæ nihil est. Servum a quo paulum recesserat, quum diceret illa vers. 66, *hunc metuebam*, vocat Menæchmus. Respondet ille, « quid negoti 'st? » quasi dicat, quid me vis? Merc. I, 2, 24. Rursum dominus : « St! scire vis », quid sit negotii? opima præda mihi objicitur. Quod non assequens servus, *Quid ergo est*, inquit, quod significas? Rursum dominus : *Opus est me has ædes ingredi, cum audacia et astutia, ut quod molior, emoliar*. Servus ne sic quidem cogitationes domini quum perciperet, *Quid opus est*, ait. Quem quum aliquamdiu sic lusisset, ac suspensum tenuisset, *Scio*, interponit, *ut me dices*, nempe periisse funditus, si pedem posuero intra hoc limen. Subjicit servus : *Tanto nequior es*. Eo, inquit, pejor es, quod scis, quæ dicta merearis, quæque ego objurgandi tui causa dicturus sim : et tamen in istud barathrum te conjicis. GRON.

80. *Quantum pote'st*. Cf. Asin. III, 3, 17. N.

82. *Ut venias advorsum mihi. Adversum venire alicui*, non tantum est obviam ire, sed etiam ire quæsitum aliquem loco designato : et dicitur præcipue de servis, qui veniunt, ut dominos aliunde deducant. GRON.

86. *Jamne abis?* i. q. quam cito abi. N.

87. *Dierectum*. Vide Capt. III, 4, 103.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

PENICULUS.

Plus triginta gnatus annis sum, quom interea loci
Nunquam quidquam facinus feci pejus, neque scelestius,
Quam hodie, quom in concionem mediam me inmersi miser.
Ubi ego dum hieto, Menæchmus se subterduxit mihi,
Atque abiit ad amicam, credo, neque me voluit ducere.
Qui illum di omneis perduint, qui primus conmentus est
Concionem, hac reque homines obcupatos obcupat.
Non ad eam rem otiosos homines decuit deligi?
Qui nisi adsint, quom citentur, census capiant inlico.

1. *Interea loci.* Cf. Captiv. II, 3, 25; Cistell. epil. 3. N.

2. *Facinus ... pejus ... scelestius.* Queritur infortunium, infelicitatem, non suam sibi nequitiam. *Facinus* generaliter quodcumque accidit. Cf. Trucul. II, 1, 8. N.

4. *Dum hieto.* Priscum verbum et ad hunc locum unicum. Diomedes lib. I. *Hietare* et *hiature* Veteres dixerunt. Cæcilius : « Sequere me tu, qui mihi oscitans hietansque restas ». Laberius : *Hietantur fores*, pro eo, quod est, *hietant*, id est, patent. Glossar. Benedicti : χασμῶμαι, *Oscitor, hieto*, χάσμησις, *Oscitudo*. Palmer.

5. *Ducere.* Sic Horat. Sat. II, 8, 22 : « Mæcenas adduxerat umbras ». N.

6. *Qui illum di omneis perduint.* Cf. Casin. II, 4, 1. N.

9. *Census capiant.* Qui in senatum non venerat, pignoribus captis multabatur : ita qui non venerit in concionem, eum pignoribus captis coerceri vult parasitus. Sed *pignora capere*, dixit, *census capere.* Turn. — Aliud verbi *adsint*, aliud illius *capiant* subjectum : hujusmodi in-

Adfatim'st hominum, in dies qui singulas escas edunt,
Quibus negotî nihil est, qui esum neque vocantur, neque vocant.
Eos oportet concioni dare operam atque comitiis.
Si id ita esset, non ego hodie perdidissem prandium,
Quoi tam credo datum voluisse, quam me video vivere.
Ibo: etiamnum reliquiarum spes animum oblectat meum.
Sed quid ego video Menæchmum? cum corona exit foras.
Sublatum est convivium, edepol, venio advorsum temperi.

SCENA SECUNDA.

MENÆCHMUS SOSICLES, PENICULUS.

MEN. Poti'ne ut quiescas, si ego tibi hanc hodie probe
Lepideque concinnatam referam temperi?
Non, faxo, eam esse dices: ita ingnorabitur.
PEN. Pallam ad phrygionem fert, confecto prandio,
Vinoque expoto, parasito excluso foras.
Non, hercle, is sum, qui sum, nisi hanc injuriam
Meque ultus polchre fuero. Observabo, quid agat;
Hominem post adibo, atque adloquar.
MEN. Pro di inmortaleis, quoi homini unquam uno die
Boni dedistis plus, qui minus speraverit!

discreta oratio non adeo a Plautina ratione abhorret. Cf. Amph. Prol. 83-85. N.

10. *Qui singulas escas edunt.* Qui semel tantum de die ednnt; qui cœnam tantum non prandium sumunt. In eorum nnmerum se censeri non vult parasitus, qui jam tamen prandium perdiderat. PIST.

11. *Vocantur.* Catullus, XLVII, 7: « vocationes quærere », *chercher des invitations.* N.

14. *Quoi tam credo*, etc. Hæc sensn ironico. *Ego*, cui Menæchmnm convivium præbere volnisse hodie tam certo scio (vid. vs. 5), quam video me vivere. Et parasitus, cui cœna οἴχεται, an vivat, et vivere se existimet, facile judicaveris. Ceternm *vivere* est genio indulgere sermone voluptario. Catullus: « vivamus mea Lesbia ». N.

16. *Cum corona.* Cf. Amph. III, 4, 24. N.

1. *Poti'ne.* Cf. Bacch. I, 1, 1. N.

3. *Faxo.* Cf. Capt. Prol. 65. N.

Prandi, potavi, scortum adcubui, abstuli
Hanc, quojus hæres nunquam erit post hunc diem.
PEN. Nequeo, quæ loquitur, exaudire clanculum.
Satur nunc loquitur de me et de parti mea.
MESS. Ait hanc dedisse me sibi, atque eam meæ
Uxori subripuisse : quoniam sentio
Errare, extemplo, quasi res cum ea esset mihi,
Cœpi adsentari; mulier quidquid dixerat,
Idem ego dicebam : quid multis verbis opu'st?
Minore nusquam bene fui dispendio.
PEN. Adibo ad hominem; nam turbare gestio.
MEN. Quis hic est, qui advorsum fit mihi? PEN. Quid ais, homo
Levior quam pluma, pessume et nequissume,
Flagitium hominis, subdole, ac minumi pretî?
Quid de te merui, qua me causa perderes?
Ut subripuisti te mihi dudum de foro!
Fecisti funus me absenti prandio.
Cur ausu's facere, quoi ego æque ac heres eram?
MEN. Adulescens, quæso, quid tibi mecum est rei,
Qui mihi male dicas homini ignoto insciens?
An tibi malam rem vis pro maledictis dari

12. *Hæres.* Festus : « Hæres apud antiquos pro domino ponebatur ». Mirabimur piissimum, ut modo hic se gessit, eumdem fallacias furtumque sibi gratulari, quæ veruam verberonem magis decerent. Non satis est risu diducere rictum auditoris. N.

20. *Minore nusquam bene fui dispendio.* Nusquam tam bene acceptus et lepide curatus fui minore sumptu. Et, *esse probe*, pro bene admordere et liburcinari quicquid intra dentes venerit. J. Gul.

22. *Quid ais?* Cf. Aulul. IV, 9, 7. N.

23. *Levior*, ut probus fideique tenax vir audiebat gravis, ita improbo levitas exprobrabatur. N.

24. *Flagitium hominis.* Cf. II, 1, 8. N.

25. *Perderes.* Parasitum perdit, enecat, qui jejunum deserit. N.

27. *Fec. funus... prandio*, ut supra I, 2, 43, sepulchrum diei paraverant. N.

29. *Adulescens.* Curc. III, 1, 29.

31, 32. *Pro maledictis dari Postea?*

Postea? PEN. Eam quidem, edepol, te dedisse intellego.
MEN. Responde, adulescens, quæso quid tibi nomen est?
PEN. Etiam derides, quasi nomen non gnoveris?
MEN. Non, edepol, ego te, quod sciam, unquam ante hunc diem
Vidi, neque gnovi, verum certo, quisquis es,
Æquom si facias, mihi odiosus ne sies.
PEN. Non me gnovisti? MEN. Non negem, si gnoverim.
PEN. Menæchme, vigila. MEN. Vigilo, hercle, equidem, quod sciam.
PEN. Tuum parasitum non gnovisti? MEN. Non tibi
Sanum 'st, adulescens, sinciput, ut intellego.
PEN. Responde, subripuistin' uxori tuæ
Pallam istanc hodie, atque dedisti Erotio?
MEN. Neque, hercle, ego uxorem habeo; neque ego Erotio
Dedi, nec pallam subripui. PEN. Satin' sanus es?
Obcisa est hæc res: non ego te indutum foras
Exire vidi palla? MEN. Væ capiti tuo!
Omneis cinædos esse censes, tu quia es.
Tun' me indutum fuisse pallam prædicas?
PEN. Ego, hercle, vero. MEN. Non tu abis quo dignus es?
Aut te piari jubes, homo insanissume?
PEN. Nunquam, edepol, me quisquam exorabit, quin tuæ
Uxori rem omnem jam, uti sit gesta, eloquar.
Omneis in te istæc recident contumeliæ.

Comice additum est ex abundanti, *postea*. PALMER.

36. *Verum certo*, asseverantis vehementer locutio. N.

46. *Obcisa est hæc res*. Periit hoc negotium. Capt. III, 4, 7. Ita in cod. Theodosiano est *interfectum negotium*: ita Aristophan. τὸ τρύβλιον τέθνηκέ μοι, pro κέκλαυςαι, « factum est, periit ». CASAUB. — *Hæc*, i. q. mea, ut *hic* sæpe pro *ego*. Sc. periit mea res, i. q. perii. N.

48. *Cinædos*. Turnebus *cinædum* saltatorem hic interpretatur: Lamb. mollem et impudicum, et quem supra I, 2, *Catamitum* dixerit. Videlicet idem fuit uterque sæpius. N.

50. *Quo dignus es?* i. e. in malam crucem. N.

54. *Istæc*, vetus pro *istæ*. N.

Faxo haud inultum prandium comederis. (abit.)
MEN. Quid hoc negotî'st? satin', ut quemque conspicor,
Ita me ludificant? sed concrepuit ostium.

SCENA TERTIA.

ANCILLA, MENÆCHMUS SOSICLES.

ANC. Menæchme, amare ait te multum Erotium,
Ut hoc nunc una opera ad aurificem deferas,
Atque huic ut addas auri pondo unciam,
Jubeasque spinther novom reconcinnarier.
MEN. Et istud, et aliud, si quid curari volet,
Me curaturum dicito, quidquid volet.
ANC. Scin' quod hoc sit spinther? MEN. Nescio, nisi aureum.
ANC. Hoc est, quod olim clanculum ex armario
Te subripuisse aibas uxori tuæ.
MEN. Nunquam, hercle, factum 'st. ANC. Non meministi, obsecro?
Redde igitur spinther, si non meministi. MEN. Mane,
Imo equidem memini : nempe hoc est quod illi dedi.
ANC. Istuc. MEN. Ubi illæ armillæ sunt, quas una dedi?
ANC. Nunquam dedisti. MEN. Nam, pol, hoc una dedi.
ANC. Dicam curare? MEN. Dicito : curabitur.
Et palla et spinther faxo referantur simul.
ANC. Amabo, mi Menæchme, inaureis da mihi

56. *Satin'*. Cf. Bacch. III, 3, 87.

1. *Amare*. Cf. II, 3, 71. N.

2. *Una opera*. Capt. III, 4, 31.

4. *Spinther*. Spinther genus armillæ etiam Veteres interpretantur, at vers. 8, *spinther* et *armillæ* differunt. Spinther non simpliciter armillam significat, sed est armillæ species, ut interpretatur Festus, qua mulieres utebantur brachio summo sinistro. Armillæ sunt proprie quas in utroque brachio gerebant. SALM.

15. *Dicam curare?* pro *te curaturum*. Enallage in tempore. Conf. Amph. I, 1, 54. — *Curabitur*. Cf. Capt. III, 5, 70. N.

17. *Inaureis... stalagmia*. Cohæ-

Faciundas pondo duum numum stalagmia,
Ut te libenter videam, quom ad nos veneris.
MEN. Fiat : cedo aurum, ego manupretium dabo.
ANC. Da, sodes, abs te, post ego reddidero tibi.
MEN. Imo cedo abs te. ANC. Ego post tibi reddam duplex.
MEN. Non habeo. ANC. At tu, quando habebis, tum dato.
Numquid me vis? MEN. Hæc me curaturum dicito,
Ut, quantum possint, quîquî liceat, veneant.
Jamne abiit intro? abivit, operuit foreis.
Di me equidem omneis adjuvant, augent, amant.
Sed quid ego cesso, dum datur mihi obcasio
Tempusque, abire ab his locis lenoniis?
Propera, Menæchme, fer pedem, confer gradum.
Demam coronam, atque abjiciam ad lævam manum;
Ut si qui sequantur, hac me abiisse censeant.
Ibo et conveniam servom, si potero, meum,
Ut hæc, quæ bona dant dii mihi ex me sciat.

rent per appositionem. *Inauris* ἐνώτιον, ἐλλόβιον : monile, quod aurium lobis inseritur, et appendet. *Stalagmium*, inaurium genus esse crediderim oblongum, ex bacca pendula : a guttæ similitudine, quæ σταλαγμὸς Græcis dicitur. Cæcilius apud Festum : « Ex aure ejus stalagmium habeo domi ». JUNIUS.

19. *Ut te libenter*, etc. Cf. Asin. I, 3, 31-33. N.

21. *Abs te*, de tuo.

22. *Cedo*, da. N.

24. *Numquid me vis?* Cf. Amph. I, 3, 44. N.

25. *Quantum possint*, eodem sensu quo « quantum potest » : supra dixit alta voce « me curaturum », dein submissa, per irrisionem subjicit, quid curare in animo habeat; nempe ut spinther et annulum vendat quamprimum poterit, et quocumque pretio æstimabuntur. — *Quiquî* pro *quoquo*, scil. pretio (conf. V, 9, 97) mutant « quique liceat ». N.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

MULIER, PENICULUS.

MUL. Egone heic me patiar in matrimonio,
Ubi vir compilet clanculum quidquid domi 'st,
Atque ad amicam deferat? PEN. Quin tu taces?
Manifesto, faxo, jam obprimes! sequere hac modo.
Pallam ad phrygionem cum corona ebrius
Ferebat, hodie tibi quam subripuit domo.
Sed eccam coronam, quam habuit: num mentior?
Hem, hac abiit, si vis persequi vestigiis.
Atque, edepol, eccum, optume revortitur:
Sed pallam non fert. MUL. Quid ego nunc cum illoc agam?
PEN. Idem quod semper; male habeas. MUL. Sic censeo.
PEN. Huc concedamus: ex insidiis aucupa.

1. *Egone heic*, etc. Fere similiter indignatur Alcumena, Amph. III, 2. N.

3. *Quin tu taces?* Conf. Curcul. I, 1, 84. N.

4. *Faxo.* Captiv. prol. 65. N.

8. *Hac abiit.* Lævorsum qua coronam abjecerat Menæchmus Sosicles. DOUZA.

9. *Optume revortitur*, opportune, in tempore.

11. *Male habeas*, id est, excipias, tractes, verses maritum. TAUB.

12. *Ex insidiis*, clanculo.

SCENA SECUNDA.

MENÆCHMUS SUBREPTUS, MULIER, PENICULUS.

MEN. Ut hoc utimur maxume more moro
Molestoque multum! atque uti quique sunt
Optumi maxumi, morem habent hunc;
Clienteis sibi omneis volunt esse multos:
Bonine an mali sint, id haud quæritant.
Res magis quæritur quam clientium
Fides, quojusmodi clueat.
Si est pauper atque haud malus, nequam habetur;
Si dives malus est, is cliens frugi habetur.
Qui neque leges, neque æquom bonum usquam
Colunt, sollicitos patronos habent.
Datum denegant, quod datum 'st; litium
Pleni, rapaceis, viri fraudulenti:
Qui aut fœnore, aut perjuriis habent rem
Partam: mens est in querelis.
Juris ubi dicitur dies, simul
Patronis dicitur; quippe qui pro illis

1. *More moro. Mos morus*, id est, stultus, μῶρος. Mil. glor. « Ego stulta atque mora multum ». Triu. « Is mores hominum moros et morosos efficit ». Ordo et sententia est: Ut, hoc est, quam maxime stulto more multumque molesto utimur! et, ut quique sunt optimi et maximi, hunc morem habent, ut omnes velint esse sibi, etc. θαυμαστικῶς. LAMB.

3, 4. *Morem habent hunc..... volunt esse.* Hæc figura supprimendæ copulæ *ut* inter duas, dominantem et subsequentem, orationes Plauto perquam familiaris. Cf. Amph. I, 1, 12-14; Aulul. II, 7, 6. N.

7. *Res magis*, etc. Magis quæritur an res divitiarum illi sufficiat satis ampla, quam quæ fama, quæ probitas illi sit. N.

9. *Frugi*. Cf. Asin. I, 3, 23. N.

14. *Aut fœnore.* Vetitum fœnus Romæ fuit legibus.

15. *Mens est in querelis.* Circa negotia quæ facessunt de clientibus querentes, occupata patronorum mens est. N.

17. *Patronis dicitur.* Videre est, apud Plut. vit. Caton. Utic. quibus

Loquantur, male quæ fecerint : aut ad
Populum, aut in jure, aut ad judicem res est.
Sicut me hodie nimis sollicitum cliens
Quidam habuit, neque quod volui agere quidquam
Licitum 'st : ita me adtinuit, ita me detinuit.
Apud ædileis præliis factis plurimisque
Pessumisque dixi causam, conditiones
Tetuli tortas, confragosas; aut plus
Aut minus, quam opus erat multo dixeram

rerum calumniis Catonem impedirent quin senatui adesset, negotia clientibus et amicis facessendo, quæ tueretur ipse; et apud eumdem, vit. J. Cæs. qua diligentia perorandis ultro amicorum causis sibi devinciret clientelas. Ab hoc vere civili instituto, ut peritior quisque dicendi rudem patronus defendere deberet, lex Cincia orta est, qua vetabatur causidicos mercedem accipere. Alia vero forma reipublicæ et conditio civium, alii mores. Lex fuit elusa. N.

19. *Ad populum.* Comitiis centuriatim calatis. — *In jure.* Apud prætorem pro tribunali, sellave posita. — *Ad judicem.* Vel a prætore datum, ut sunt recuperatores, vel a litigatoribus captum, ut arbitrum. Douz. — Vel apud centumviros, quorum jurisdictionem Cicero edisserit (de Oratore, I, 38), vel apud ædiles, qui de controversiis municipalis rei decernebant. N.

22. *Adtinuit.* Ita me in suo negotio occupatum retinuit. Lamb. — *Detinuit. Attinere* et *detinere* hic eo differunt, quod *detinere* sit diutius attinere : *de* huic verbo, ut multis aliis, junctam habet augendi significationem. Bothe.

24. *Dixi.* Vulgatæ omnes, *duxit.* Sed patroni officium erat pro cliente causam dicere, quo Menæchmum functum fuisse sequentia ostendunt. N. — *Conditiones tetuli.* Conditiones ferre, est proponere formulam transactionis, qua controversia aut res litigiosa componatur. Antonius apud Cic. Phil. XIII, 17 : « Qui me præcipitem egerit æquissimas conditiones ferentem ». Gron.* — *Tortas, confragosas.* Hic obiter patronorum artes taxat, quibus lites perplexas facere, et falsa pro veris, injusta pro justis dare nitebantur. Id jam tum professionis ingenium, vel antequam esset quæstus. N.

25. *Aut plus Aut minus.* Ego nec « haud plus Haud minus », vel « haud plus Aut minus » scribendum puto, nec si vulgatum retineo *Aut* pro *Haud* accipiendum. Sic enim solent loqui. Captivis, V, 3 : « Cur ego plus minusve feci quam æquom fuit? » Terent. Hec. V, 1 : « Ne quid faciam plus quod me post minus fecisse satius sit ». Phormione, III, 3 : « Ne quid plus minusve faxit, quod nos post pigeat ». Sueton. Octavio, 84 : « Ne plus minusve loqueretur ex tempore ». *Controversiam dicere* ut *causam dicere*, accipere possum : sed

Controversiam, uti sponsio fieret.
Quid ille? quid? prædem dedit : nec magis
Manifestum ego hominem unquam illum teneri vidi.
Omnibus malefactis testeis treis aderant acerrumi.
Dî illum omneis perdant (ita mihi hunc hodie conrupit diem)
Meque adeo, qui hodie forum unquam oculis inspexi meis!
Diem conrupi. Optumum jussi adparari prandium.
Amica exspectat me, scio : ubi primum 'st licitum, inlico
Properavi abire de foro : irata 'st, credo, nunc mihi.
Placabit palla, quam dedi, quam hodie uxori abstuli, atque huic
Detuli Erotio. PEN. Quid aïs? MUL. Viro me malo male
Nubtam. PEN. Satin' audis, quæ illic loquitur? MUL. Satis. MEN. Si sapiam,
Hinc intro abeam, ubi mihi bene sit. MUL. Mane : male potius erit.
Næ illam, mecastor, fœnerato abstulisti. PEN. Sic datur.

quemadmodum « non plus causam dicere », pro non plus in causa disceptanda dicere, haudquaquam tolerarem, ita nec sufferre possum, « haud plus aut minus controversiam dicere », pro tantummodo in controversia dicere. Lambinus : « dixi In controversiam, ut sponsio fier. » Quod si auderem, facerem *multæ*. « Dixeram in controversiam, uti multæ sponsio fieret » : ut se invicem provocarent : « Ni hoc ita est, dabis mille nummum? » Sed forte melius : « aut plus Aut minus, quam opus erat, multo dixeram, Controversiæ uti sponsio fieret ». Modo, inquit, augebam rem, modo minuebam ut ambiguum facerem judicem, ne clientem meum primo cœtu condemnaret, sed ut ad sponsionem veniretur. GRON. — Qui volunt *haud*, non sentiunt quæ sit Plauti mens his versibus; eadem nempe quæ prioribus, patronorum perplexæ loquacitatis deridendæ. N.

32. *Adeo*, etiam. *Unquam*, aliquando. Me dii perdant, quod aliquando, forte voluerim hodie ire in forum. N.

39. *Mihi bene sit.* Conf. Casin. II, 3, 37. N.

40. *Næ... fœnerato abstulisti.* Næ tu pallam magna tua mercede, id est, magno tuo malo abstulisti. Tralatio est ab iis, qui pecuniam grandi fœnore mutuam accipiunt. Cf. Asin. V, 2, 52. LAMB. — *Sic da-*

MUL. Clanculum te istæc flagitia facere censebas potesse? MEN. Quid illuc est, uxor, negoti? MUL. Men' rogas? MEN. Vin' hunc rogem?
PEN. Abfer hinc palpationes. (ad mulierem.) Perge tu. MEN. Quid tu mihi
Tristis es? MUL. Te scire oportet. PEN. Scit, sed dissimulat malus.
MEN. Quid negoti 'st? MUL. Pallam. MEN. Pallam? MUL. Quidem pallam. PEN. Quid paves?
MEN. Nihil equidem paveo. PEN. Nisi unum: palla pallorem incutit.
At tu ne clam me comesses prandium! perge in virum.
MEN. (submissa voce.) Non taces? PEN. Non, hercle, vero taceo: nutat, ne loquar.
MEN. Non, hercle, ego quidem usquam quidquam nuto neque nicto tibi.
MUL. Næ ego, mecastor, mulier misera! MEN. Quî tu misera es? mihi expedi.
PEN. Nihil hoc confidentius, qui, quæ vides, ea pernegat.
MEN. Per Jovem deosque omneis adjuro, uxor (satin' hoc est tibi?)
Me isti non nutasse. PEN. Credit jam tibi de istis: illuc redi.
MEN. Quo ego redeam? PEN. Equidem ad phrygionem, censeo: i, pallam refer.

tur. Sermo aliquem aliquo malo afficientis, translatus a gladiatorio certamine, quo, quum alter alterum feriret, vel ipse clamabat, vel subclamabatur illi: « sic datur ». Cf. 64. N.

42. *Vin' hunc rogem?* Rogare vel idem est quod interrogare, vel amatorium verbum. Ambiguitate ludit Menæchmus, quasi ab uxore passus repulsam, ad alium amorem converti cogatur. Etiam improbiora scena illic spectantibus approbabat. *Perge tu* dictis ulciaci virum. Hæc ad uxorem. N.

45. *Quidem pallam*, i. e. ita profecto. Vulgatæ *quidam pallam*, perperam. N.

47. *At tu ne clam*, etc. Nisi prandio me fraudasses, te hoc jurgium non invaderet. Sic Æneid. VIII, 643: « at tu dictis, Albane,

MEN. Quæ istæc palla 'st? MUL. Taceo jam, quando hic rem non meminit suam.

MEN. Numquis servorum deliquit? num ancillæ, aut servi tibi

Responsant? eloquere: inpune non erit. PEN. Nugas agis.

MEN. (ad uxorem.) Tristis admodum es; non mihi istuc satis placet. PEN. Nugas agis.

MEN. Ceterum familiarium aliquoi irata es? PEN. Nugas agis.

MEN. Num mihi es irata saltem? PEN. Nunc tu non nugas agis.

MEN. Non, edepol, deliqui quidquam. PEN. Hem rursum nunc nugas agis.

MEN. Dic, mea uxor, quid tibi ægre'st? PEN. Bellus blanditur tibi.

MEN. Potin' ut mihi molestus ne sis? num te adpello? MUL. Abfer manum.

PEN. Sic datur: properato absente me comesse prandium!

Post ante ædeis cum corona me derideto ebrius.

MEN. Neque, edepol, ego prandi, neque hodie huc intro tetuli pedem.

PEN. Tun' negas? MEN. Nego, hercle, vero. PEN. Nihil hoc homine audacius.

Non ego te modo heic ante ædeis cum corona florea

Vidi adstare, quom negabas mihi esse sanum sinciput,

Et negabas me gnovisse; peregrinum aibas esse te?

MEN. Quin ut dudum diverti abs te, redeo nunc demum domum.

PEN. Gnovi ego te: non mihi censebas esse, quî te ulciscerer.

maneres ». Gall. *pourquoi*, etc. N.

57. *Responsant.* Significat « ferociter et irreverenter respondent ». Sic Trucul. II, 7, 45. Horat. Sat. II, 7, « Responsare cupidinibus », et sic sæpius alibi. GRONOVIUS.*

63. *Ut*, ex quo. Cf. Amph. II, 2, 101. N.

72. *Gnovi ego te.* Cf. Amph. I, 3, 20. N.

Omnia, hercle, uxori dixi. MEN. Quid dixisti? PEN. Nescio,
Eam ipsus roga. MEN. Quid hoc est, uxor? quidnam hic narravit tibi?
Quid id est? quid taces? quin dicis, quid sit? MUL. Quasi tu nescias.
Palla mihi est domo subrepta. MEN. Palla subrepta est tibi?
MUL. Me rogas? MEN. Pol, haud rogem te, si sciam. PEN. O hominem malum!
Ut dissimulat! non potes celare: rem gnovi probe:
Omnia, hercle, ego edictavi. MEN. Quid id est? MUL. Quando nihil pudet,
Neque vis tua voluntate ipse profiteri, audi atque ades:
Et quid tristis, et quid hic mihi dixerit, faxo scias:
Palla est mihi domo subrepta. MEN. Palla subrepta est tibi?
PEN. Viden' ut scelestus captat? huic subrepta est, non tibi.

81. *Et quid tristis.* Corrigunt: « Eo quid resistis », pessime. Dixerat supra Menæchmus, vs. 44: « Quid tu mihi tristis es? » et vs. 58: « Tristis admodum es ». Horum illa memor: « Audi, inquit, atque ades: Et quid tristis ego sim, et quid hic mihi dixerit, faxo scias ». GRON.

83. *Captat.* Id est, verbis captiose ludit! ut argutus est scil.— *Huic subrepta est, non tibi.* Acidal. « tibi subrepta est, non huic ». Gruterus explicat *huic*, in usum hujus Menæchmi, ut esset quod daret Erotio: nam si *tibi*, id est, in usum tuum surrepta esset, salva apud te esset: et Lambinum sine causa æstuare. Certe æstuat Lambinus, et tamen verissimum est quod refert, ut nescio cujus, etsi non probet ipse, præcedenti verbo legendum « palla subrepta est mihi ». Ludit enim Menæchmus repetendo uxoris verba: « palla mihi domo est subrepta ». Ille quasi ignorans subjicit: « palla subrepta est mihi? » nam quod perdit uxor, videtur et perdere maritus. Ne dicam, ablata interrogationis nota eum dicere verum, et facinus tecte confiteri: ipse enim surripuerat. Ergo parasitus: « viden' ut scelestus captat? » verba scilicet, repetendo præcise sermonem uxoris. « Huic (uxori) subrepta est, non tibi. Nam profecto tibi, Menæchme, subrepta si esset (quum eam deferres ad scortum et huic reddita) salva nunc foret ». GRON. — Ingeniosa sane commentatio, sed ingeniosa nimis. Quid, si planiorem viam ineamus? fingit se Menæchmus ignarum, eoque tentat uxorem decipere, captat. Igitur pergit parasitus: « ita est,

Nam profecto tibi subrepta si esset, salva nunc foret.
MEN. Nihil mihi tecum 'st : sed quid tu ais? MUL. Palla, inquam, periit domo.
MEN. Quis eam subripuit? MUL. Pol, istuc ille scit, qui illam abstulit.
MEN. Quis hic homo est? MUL. Menæchmus quidam. MEN. Edepol, factum nequiter.
Quis is Menæchmus est? MUL. Tu istic, inquam. MEN. Egone? MUL. Tu! MEN. Quis arguit?
MUL. Egomet. PEN. Et ego : atque huic amicæ detulisti Erotio.
MEN. Egon' dedi? PEN. Tu, tu istic, inquam : vin' adferri noctuam,
Quæ, tu, tu, usque dicat tibi? nam nos jam defessi sumus.
MEN. Per Jovem deosque omneis adjuro, uxor (satin' hoc est tibi?)
Non dedisse. PEN. Imo, hercle, vero, nos non falsum dicere.
MEN. Sed ego illam non condonavi, sed sic utendam dedi.
MUL. Equidem, ecastor, tuam nec chlamydem do foras, nec pallium

huic subrepta est, videlicet non tibi, nam palla est mulieris, non viri ». Dein subjicit detorta parumper sententia : « si tibi subrepta esset (postquam es furatus), salva nunc haberetur domi ». N.

85. *Sed quid tu ais?* Non est « quid dicis », sed « aisne, affirmasne pallam subreptam ? » Conf. Aul. IV, 9, 7. N.

90, 91. *Vin' adferri noctuam, Quæ, tu, tu*, etc. *Tu*, *tu*, Græcis τὺ, τύ : unde et τυτὼ, *noctua*, apud Hesychium : quippe et hic alluditur ad vocem noctuæ, *tu*, *tu*, seu *tou*, *tou*. Sonat autem noctua uberins hoc germanum, non exilius illud gallicum. Ita recte interpretes. Porro noctua hinc dicitur *tutubare*. Vetus grammaticus Sidonius, cujus fragmentum de vocibus animantium in aliquot Gloss. nostris MSS legitur : « Noctua tutubat ». Sic enim legendum, non *cucubat*. BOXH.

93. *Non dedisse.* Scilicet me. Cavillatur Menæchmus, et dicit, se non tam dedisse pallam, quam commodasse. GRUT.

Quoiquam utendum : mulierem æquom 'st vestimentum muliebre
Dare foras, virum virile : quin refers pallam domum?
MEN. Ego, faxo, referetur. MUL. Ex re tua, ut opinor, feceris.
Nam domum nunquam introibis, nisi feres pallam simul.
MEN. Ego domum? PEN. Quid mihi futûrum 'st qui tibi hanc operam dedi?
MUL. Opera reddetur, quando quid tibi erit subreptum domo. (abit.)
PEN. Id quidem, edepol, nunquam erit : nam nihil est, quod perdam, domi.
Quom virum, quom uxorem, dii vos perdant : properabo ad forum :
Nam ex hac familia me plane excidisse intellego. (abit.)
MEN. Male mi uxor sese fecisse censet, quom excludit foras;
Quasi non habeam, quo intromittar, alium meliorem locum.
Si tibi displiceo, patiundum; at placuero huic Erotio,
Quæ me non excludet ab se, sed apud se obcludet domi.
Nunc ibo, orabo ut mihi pallam reddat, quam dudum dedi.
Aliam illi redimam meliorem : heus! ecquis heic est janitor?
Aperite, atque Erotium aliquis evocate ante ostium.

98. *Faxo.* Captiv. prol. 65. *Ex re tua*, etc. *tu feras bien*. N.

105. *Excludit foras.* Lambinus hic, ut et supra, act. III, 2, atque alibi leg. *foris*, quum *excludo*, inquit, verbum sit quietem significans : nam is *excluditur*, cui ingredi volenti ostium non aperitur : *Extruditur*, qui jam intus est. Sed venia doctissimi viri, genius antiquæ locutionis alterum etiam non respuit. TAUBM.

111. *Aliquis evocate.* Id est, « properate, ut aliquis vestrum hanc evocet ». Ellipsis sermoni haud insolens. Epid. III, 3, 18. N.

SCENA TERTIA.

EROTIUM, MENÆCHMUS SUBREPTUS.

EROT. Quis hic me quærit? MEN. Sibi inimicus magis quam ætati tuæ.
EROT. Mi Menæchme, cur ante ædeis adstas? sequere intro. MEN. Mane.
Scin' quid est, quod ego ad te venio? EROT. Scio; ut tibi ex me sit volup.
MEN. Imo, edepol, pallam illam, amabo te, quam tibi dudum dedi,
Mihi eam redde; uxor rescivit rem omnem, ut factum'st, ordine.
Ego tibi redimam bis tanto pluris pallam, quam voles.
EROT. Tibi dedi equidem illam, ad phrygionem ut ferres, paulo prius:
Et illud spinther, ut ad aurificem ferres, ut fieret novom.
MEN. Mihi ut tu dederis pallam, et spinther? nunquam factum reperies.

1. *Hic* homo qui me vocat. — *Ætati suæ*. Cf. Bacch. I, 2, 51. N.

4. *Amabo te*. Sup. III, 3, 1.

5. *Ordine*. Cf. Capt. II, 3, 17.

6. *Quam*, quamcumque. N.

9. *Factum reperies*. Gruterus ex vestigiis MSS qui habent *releceris*, fecit *relege res*, quod temere in editiones quasdam irrepsit. Pareus notat in veteri codice scriptum esse *redixeris*. Quare ille rescripsit *reviceris*. Omnino scribendum est: « Numquam factum. Ne dixeris »: te nempe mihi dedisse pallam ferendam ad phrygionem. Ita passim Plautus. BOXH. — *Numquam factum reperies*. Duo fuere codices Palatini, quibus in recensendo Plauto a Bacchidibus ad finem usque sunt usi, ambo quondam Camerarii: alter integer, quem Palat. pr. aut κατ' ἐξοχὴν V. C. solent vocare: alter orsus a Bacchidibus, quem propterea Dec. vel Decurtatum et Pal. sec. appellant. Ne quis igitur putet hic dissentire Gruterum et Pareum in edenda scripta lectione: uterque annotat Pal. pr. seu V. C. habere *releceris*, et supra scriptum *redixeris*: uterque Pal. sec. seu Dec. *relegeris*. Ceterum satis placet Boxhornii, *ne dixeris*. GRON.

Nam ego quidem postquam illam dudum tibi dedi, atque abii ad forum,
Nunc redeo, nunc te postilla video. EROT. Video quam rem agis.
Quia conmisi, ut me defrudes, ad eam rem adfectas viam.
MEN. Neque, edepol, te defrudandi causa posco : quin tibi
Dico, uxorem rescivisse. EROT. Nec te ultro oravi ut dares,
Tute ultro ad me detulisti, dedisti eam dono mihi :
Eamdem nunc reposcis : patiar, tibi habe : abfer, utere,
Vel tu, vel tua uxor, vel etiam in oculos conpingite.
Tu huc, post hunc diem, pedem intro non feres, ne frustra sis,
Quando tu me bene merentem tibi habes despicatui.
Nisi feres argentum, frustra me ductare non potes.
Aliam posthac invenito, quam tu habeas frustratui.
MEN. Nimis iracunde, hercle; tandem heus tu, tibi dico, mane :
Redi. EROT. Etiamne adstas? etiam audes mea revorti gratia?
MEN. Abiit intro, obclusit ædeis : nunc ego sum exclusissumus :
Neque domi, neque apud amicam mihi jam quidquam creditur.
Ibo, et consulam hanc rem amicos, quid faciundum censeant.

12. *Quia conmisi.* Committere est « peccare, errare » haud nunquam. Hic sensus : « stulte egi fidens, ut posses me defrudare ». N.

17. *In oculos conpingite.* Iratus sermo : ponite et asservate ibi, ubi nemo quærit, et ubi care, oculitus, custodiantur. GRON.

20. *Ductare.* Cf. Asin. I, 3, 12.

23. *Etiamne adstas?* Figura quæ imperativo modo æquiparatur. Cf. Casin. III, 6, 8. — *Etiam audes?* Quasi diceret : « veni, sodes » sensu ironico, nam januam illi occludit. N.

24. *Sum exclusissumus.* Voce hac una scenæ hujus et prioris lusus comicus resumi et comprehendi videtur. Hic e rerum lepore, non ex argutiolis verborum risus elicitur. Euge, Plaute. Ea est vera comœdia. N.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

MENÆCHMUS SOSICLES, MULIER.

MEN. NIMIS stulte dudum feci, quom marsupium
Messenioni cum argento concredidi.
Inmersit aliquo sese, credo, in ganeum.
MUL. Provisam, quam mox vir meus redeat domum.
Sed eccum video : salva sum, pallam refert.
MEN. Demiror, ubi nunc ambulet Messenio.
MUL. Adibo, atque hominem adcipiam, quibus dictis meret.
Non te pudet prodire in conspectum meum,
Flagitium hominis cum istoc ornatu? MEN. Quid est?
Quæ res agitat te, mulier? MUL. Etiamne inpudens
Mutire unum verbum audes, aut mecum loqui?
MEN. Quid tandem admisi in me, ut loqui non audeam?
MUL. Rogas me? o hominis inpudentem audaciam!
MEN. Non tu scis, mulier, Hecubam quapropter canem
Graii esse prædicabant? MUL. Non equidem scio.
MEN. Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis:
Omnia mala ingerebat, quemquem aspexerat.
Itaque adeo jure cœpta adpellari est canis.
MUL. Non istæc ego flagitia possum perpeti.
Nam med ætatem viduam esse mavelim,

9. *Flagitium hom.* Sup. II, 1, 8.

14. *Hecubam..... canem.* Hæc Romanorum comitas. Sic lepidus senex, cur uxorem non duxerit, dictat rationem, Mil. gl. III, 1, 87: « nolo mihi oblatratricem in ædeis intromittere ». Et amicus Augusto Livius dicit (XXXVIII, 54) M. P. Catonem Scipionis magnitudinem solitum allatrare. N.

17. *Mala*, convicia.

20. *Ætatem.* Cf. Asin. I, 1, 6.

Quam istæc flagitia tua pati, quæ tu facis.
MEN. Quid id ad me, tu te nubtam possis perpeti,
An sis abitura a tuo viro? an mos est ita heic,
Peregrino ut advenienti narrent fabulas?
MUL. Quas fabulas? non, inquam, patiar præterhac,
Quin vidua vivam, quam tuos mores perferam.
MEN. Mea quidem, hercle, causa vidua vivito,
Vel usque dum regnum obtinebit Jupiter.
MUL. At mihi negabas dudum subripuisse te,
Nunc eamdem ante oculos adtines, non te pudet?
MEN. Heu, hercle, mulier, multum et audax et mala es.
Tun' tibi hanc subreptam dicere audes, quam mihi
Dedit alia mulier, ut concinnandam darem?
MUL. Næ istuc, mecastor, jam patrem arcessam meum,
Atque ei narrabo tua flagitia, quæ facis.
I, Decio, quære meum patrem, tecum simul
Ut veniat ad me: ita rem esse dicito.
(ad Menæchmum.)
Jam ego aperiam istæc tua flagitia. MEN. Sanan' es?
Quæ mea flagitia? MUL. Quom pallam atque aurum meum
Domo subpilas uxori tuæ, et tuæ
Degeris amicæ. Satin' hæc recte fabulor?
MEN. Quæso hercle, mulier, si scis, monstra, quod bibam,

27. *Mea..... causa*, quod ad me attinet. Si mea gratia res fiat. N.

36. *Decio*, nomen servile latinum. N. — *Quære*. Non est necesse ut hæc mutet Colvius: nam *quæro* ac *quæso* permutantur. Festus: « Quæso, ut significat idem quod rogo: ita quæsere ponitur ab antiquis pro quærere, etc. » GRUTER. — Nimis docte errant, opinor. *Quære* i. q. quæsitum ubi sit. Arcesse. N.

42. *Monstra, quod bibam*, etc. Recte se habent: « si scis, monstra, quod bibam, Tuam qui possim perpeti petulantiam ». Si potes me alere et ostendere unde vivam, tuam perpetiar petulantiam, ut tibi obnoxius. Alia conditione eam ferre non possum, nisi ut me alas, et mihi monstres quod edam et bibam. Sed *bibam* tantum dixit, quia causa vivendi præcipua Græcis in bibendo. Unde et συμπόσιον dixere, quod Latini *convivium*. Eamdem sententiam expressit Theocritus in Ἀδωνιαζούσαις, nisi fallor: Πασσάμενος ἐπίτασσε. « Ubi nos alueris,

Tuam qui possim perpeti petulantiam.
Quem tu hominem me arbitrare, nescio.
Ego te simitu gnovi cum Parthaone.
MUL. Si me derides, at, pol, illum non potes,
Patrem meum, qui huc advenit : quin respicis?
Gnovistin' tu illum? MEN. Gnovi cum Calcha simul:
Eodem die vidi illum, quo te ante hunc diem.
MUL. Negas gnovisse me? negas patrem meum?
MEN. Idem, hercle, dicam, si avom vis adducere.
MUL. Ecastor, pariter hoc, atque alias res soles.

SCENA SECUNDA.

SENEX, MULIER, MENÆCHMUS SOSICLES.

SEN. Ut ætas mea 'st, atque ut hoc usus facto est,
Gradum proferam, progredi properabo.
Sed id quam facile sit mihi, haud sum falsus.
Nam pernicitas deserit : consitus sum
Senectute; onustum gero corpus; vires
Reliquere. Ut ætas mala, merx mala est tergo!

impera ». SALM. — Ni fallor, hic sensus non tam longe quæritur: « si scis, ubi sit, monstra quod bibam, nam quæ mihi oggeris, haud facile degluliam ». N.

45. *Simitu cum*, æque ac. *Parthaone. Parthaon*, pater Œnei Ætoliæ regis, Dejaniræ patris.

52. *Pariter hoc, atque*, etc. Conf. Amph. I, 3, 38. N.

1. *Ut ætas*, etc. H. e. « quantum per ætatem licet, et quia opus est hoc facere, sc. properare ». *Usus* pro opus, vid. Bacch. IV, 4, 54; et *facto* pro facere, vid. Amph. I, 3, 7. N.

4. *Consitus sum Senectute.* Ita Ter. Eunuch. II, 1 : « annis obsitus ». Virg. Æn. VIII : « ibat rex obsitus ævo ». *Obsitum* pro pleno usurpatum antiquis : eo, quod locus frugibus obsitus aut sentibus, iis plenus sit. TURN.

5. *Onustum gero corpus.* Duo sunt hæc onera: nam et corpus hic senex gerit, et corporis onus, senectutem, sive annos. Cf. Merc. IV, 1, 5 : « Quin is ocius? SYR. Nequeo mecastor : tantum hoc oneris est, quod fero. DO. Quid oneris? SYR. Annos octoginta et quatuor ». ERN.

Nam res plurimas pessumas, quom advenit, adfert :
Quas si autumem omneis, nimis longus sermo sit.
Sed hæc res mihi in pectore et corde dura est,
Quidnam hoc sit negoti, quod filia sic
Repente expetit me, ut ad sese irem.
Nec, quid id sit, mihi certius facit,
Quid velit, quid me arcessat.
Verum propemodum jam scio quid siet rei.
Credo cum viro litigium gnatum esse aliquod.
Ita istæc solent, quæ viros subservire
Sibi postulant, dote fretæ, feroceis.
Et illi quoque haud abstinent sæpe culpa.
Verum est modus tamen, quod pati uxorem oportet.
Nec, pol, filia unquam patrem arcessit ad se,
Nisi aut quid conmissi, aut jurgi est causa.
Sed quidquid id est, jam sciam; atque eccam eampse
Ante ædeis, et ejus tristem virum video.
Id est, quod suspicabar.
Adpellabo hanc. MUL. Ibo advorsum. Salve multum, mi
pater.
SEN. Salva sis : salven' advenio? salven' arcessi jubes?
Quid tu tristis es? quid ille autem abs te iratus destitit?
Nescio quid vos velitati estis inter vos duos.
Loquere, uter meruistis culpam, paucis, non longos logos.

8. *Autumem*. Conf. Amph. I, 1, 150. N.

16. *Istæc*, velus pro *istæ*.

17. *Dote fretæ*. Conf. Asin. I, 1, 74. N.

25. MUL. *Ibo advorsum : salve*. Ita hæc ordino. Filia enim officii sui memor patri obviam procedit : tum salutat. Nam ita solebant parentibus natæ, aut propinquæ honoratiori cognato. Ut Sticho, I, 2, 32 : « Ferre advorsum hominem occupemus osculum. Salve, mi pater ». J. GUL.

26. *Salven' arc. Salve* adverbium, i. q. salvis rebus tuis, sæpissime orationi salutantium inditum. Cf. Stich. I, 1, 9. N.

27. *Destitit*, discessit, procul stat. N.

28. *Velitati estis*. Conf. Asin. II, 2, 41. N.

29. *Non longos logos*. Scil. facias. Nonius : « Logi sunt sermones, vel

MUL. Nusquam equidem quidquam deliqui; hoc primum te absolvo, pater.
Verum vivere heic non possum, neque durare ullo modo.
Proin' tu me hinc abducas. SEN. Quid istuc autem est? MUL. Ludibrio, pater,
Habeor. SEN. Unde? MUL. Ab illo, quoi me mandavisti, meo viro.
SEN. Ecce autem litigium : quoties edixi tandem tibi,
Ut caveres, neuter ad me iretis cum querimonia?
MUL. Quî ego istuc, mi pater, cavere possum. SEN. Men' interrogas?
MUL. Nisi non vis. SEN. Quoties monstravi tibi, viro ut morem geras?
Quid ille faciat, ne id observes, quo eat, quid rerum gerat.
MUL. At enim ille hinc amat meretricem ex proxumo. SEN. Sane sapit,
Atque ob istanc industriam etiam, faxo, amabit amplius.
MUL. Atque ibi potat. SEN. Tua quidem ille causa potabit minus,
Sive illeic, sive alibi lubebit? quæ hæc, malum, inpudentia'st?

dicla ridicula et contemnenda ». Utitur et Terent. Phorm. III, 2, et Cicero. *Logi* enim vocabulo pæne jam ut vernaculo utebantur Romani : et *logos* in nugis, tanquam suam vocem dicebant. PALM.

30. *Hoc primum te absolvo*, hujus rei te certum facio, tibi de hac re dubitationem adimo. Cf. Amph. V, 1, 45. N.

32. *Me hinc abducas.* In manum patris redibat, quæ a viro discedebat mulier. Cf. Stich. I, 2, 74. N.

33. *Unde*, adverbium loci, pro relativo. Cf. Terent. Phorm. V, 6, 75 : « quum e medio excessit unde (illa ab qua) hæc suscepta est ». N.

35. *Neuter ad me.* Censeo dissecandam vocem : « Ut caveres, ne uter ad me ». Hoc est, ne vel maritus vel tu. GRON.

39. *At enim ille hinc amat.* V. C. *hanc.* Probo. SCRIV. — Seu *hinc*, seu *hanc* dicit, monstrat Erotii domum. N.

40. *Atque ob i. ind.* ob id ipsum quod agis. Sup. I, 2, 14. N.

42. *Malum.* Conf. Amph. I, 1, 247. *Inpudentia 'st.* Intemperantia, quæ ultra jus et æquum poscit.

Una opera prohibere, ad cœnam ne promittat, postules,
Neve quemquam adcipiat alienum apud te? serviren' tibi
Postulas viros? dare una opera pensum postules,
Inter ancillas sedere jubeas, lanam carere.
MUL. Non equidem mihi te advocatum pater adduxi, sed viro.
Hinc stas, illinc causam dicis. SEN. Si ille quid deliquerit,
Multo tanto illum adcusabo, quam te adcusavi, amplius.
Quando te auratam et vestitam bene habet; ancillas, penum,
Recte præhibet; melius sanam 'st, mulier, mentem sumere.
MUL. At ille subpilat mihi aurum et pallam ex arcis modo;
Me despoliat, mea ornamenta clam me ad meretriceis degerit.
SEN. Male facit, si istuc facit: si non facit, tu male facis,
Quæ insontem insimules. MUL. Quin etiam nunc habet pallam, pater,
Et spinther, quod ad hanc detulerat: nunc, quia rescivi, refert.
SEN. Jam ego ex hoc ut factum 'st scibo: ibo ad hominem atque adloquar.
Dic mihi istuc, Menæchme, quod vos dissertatis, ut sciam.
Quid tu tristis es? quid illam autem iratam abs te destituis?
MEN. Quisquis es, quidquid tibi nomen est, senex, summum Jovem

Quidquid nimium est, dicitur Latinis impudens, Græcis ἀναιδής. Qualis igitur virorum mos apud Veteres fuit, nisi per ironiam poetæ nunc deridiculo habeatur ira patris et comica amplificatione carpantur vitia maritorum? N.

48. *Hinc stas, illinc causam dicis.* Mihi es advocatus, pro viro agis causam. N.

58. *Quod vos dissertatis.* Potest tolerari, ut sit λιτότης, sive extenuatio rei per verba, pro litigatis. Colvius *disceptatis.* Meursius *dissentitis.* Sed nullo modo ferendum, quod nuper conjecerunt, *discernatis.* Hoc juxta hic locum habet, ac separatis, distinguitis. GRON.

59. *Destituis*, a te segregas: ut vs. 27 *destitit.* N.

Deosque detestor. SEN. Qua de re, aut quojus rei rerum omnium?
MEN. Me neque isti male fecisse mulieri, quæ me arguit
Hanc domo ab se subripuisse, atque abstulisse dejerat.
Si ego intra ædeis hujus unquam, ubi habitat, penetravi pedem,
Omnium hominum exopto ut fiam miserorum miserrumus.
SEN. Sanun' es, qui istuc exoptes, aut neges te unquam pedem
In eas ædeis intulisse, ubi habitas, insanissume?
MEN. Tun', senex, ais habitare med in illisce ædibus?
SEN. Tu negas? MEN. Nego, hercle, vero. MUL. Nimio hæc inpudenter negas.
Nisi quo nocte hac emigrasti. SEN. Concede hac, filia.
Quid tu ais? nunc hinc emigrasti? MEN. Quem in locum, aut ob rem, obsecro?
SEN. Non, edepol, scio. MUL. Profecto ludit te hic. SEN. Non tu te tenes?
Jam vero, Menæchme, satis jocatus es: nunc hanc rem age.
MEN. Quæso quid mihi tecum 'st? Unde, aut quis tu homo es? quid feci ego
Tibi, aut adeo isti, quæ mihi molesta est quoquo modo?
MUL. Viden' tu illi oculos virere? ut viridis exoritur colos
Ex temporibus atque fronte! ut oculi scintillant! vide.

61. *Quojus rei rer. omnium.* Recte Lambinus interpretatur velle senem: « cujus rei ex omnibus rebus causa deos testes facis? » Et prorsus inepte, qui personas ita ordinat: « cujus rei? MEN. Rerum omnium, Me neque »: quod ineptius reddit interpretando, quasi dixerit Plautus « deos rerum omnium ». GRON.

71. *Aut ob rem.* Supple *quam?*

72. *Non tu te tenes?* Jubet tacere ac quiescere filiam senex: ipse solus scilicet serio opus exsequuturus: « Tene te », id est, abstine, cohibe. Cas. act. III, 2, « Vix teneor, quin quæ decent te, dicam ». GRUTER.

73. *Hanc rem age.* Conf. Captiv. V, 1, 10. N.

76. *Viden' tu illi oculos virere?* Virere hic est lucere, et sic *virens flamma* Horat. Epod. XVII, vs. 33, et apud Homerum, φλὸξ ἐμαράνθη, flamma marcescit, quæ quasi *virere*

MEN. (hæc secum.) Quid mi meliu'st, quam, quando illi me insanire prædicant,
Ego me adsimulem insanire, ut illos a me absterream?
MUL. Ut pandiculans oscitatur! quid nunc faciam, mi pater?
SEN. Concede huc, mea gnata, ab istoc quam potes longissume.
MEN. Evoe, Evie, Bromie, quo me in silvam venatum vocas?
Audio; sed non abire possum ab his regionibus;
Ita illa me ab læva rabiosa femina adservat canis.
Post autem illic hircus alius, qui sæpe ætate in sua
Perdidit civem innocentem falso testimonio.
SEN. Væ capiti tuo! MEN. Ecce Apollo mi ex oraculo inperat,
Ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus.
MUL. Perii, mi pater! minatur mihi oculos exurere.
Hei mihi! MEN. (hæc secum.) insanire me aiunt, ultro quom ipsi insaniunt.
SEN. Filia, heus. MUL. Quid est? quid agimus? SEN. Quid si ego huc servos cito?

desinit. Nam et *virere* pro ἀνθεῖν, quod colori et flammæ tribuunt græci pariter ac latini poetæ. Ut « florentia lumina flammis », et ἀνθοῦσα φλὸξ, et color ἀνθηρός. Nec obstat quod sequitur, ut *oculi scintillant;* plus est enim scintillare quam virere vel lucere. At viridis color qui ex temporibus et fronte exoritur non est mutandus in iridis colorem. Cæruleum intelligit et glaucum, quem *olivastrum* vulgo vocant, qui color est morbosorum. SALM. — Salmasii enarrationem de virentibus oculis præterire non debui, cui tamen non acquiescam. Virere mihi videtur proprio sensu accipiendum, quum herbei coloris oculi jam alias exprobrentur, et generatim viridis color male affecti corporis aut animi signum habeatur apud Veteres. N.

80. *Ut pandiculans oscitatur!* Festus: « Pandiculari dicuntur, qui toto corpore oscitantes extenduntur: eo quod pandi fiunt ». LAMB.

82. *Evoe, Evie, Bromie.* Quia Menæchmus se furere et bacchari simulat, usurpat vocabula, quibus bacchantes utebantur. *Evoi*, interjectio est ὀργιασμοῦ, *evoe*. Evius et Bromius sunt Bacchi nomina. LAMBIN. — « Quo me, Bacche, rapis ». Horat. Scilicet bacchatur, quisquis furit. N.

85. *Ætate*, vita.

91. *Quid agimus?* Conf. Cistell. IV, 2, 102. N.

Ibo, adducam, qui hunc hinc tollant, et domi devinciant,
Priusquam turbarum quid faciat amplius. MEN. (hæc secum.) Enimvero, nisi
Obcupo aliquid mihi consilium, hi domum me ad se abferent.
(alta voce.) Pugnis me vetas in hujus ore quidquam parcere?
Ni jam ex meis oculis abscedat in malam magnam crucem,
Faciam, quod jubes, Apollo. SEN. Fuge domum, quantum pote'st,
Ne hic te obtundat. MUL. Fugio: amabo, adserva istunc, mi pater,
Ne quo hinc abeat. Sumne ego mulier misera, quæ illæc audio!
MEN. (hæc secum.) Haud male illanc amovi: nunc hunc inpurissumum,
Barbatum, tremulum Titanum, Cygno prognatum patre.
(alta voce.) Ita mihi inperas, ut ego hujus membra, atque ossa, atque artua
Conminuam illo scipione, quem ipse habet. SEN. Dabitur malum,
Me quidem si adtigeris, aut si propius ad me adcesseris.

95. *Hujus* mulieris.

97. *Q. pot'est.* Asin. III, 3, 17.

100. *Inpurissumum.* Conf. Asin. II, 4, 6. N.

101. *Tremulum Titanum.* Melius hic fortasse legi posset *Tithonum*, qui ad extremam senectutem vixit, adeo ut emori non posset, quamvis omnibus senii decrepiti malis vexaretur. Non iste quidem cygno prognatus patre, quem Aurora adamavit, sed hic homo non pro sano loquitur. Quum enim insaniam simulet, ea dicit de industria quæ insani hominis sunt. SALM. — Credo his quoque ad canitiem senis ambigue alludi, quum Cygnus nominetur. Possit h. l. error simulari comice, ut Cistellar. II, 1, et Mercat. V, 2. N.

102. *Artua.* Non obliquos casus verborum quartæ declinationis generis neutrius reperiri inficior. Verum sunt isti, non a rectis in *u*, sed in *us*. Nam nomina ejusmodi olim utramque habebant terminationem. Contra itidem quædam hodie in *us*, solum efferuntur, quæ olim terminabantur in *u*. Tale pro *artus*, *artu*; inde *artua* hoc loco: a quo *deartuare* supra Captiv. III, 4 et 5. VOSSIUS.

MEN. Faciam quod jubes; securim capiam ancipitem, atque hunc senem
Exossabo, dein' dedolabo adsulatim viscera.
SEN. Enimvero illud præcavendum 'st, atque adcurandum mihi:
Sane ego illum metuo, ut minatur, ne quid malefaxit mihi.
MEN. Multa mihi inperas, Apollo; nunc equos junctos jubes
Capere me indomitos, feroceis, atque in currum inscendere,
Ut ego hunc proteram leonem Gætulum, olentem, edentulum.
Jam adstiti in currum, jam lora teneo, jam stimulum in manu 'st.
Agite, equi, facitote sonitus ungularum adpareant
Cursu celeri; facite inflexa sit pedum pernicitas.
SEN. Mihin' equis junctis minare? MEN. Ecce, Apollo, denuo
Me jubes facere inpetum in eum qui stat, atque obcidere.
Sed quis hic est, qui me capillo hinc de curru deripit?

106. *Dedolabo adsulatim viscera.* Hoc minutatim exponit Nonius: recte. Hinc *assulæ marmoreæ* apud Vitruvium, τὰ ἐμπελεκήματα, ex marmore, dum cæditur, excussa: nec quidquam mutandum. Glossæ: ἀποπελεκῶ, *deformo*, *dedolo*. Utrumque dicebatur *astula* et *assula* pro eodem: sic *mersus*, mertus: *fissus*, fistus: *fixus*, fictus et similia. SALM. — *Exossabo, dein dedolabo.* Hæc Camerarii conjectura est. Superiores « senem Exossem, nisi dedolabo ». Aldus auxit: « Exossem reddam, dedolabo ». Ambo scripti: « Senem osse fini dedolabo ». Unde Pareus *ossetim* et *exossetim*. Sed scribendum est: « hunc senem Ossum fini dedolabo assulatim viscera ». Sermo dignissimus Plauto et minima mutatio. *Ossum fini* est usque ad ossa. *Dedolabo* est decidam et amputabo securi: quemadmodum dolabra est instrumentum, quo cædimus, non quo levigamus, ut ascia. Potuissem et *huic seni*. Sed non est necesse. Hac fabula, II, 2: « Nummum illum, quem mihi dudum pollicitus dare, Jubeas, si sapias, porculum adferri tibi ». *Dedolabo*, truncabo circum hunc senem, quod ad viscera, assulatim et minutatim desecta fini ossium, ut nil nisi sceletus supersit. GRON.

109. *Multa*, instanter, vehementer. N.

114. *Inflexa sit*, mobilis, quæ facile flectitur. N.

117. *Qui me capillo hinc de curru deripit?* Allusum ad Palladem Homericam, quæ Achillem capillis a pugna revocavit. — *Deripit. Deripere*, est deorsum rapere et detra-

Inperium tuum demutat atque dictum, Apollinis.
SEN. Heu, hercle, morbum acrem ac durum! Dî, vostram fidem!
Vel hic qui insanit, quam valuit paulo prius!
Ei derepente tantus morbus incidit.
Ibo atque arcessam medicum jam, quantum pote'st.

SCENA TERTIA.

MENÆCHMUS SOSICLES, SENEX.

MEN. Jamne isti abierunt, quæso, ex conspectu meo,
Qui me vi cogunt, ut validus insaniam?
Quid cesso abire ad navem, dum salvo licet?
Vosque omneis quæso, si senex revenerit,
Ne me indicetis, qua platea hinc abfugerim. (abit.)
SEN. Lumbi sedendo, oculi spectando dolent,
Manendo medicum, dum se ex opere recipiat.
Odiosus tandem vix ab ægrotis venit.
Ait se obligasse crus fractum Æsculapio,

here. *Diripere*, diverse et in varias partes rapere, ut fit in expugnationibus urbium. POPMA.

118. *Atque dictum.* Apollinis oraculum *dictio* olim nuncupata. Pacuvius: « Flexa, non falsa, autumare dictio Delphis solet ». Ait, tortuosa et obliqua esse oracula, non mendacia: unde et Apollo λοξίας. Accius apud Her. lib. II: « Aperte fatur dictio, si intelligas ». Et alioqui *dicta* interdum jussa sunt: unde *dictator* et *dicto audientes:* de quibus Varro, Ling. Lat. lib. IV et V. — *Apollinis. Apollinis* rectus olim casus pro *Apollo.* Verum hoc loco aiunt quidam *Apollinis* esse vocandi casum. Sed falluntur: nam « tuum Apollinis imperium » ait, ut Cicero, Philipp. II: « Tuum hominis simplicis pectus ». Et in Maniliana, « Tuum gravissimi viri judicium ». Voss.

120. *Valuit*, sanus fuit. Sc. seq. 2.

121. *Tantus*, adeo violentus, ut e sano insanum subito fecerit. Hæc vox cum particula causali *ita* congruit. Cf. Capt. III, 5, 16. N.

8. *Odiosus*, qui exspectandi diuturnitate mihi tædium attulit.

9. *Obligasse crus fractum Æsculapio.* Hic deridiculi gratia gloriosum introducit medicum, qui se jactat obligasse crus fractum Æsculapio, brachium Apollini, quasi ipsi medicinæ auctores dii ipsius

Apollini autem brachium : nunc cogito,
Utrum me dicam ducere medicum, an fabrum.
Atque, eccum, incedit, movet formicinum gradum.

SCENA QUARTA.

MEDICUS, SENEX.

MED. Quid esse illi morbi dixeras, narra senex.
Num larvatus, aut ceritus? fac sciam.
Num eum veternus, aut aqua intercus tenet?
SEN. Quin ea te causa duco, ut id dicas mihi,
Atque illum ut sanum facias. MED. Perfacile id quidem 'st.
Sanum futurum, mea ego id promitto fide.
SEN. Magna cum cura ego illum curari volo.
MED. Quin subspirabo plus sexcenties in die :

cura opus habuerint. Veteres medici etiam fuere χειρουργοί. SALM.— Medici e Græcia mendace.

11. *Utrum me dicam*, etc. Dubito utrum ducam, etc. Cf. Curcul. I, 1, 1. — *An fabrum*. Fabri plerumque tardigradi, ut qui statarii rem gerant. N.

12. *Movet formicinum gradum*. Formicarum gradus minutissimus est ac spississimus, atque ideo tardus. Multum quidem movent, sed parum promovent. Pari forma dixit Catullus, Carm. XXXIX : « incedere myrmice », et Martial. « Crusculum formicæ ». MUR. — Est etiam proverbium apud Græcos : Μυρμήκων ἀτραποὺς, pro augustis et incurvis viis. GRON.*

1. *Quid esse*, etc. Plin. Hist. Nat. XXIX, 6 : « Cassius Hemina ex antiquissimis auctor est primum e medicis venisse Romam Peloponneso Archagatum Lysaniæ filium, anno Urbis DXXXV, eique jus Quiritium datum, et tabernam in compito Acilio emptam ob id publice... transisse nomen in carnificem, et in tædium artem omnesque medicos, quod intelligi potest ex M. Catone, etc. » Idem Plinius narrat infelicis monumenti inscriptionem « turba se medicorum periisse ». N.

2. *Larvatus, aut ceritus*. Festus : « Larvati sunt furiosi et mente moti, quasi larvis et spectris exterriti ». De *ceritis*, cf. Amph. II, 2, 144. ERN.

3. *Num eum*, etc. Scilicet verbosissima medicorum vaniloquentia deridenda Plautus Moliero præiverat. N.

8. *Quin subspirabo plus sexcenties in die*. Qui sæpius et celerius ultro citroque commeant et discursant rei alicujus curandæ causa, suspirant, suspiria alte petunt. Dicit

Ita ego illum cum cura magna curabo tibi.

SEN. Atque eccum ipsum hominem. MEN. Observemus, quam rem agat.

SCENA QUINTA.

MENÆCHMUS SUBREPTUS, SENEX, MEDICUS.

MEN. Edepol, næ hic dies pervorsus atque advorsus mihi obtigit:
Quæ me clam ratus sum facere, ea omnia fecit palam
Parasitus, qui me conplevit flagiti et formidinis;
Meus Ulysses, suo qui regi tantum concivit mali.
Quem ego hominem, si quidem vivo, vita devolvam sua.
Sed ego stultus sum, qui illius esse dico, quæ mea sit.
Meo cibo et sumtu educatu'st: anima privabo virum.
Condigne autem hæc meretrix fecit, ut mos est meretricius.
Quia rogo pallam, ut referatur rursum ad uxorem meam,
Mihi se ait dedisse: heu, edepol, næ ego homo vivo miser!

SEN. Audin' quæ loquitur? MED. Se miserum prædicat. SEN. Adeas velim.

MED. Salvos sis, Menæchme; quæso cur apertas brachium?
Non tu scis, quantum isti morbo nunc tuo facias mali.

MEN. Quin tu te suspendis? MED. Ecquid sentis?... SEN. Quidni sentiam?

MED. Non potest hæc res ellebori jugere obtinerier.

igitur hic medicus, se magna cum cura insanum curaturum; quin ad eum inviaurum, eaque de causa suspiraturum plus sexcenties in die. Hæc genuina est h. l. sententia. BOXH.

4. *Ulysses*, quo utebar consiliario, ut Agamemnon Ulysse ad Trojam. GRON. — Aut proditore, ut Palamedes et alii.

7. *Anima privabo*, i. e. alimonio opiparo. N.

12. *Apertas brachium*, e pallio et tunica exsertas, dum te vehementer agis. Metuit scilicet, ne brachium frigore feriatur. N.

14. *Ecquid*. Conf. Bacchid. IV, 10, 10. N.

15. *Ellebori jugere*. Non potest hujus ægri sanitas tanta ellebori copia obtineri, quanta ex agri jugere meti potest. Simile Horat. illud, Sat. II, 3: « Danda est elle-

Sed quid ais, Menæchme? MEN. Quid vis? MED. Dic mihi hoc, quod te rogo.
Album, an atrum vinum potas? MEN. Quin tu is in malam crucem?
SEN. Jam, hercle, obceptat insanire primulum. MEN. Quin tu me interrogas,
Purpureum panem, an puniceum soleam ego esse, an luteum?
Soleamne esse aveis squamosas, pisceis pennatos? SEN. Papæ!
Audin' tu, ut deliramenta loquitur? quid cessas dare
Potionis aliquid, priusquam percipit insania?
MED. Mane modo; etiam percontabor. SEN. Alia obcidis fabula.
MED. Dic mihi hoc: solent tibi unquam oculi duri fieri?
MED. Quid? tu me locustam censes esse, homo ignavissume?

bori multo pars maxima avaris: Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem ». Dicebant Veteres *juger*, vel *jugus*, ut *later* et *latus*, unde in singulari remansit *jugere*, et in plurali omnes casus. GRON.*

16. *Quid ais?* Cf. Aulul. IV, 9, 7. N.

17. *An atrum.* Vulgo coloris nigri vinum apud Veteres. Hesiodus vocat οἶνον αἴθοπα. In Cistell. I, 1, 21, lena queritur quod sibi pincerna vinum infuscaverit, scilicet aqua infusa; quomodo? nisi nigrorem diluerit. N.

22. *Percipit.* Id est, penitus capit. Ter. Eunuch. « verbis odium me percipit », ubi τὸ *per* αὐξητικὸν est. EBN.

23. *Alia.* Acidalius jungit *alia* cum verbo *percontabor*. Melius Boxhornius rogantis notam interpungit post *alia*. Sed vulgata non hæret. *Obcidis* me. Conf. Bacch. V, 2, 43. *Fabula*, sermone. N.

24. *Oculi duri fieri?* Ne hoc quidem temere quærit medicus: eorum, quos atra bilis vexat, corpora constat fieri extrinsecus duriora, propter atræ bilis naturam, quæ siccissima et calidissima est: in primis oculi, qui sunt textura præditi rarissima, partesque corporis sunt infirmissimæ. Etiam hæc insaniæ signa ab Aristotele probantur. VICT.

25. *Me locustam censes?* Locustæ quum de insectorum genere sint, palpebris carent: idcirco durissimis sunt oculis. Aristot. de Part. Anim. lib. II, et Plin. XI, 37. TAUBM.— Fere ad verbum: ἢ ῥά μ' ἀττελεβόφθαλμον ὄντα γνωρίζεις, ὠπίτριπτε; qua voce in Sphingocarione usus fuerat Eubulus. Duris autem ocu-

MED. Dic mihi, en unquam tibi intestina crepant, quod sentias?

MEN. Ubi satur sum, nulla crepitant; quando esurio, tum crepant.

MED. Hoc quidem, edepol, haud pro insano verbum respondit mihi.

Perdormiscin' usque ad lucem? facilen' tu dormis cubans?

MEN. Perdormisco, si resolvi argentum, quoi debeo.

Quî te Jupiter dîque omneis, percontator, perduint!

MED. Nunc homo insanire obceptat: de illis verbis cave tibi.

SEN. Imo modestior nunc quidem est de verbis, præut dudum fuit.

Nam dudum uxorem suam esse aibat rabiosam canem.

MEN. Quid ego dixi? SEN. Insanis, inquam. MEN. Egone?

SEN. Tu istic, qui mihi

Etiam me junctis quadrigis minitatu's prosternere;

Egomet hæc te vidi facere, egomet hæc te arguo.

MEN. At ego te sacram coronam subripuisse scio Jovis;

Et ob eam rem in carcerem ted esse conpactum scio;

Et postquam es emissus, cæsum virgis sub furca scio.

lis, hoc est, σκληροφθάλμους locustas esse, notum est. HEINS. — *Homa ingnavissume.* Medico putant non tam ignaviam quam imperitiam oportere exprobrari, eoque corrigunt *ignarissume.* Sed observasse debuerant *ignavum* Plauto passim pro homine nihili ac nullius usus poni. Casin. II, 3: « Quid tu scis? CL. Te sene omnium senem neminem esse ignaviorem. Unde is, nihili? » Sic « ignavissumis vervecibus » in eadem fabula, III, 2. Persa, V, 2: « Mea ignavia tu nunc me inrides ». Trinum. I, 2: « qui illius sapientiam Et meam fidelitatem et celata omnia Pæne ille ignavus funditus pessum dedit ». Et IV, 2: « quid ergo ille ignavissumus mihi latitabat? » Rud. III, 5, 49. GRON.

26. *Crepant, quod sentias.* An sentis crepare? N.

31. *Quî te Jupiter,* etc. Cf. Cas. II, 4, 1. N.

38. *Coronam,* scilicet auream, quam Jovi Capitolino victores consules offerebant. Non solum hoc loco mores romanos palliatæ apud Plautum receperunt. Horatius narrat, si scholiastæ fides adhibetur, cuidam Petilio ob furtum simile cognomen Capitolini additum. N.

40. *Sub furca,* igitur serviliter. Cf. Casin. II, 6, 37. N.

Tum patrem obcidisse, et matrem vendidisse, etiam scio.
Satin' hæc pro sano maledicta maledictis respondeo?
SEN. Obsecro, hercle, medice, propere, quidquid facturus, face.
Non vides hominem insanire? MED. Scin' quid facias optumum?
Ad me face uti deferatur. SEN. Itan' censes? MED. Quippe ni?
Ibi meo arbitratu potero curare hominem. SEN. Age ut lubet.
MED. Elleborum potabis, faxo, aliquos viginti dies.
MEN. At ego te pendentem fodiam stimulis triginta dies.
MED. I, arcesse homines, qui illunc ad me deferant. SEN. Quot sunt satis?
MED. Proinde, ut insanire video, quatuor; nihilo minus.
SEN. Jam heic erunt : adserva tu isthunc, medice. MED. Imo ego ibo domum,
Ut parentur, quibus paratis opus est : tu servos jube
Hunc ad me ferant. SEN. Jam ego illeic, faxo, erit. MED. Abeo. SEN. Vale. (abeunt diversi.)
MEN. Abiit socerus, abiit medicus; nunc solus sum : pro Jupiter!
Quid illuc est, quod me heic homines insanire prædicant!
Nam equidem postquam gnatus sum, nunquam ægrotavi unum diem.
Neque ego insanio, neque pugnas neque ego liteis cœpio.
Salvos salvos alios video; gnovi homines, adloquor.

47. *Aliquos viginti dies*. Valet, « circiter viginti dies ». Varro de Re rust. I, cap. 2, in extr. « Si velis in convivio multum bibere, cœnareque libenter, ante esse oportet brassicam crudam ex aceto, et post aliqua folia quinque ». LAMB.

48. *Pendentem*. Conf. Asin. II, 2, 35. N.

49. *Arcesse homines*. *Homines* hic pro servis poni, ut et Mostell. V, 1, autumat Douza.

50. *Nihilo minus*. Quatuor satis sunt: nihilo pauciores arcessi oportet. LAMB.

58. *Salvos salvos*. Salvus salvos. Quoties *u* duplicatur, aut priori digamma F, aut posteriori literam *o* substitui oportet, ne fiat diphthonga, inquit Donatus. N.

An qui perperam insanire me aiunt, ipsi insaniunt?
Quid ego nunc faciam? domum ire cupio : at uxor non sinit.
Huc autem nemo intromittit. Nimis proventum 'st nequiter.
Heic ergo usque ad noctem : saltem, credo, intromittar domum.

SCENA SEXTA.

MESSENIO.

Spectamen bono servo id est, qui rem herilem
Procurat, videt, conlocat, cogitatque,
Ut absente hero, rem heri diligenter
Tutetur, quam si ipse adsit, aut rectius.
Tergum quam gulam, crura quam ventrem oportet
Potiora esse, quoi cor modeste situm 'st.
Recordetur id, qui nihili sunt, quid iis preti
Detur ab suis heris, ingnavis, inprobis
Viris; verbera, conpedes, molæ, magna
Lassitudo, fames, frigus durum:
Hæc pretia sunt ingnaviæ.
Id ego male malum metuo; propterea bonum

61. *Huc*, monstrat domum Erotii. N. — *Nimis proventum 'st nequiter*. Infelicissime res processit. Rud. III, 5 : « Equidem proveni nequiter multis modis ». Trucul. II, 4. TAUBM.

62. *Saltem, credo*. Si exclusus sum ab Erotio, saltem intromittar ab uxore. LAMB.

1. *Spectamen bono servo*. Δοκίμιον, probatio et experimentum boni servi. ERN.

2. *Conlocat*. Conf. Asin. II, 4, 22, 23. N.

4. *Quam si*, etc. Intellige prius « tam diligenter ».

5. *Tergum quam gulam*, etc. Oportet servum tergo suo potius, quam gulæ consulere, et cruribus potius quam ventri. Nam si officium negligat, futurum est, ut tergum quidem virgis cædatur, crura vero compedibus vinciantur. LAMB. — *Crura*. Cf. Asin. II, 4, 4.

6. *Cor*. Conf. Cas. II, 2, 18. *Modeste situm 'st*, ita ut temperet a libidine. N.

8. *Ingnavis*, sc. iis servis qui nihili sunt. Cf. Bacch. IV, 8, 63. N.

12. *Malum*. Cf. Amph. prol. 31. *Male*, vehementer. Timor domini initium sapientiæ. N.

Esse certum 'st, potius quam malum : nam magis multo
Patior facilius verba, verbera ego odi.
Nimioque edo lubentius molitum, quam
Molitum præhibeo : propterea heri inperium
Exsequor bene, et sedate servio;
Atque id mihi prodest; alii sese ita ut in rem
Esse ducunt, sint : ego ita ero, ut me esse oportet;
Metum ut mihi adhibeam, culpam abstineam;
Hero ut omnibus in locis sim præsto.
Servi, qui culpa carent, et metuunt, ii
Solent esse heris utibileis : nam illi, qui nihil
Metuunt, postquam malum promeritum 'st, metuunt.
Metuam haud multum; prope 'st, quando
Herus, quod strenue faciam, pretium exsolvet.
Eo exemplo servio, tergi ut in rem esse arbitror.
Postquam in tabernam vasa et servos conlocavi, ut jusserat,
Ita venio advorsum : nunc foreis pultabo, adesse ut me sciat.

14. *Patior facilius verba.* Qui *verba* hic accipiunt illa, quibus servos suos heri excipiunt, quum objurgant, nimis inepti sunt. Non enim talia debentur servis bonis et frugi, qualem se esse ac manere velle hic profitetur Messenio. *Verba* hic sunt dicta, jussa, imperia herilia. Dicit se illa, quamvis dura subinde et gravia, perpeti malle, quam immorigerum verbera. Boxh.

15. *Nimioque edo lubentius molitum*, etc. Multo libentius edo, quod alii servi in pistrino misero labore moluerunt, quam ego aliis id, quod moleste moluerim, edendum præbeo. Lamb.

18. *Ut in rem*, etc. Qui indulgent ventri et inertiæ, credunt se suam rem agere. Errant, me judice. N.

20. *Metum ut adhibeam.* Vide vs. 12. N.

23. *Utibileis.* Vetus figura quæ decurtata usu est. Sic olim « docibilis, facibilis, etc. » N.

24. *Postquam malum promeritum 'st*, etc. *Promeritum* hic et passive et in malam partem est positum, quod rarius, pro *commeritum*. Sic et Amph. II, 1. Donatus : « Promeruit est adjuvit, profuit : cui contrarium est commeruit ». Sententia est : Nam illi, qui nullo metu afficiuntur, neque metu deterriti a culpa abstinent, postquam malum commeruerunt, tum denique metuunt. Lamb.

27. *Eo exemplo*, hoc modo. Cf. Capt. III, 5, 33. *In rem.* Ut *ab re* significat aliquid noxium, sic, quod prodest, *in rem* vel *e re* dicitur.

Atque ut eum ex hoc saltu damni salvom ut educam foras.
Sed metuo, ne sero veniam, depugnato prælio.

SCENA SEPTIMA.

SENEX, MENÆCHMUS SUBREPTUS, LORARII, MESSENIO.

SEN. Per ego vobis deos atque homines dico, ut inperium meum
Sapienter habeatis curæ, quæ inperavi atque inpero;
Facite illic homo jam in medicinam ablatus sublimis siet,
Nisi quidem vos vostra crura aut latera nihili penditis.
Cave quisquam, quod illic minitetur, vostrum flocci-fecerit.
Quid statis? quid dubitatis? jam sublimem raptum oportuit.
Ego ibo ad medicum; præsto ero illeic, quom venietis.
MEN. Obcidi!
Quid hoc est negoti? quid illice homines ad me currunt, obsecro?
Quid voltis vos? quid quæritatis? quid me circumsistitis?

30. *Atque ut eum*, etc. Veteres codices : « Neque utrum ex hoc saltu damni salvom ute duo anfora ». Unde scribendum : « Atque ut eum ex hoc saltu damni salvom ut educam foras ». Fores pultabo, ut adesse me sciat, et ut eum ex istis Caudinis Furculis, ex loco tam insidioso, educam. Tò *ut* repetit eo modo, quo Bacch. IV, 6, 18. *Educam* vidit Pareus, quod frustra sprevit Gruterus. Vulgatæ, « Neque utrum ex hoc saltu damni salvom scio eliciam foras », a conjectura Camerarii. Translatio est ab iis, qui in loco saltuoso et insidiis opportuno circumsidentur ab hostibus, et sustinent, donec subsidia veniant. *Depugnato prælio*, id est, postquam jam captus, sub jugum actus, despoliatus est. GRON.

2. *Sap. hab. curæ*, solerter et strenue agatis. — *Quæ*, post imperium. Cf. Bacch. IV, 4, 74. N.

3. *In medicinam*. Cf. Amph. IV, 1, 5. N.

4. *Crura aut latera*. Nisi quidem vos vestra crura compedibus vinciri, aut latera virgis cædi velitis. LAMB. — Conf. scen. proxime sup. vs. 5. N.

6. *Raptum oportuit*. Conf. Bacch. IV, 4, 107. N.

8. *Illice* i. q. illi. N.

Quo rapitis me? quo fertis me? perii! obsecro vostram fidem,
Epidamnienseis, subvenite, civeis. Quin me mittitis?
MESS. Pro di inmortaleis, obsecro, quid ego oculis adspicio meis?
Herum meum indignissume nescio qui sublimem ferunt.
MEN. Ecquis subpetias mihi audet adferre? MESS. Ego, here, audacissume.
O facinus indignum et malum, Epidamni civeis, herum
Meum heic in pacato oppido
Luci deripier in via, qui liber ad vos venerit!
Mittite istunc. MEN. Obsecro te, quisquis es, operam ut des mihi,
Neu sinas in me insignite fieri tantam injuriam.
MESS. Imo et operam dabo, et defendam, et subvenibo sedulo.
Nunquam te patiar perire: me perire 'st æquius.
Eripe oculum isti, ab humero qui te tenet, here, te obsecro.
Hisce ego jam sementem in ore faciam, pugnosque obseram.
Maxumo hodie malo, hercle, vostro istunc fertis: mittite.
MEN. Teneo ego huic oculum. MESS. Face ut oculi locus in capite adpareat.
Vos scelesti, vos rapaceis, vos prædones. LOR. Periimus!

10. *Vostram fidem*. Conf. Amph. I, 1, 217. N.

14. *Audet*, vult. Conf. Asin. II, 4, 70. N.

17. *Luci deripier*. Singula habent emphasin, « pacato oppido: luci: in via: liber ». TAUBM.

21. *Me perire 'st æquius*. Videlicet illud fuit servorum officium, quod quo astrictius, eo indignius, heri imperabant; et quo indigniores, quibuscum sic uterentur servi, eo imperiosiores heri illos urgeri hac necessitate voluerunt. Itaque legem postremo sanxere ut servi, si domini defendendi causa ipsi se periculo objicere noluissent, morte plecterentur. N.

25. *Face ut oculi locus in*, etc. Ridicule quidem dictum: fac ut locus oculi sit, oculus non sit. Verbum *adparere* idem valet quod « præsto esse, adesse ». Cf. Amph. II, 2, 161. N.

Obsecro, hercle. MESS. Mittite ergo. MEN. Quid me vobis tactio 'st ?
Pecte pugnis. MESS. Agite, abite, fugite hinc in malam crucem.
Hem tibi etiam, quia postremus cedis, hoc præmi feres.
Nimis autem bene ora commentavi, atque ex mea sententia.
Edepol, here, næ tibi subpetias tempore adveni modo.
MEN. At tibi di semper, adulescens, quisquis es, faciant bene.
Nam absque ted esset, hodie nunquam ad solem obcasum viverem.
MESS. Ergo, edepol, si recte facias, here, me mittas manu.
MEN. Liberem ego te ? MESS. Verum, quandoquidem, here, te servavi. MEN. Quid est?
Adulescens, erras. MESS. Quid erro ? MEN. Per Jovem adjuro patrem,
Me herum tuum non esse. MESS. Non taces? MEN. Non mentior.
Nec meus servos unquam tale fecit, quale tu mihi.
MESS. Sic sine igitur, si tuum negas me esse, abire liberum.

27. *Me... tactio 'st.* Conf. Amph. I, 3, 21. N.

28. *Pecte*, comice pro *multa*. Sic fere gallice *arrange-le bien*. N.

30. *Nimis*, valde. N.—*Bene ora commentavi*. Fortasse melius scriberetur una litera dempta, *ora conmetavi*. Qui metas ponebant et metabantur agrum, variis locis palos infigebant ad mensuras agendas; *conmetare* autem pro *conmetari*. SALM. — Si cui lectionem vulgatam tueri placeat, haud incommodam ex ea sententiam eruet, si *commutare* simpliciter accipiat pro deformare ora, vulneribus nempe. Neque certe aliud hic quærendum. BOXH. — Haud scio unde petiverit illam vulgatam lectionem *commutavi*. Omnes enim et scripti et editi *commentavi*, idque recte explicat Gruterus : ut Pseud. I, 5 : « Stilis ulmeis conscribere » : ut Catullus : « Ne laneum latusculum natesque mollicellas Inusta tibi turpiter flagella conscribillent ». GRON.

33. *Nam absque*. Conf. Capt. III, 5, 96. *Obcasum*, occidentem. N.

35. *Verum*. Ita res est; gallice *oui*; cf. Asin. IV, 1, 45. N.

37. *Non taces?* I. q. *tace*. N.

39. *Sic sine igitur*. Quindecim versus sequentes varie transpositi sunt in MSS. CAMER.

MEN. Mea quidem, hercle, causa liber esto, atque ito quo voles.
MESS. Nempe jubes? MEN. Jubeo, hercle, si quid inperi est in te mihi.
MESS. Salve, mi patrone. SERV. ALIUS. Quom tu liber es, Messenio,
Gaudeo. MESS. Credo, hercle, vobis : sed, patrone, te obsecro,
Ne minus inperes mihi, quam quom tuus servos fui.
Apud te habitabo, et quando ibis, una tecum ibo domum.
MEN. Minume. MESS. Nunc ibo in tabernam; vasa et argentum tibi
Referam : recte est obsignatum in vidulo marsupium
Cum viatico, id tibi jam huc adferam. MEN. Adfer strenue.
MESS. Salvom tibi item ut mihi dedisti, redhibebo : heic me mane.
MEN. Nimia mira mihi quidem hodie exorta miris modis.
Alii me negant eum esse qui sum, atque excludunt foras.
Etiam hic servom esse se meum aibat, quem ego emisi manu.
Is ait se mihi adlaturum cum argento marsupium;
Id si adtulerit, dicam ut a me abeat liber quo volet,
Ne tum, quando sanus factus sit, a me argentum petat.
Socer et medicus me insanire dicebant : quid sit, mira sunt.
Hæc nihilo mihi esse videntur secius, quam somnia.

40. *Mea causa*, quantum ad me attinet, pro mea parte. N.

45. *Domum*, in patriam, si quidem cum hero, Menæchmo peregrinante confabulari se credit. N.

48. *Adfer strenue*. Duplex jocandi genus, inquit Cicero. Unum illiberale, petulans, etc. Hujus, opinor, generis hæc est Menæchmi furacitas. N.

50. *Nimia mira*, valde mira. Cf. Amph. V, 1, 5, 53. N.

56. *Mira sunt*, plural. numerus pro singul. solenne est. Cf. Bacch. III, 3, 46. N.

57. *Secius quam somnia*. Hunc locum Varro olim in Plautinis Quæstionibus sic explicavit : « Nihilo magis narranda esse, quam si ea essent somnia ». Gloss. *secus*, *aliter*, unde *secius*. BOXHORN. — Varro scribebat *sectius*, ab *secere*, unde *sectiones*, narrationes. Vide Gellium, XVIII, 9. N.

Nunc ibo intro ad hanc meretricem: quamquam subcenset mihi,
Si possum exorare ut pallam reddat, quam referam domum. (abit.)

SCENA OCTAVA.

MENÆCHMUS SOSICLES, MESSENIO.

MEN. Men' hodie usquam convenisse te, audax, audes dicere,
Postquam advorsum mihi inperavi, ut huc venires? MESS. Quin modo
Eripui, homines qui te ferebant sublimem quatuor,
Apud hasce ædeis; tu clamabas deum fidem atque hominum omnium,
Quom ego adcurro, teque eripio, vi pugnando, ingratiis.
Ob eam rem, qui te servavi, me amisisti liberum.
Quom argentum dixi me petere et vasa, tu, quantum pote'st,
Præcucurristi obviam, ut quæ fecisti, infitias eas.
MEN. Liberum ego te jussi abire? MESS. Certo. MEN. Quoi certissumum 'st,
Mepte potius fieri servom, quam te unquam emittam manu?

SCENA NONA.

MENÆCHMUS SUBREPTUS, MESSENIO, MENÆCHMUS SOSICLES.

MEN. SUBR. Si voltis per oculos jurare, nihilo, hercle, ea causa magis

2. *Postquam*, ex quo. N.

3. *Homines* hellenismus. Trahit hunc casum oratio sequens « qui te, etc. » N.

5. *Ingratiis*, frustra renitentibus viris. N.

7. *Me petere*, etc. Vid. sc. supra vs. 46. *Quantum pot.* cf. Asin. III, 3, 17. N.

10. *Mepte*, me ipsum.

1. *Si voltis per oculos*. Etsi per oculos velitis jurare, nihilo magis

Facietis, ut ego hodie abstulerim pallam et spinther, pessumæ.
MESS. Pro dî inmortaleis, quid ego video? MEN. SOS. Quid vides? MESS. Speculum tuum.
MEN. SOS. Quid negoti 'st? MESS. Tua 'st imago: tam consimili'st quam pote'st.
MEN. SOS. Pol, profecto, haud est dissimilis, meam quom formam gnoscito.
MEN. SUBR. O adulescens, salve, qui me servavisti, quisquis es.
MESS. Adulescens, quæso, hercle, loquere tuom mihi nomen, ni piget.
MEN. SUBR. Non, edepol, ita promeruisti de me, ut pigeat quæ velis.
Est mihi Menæchmus nomen. MEN. SOS. Imo, edepol, mihi.
MEN. SUBR. Siculus sum Syracusanus. MEN. SOS. Ea domus et patria 'st mihi.
MEN. SUBR. Quid ego ex te audio? MEN. SOS. Hoc quod res est. MESS. Gnovi equidem hunc, herus est meus.
Ego quidem hujus servos sum, sed me esse hujus credidi.
Ego hunc censebam esse te, huic etiam exhibui negotium.
Quæso ingnoscas, si quid stulte dixi, atque inprudens tibi.
MEN. SOS. Delirare mihi videre, non conmeministi simul
Te hodie mecum exire e navi? MESS. Enimvero æquom postulas.

tamen efficietis, ut ego pallam et spinther abstulerim. Alloquitur Erotium et ejus ancillam. Et hic incipit ἀναγνωρισμός. LAMB.

5. *Gnoscito.* Specto ut agnoscam. Cf. Bacch. V, 2, 76. N.

13. *Ego hunc censebam esse te.* Ego hunc, qui herus meus non est, putabam esse te, qui herus meus es. Sed attendat lector, usque adhuc errare Messenionem, et eum putare esse herum suum, qui non est: eum, qui est, non putare. LAMB. — *Exhibui negotium*, molestiam, curas objeci. Hellenismus πράγματα παρέχειν. N.

15. *Delirare mihi videre.* Nunc errans Messenio in viam rectam ab hero revocatur, qui sic servum reprehendit. Desipere mihi videris Messenio, qui te servum meum esse neges, hujus esse dicas: an non meministi, te una mecum hodie e navi exire? LAMB.

Tu herus es : tu servom quære : salveto tu : tu vale.
Hunc ego esse aio Menæchmum. MEN. SUBR. At ego me. MEN. SOS. Quæ hæc fabula'st?
Tu es Menæchmus? MEN. SUBR. Me esse dico, Moscho prognatum patre.
MEN. SOS. Tun' meo patre es prognatus? MEN. SUBR. Imo equidem, adulescens, meo.
Tuom tibi neque obcupare, neque præripere postulo.
MESS. Dî inmortaleis, spem insperatam date mihi, quam subspicor.
Nam nisi me animus fallit, hi sunt gemini germani duo:
Nam et patriam et patrem conmemorant pariter, qui fuerint sibi.
Sevocabo herum. Menæchme. MEN. AMBO. Quid vis? MESS. Non ambos volo.
Sed uter vostrum est advectus mecum navi? MEN. SUBR. Non ego.
MEN. SOS. At ego. MESS. Te volo igitur : huc concede. MEN. SOS. Concessi, quid est?
MESS. Illic homo aut sycophanta, aut geminus est frater tuus.
Nam ego hominem homini similiorem nunquam vidi alterum.
Neque aqua aquæ, neque lacte est lacti, crede mihi, usquam similius,
Quam hic tui est, tuque hujus : postea autem eamdem patriam ac patrem
Memorat : meliu'st nos adire, atque hunc percontarier.

18. *Fabula*, sermo.

24. *Nam et patriam et p.* Vulgatæ, « Nam et matrem et patrem, etc. » Perperam. Nulla enim facta est mentio matris : infra primum quæritur, et nominatur : et firmat hanc lectionem, quod servus idem statim repetit : « postea autem eamdem patriam ac patrem Memorat ». LIPS.

30. *Neque lacte est lacti.* Conf. Amph. II, 1, 54. N.

MEN. SOS. Hercle, quin tu me admonuisti recte; et habeo gratiam.
Perge operam dare, obsecro, hercle, liber esto, si invenis
Hunc meum fratrem esse. MESS. Spero. MEN. SOS. Et ego idem spero fore.
MESS. Quid ais tu? Menæchmum, opinor, te vocari dixeras.
MEN. SUBR. Ita vero. MESS. Huic item Menæchmo nomen est. In Sicilia
Te Syracusis gnatum esse dixisti; hic gnatus est ibi.
Moschum tibi patrem fuisse dixisti; huic itidem fuit.
Nunc operam potestis ambo mihi dare et vobis simul.
MEN. SUB. Promeruisti, ut ne quid ores, quod velis, quin inpetres.
Tamquam si emeris me argento, liber servibo tibi.
MESS. Spes mihi est, vos inventuros fratres germanos duos
Geminos, una matre gnatos, et patre uno uno die.
MEN. SUBR. Mira memoras: utinam eficere, quod pollicitus, possies!
MESS. Possum; sed nunc coite: uterque id, quod rogabo, dicite.
MEN. SUBR. Ubi lubet, roga; respondebo, nihil reticebo, quod sciam.
MESS. Est tibi nomen Menæchmo? MEN. SUBR. Fateor. MESS. Est itidem tibi?
MEN. SOS. Est. MESS. Patrem fuisse Moschum tibi ais? MEN. SUBR. Ita vero. MEN. SOS. Et mihi.
MESS. Esne tu Syracusanus? MEN. SUBR. Certo. MESS. Quid tu? MEN. SOS. Quippini?
MESS. Optume usque adhuc conveniunt signa; porro operam date.

35. *Spero.* Conf. Asin. III, 3, 109. N.

36. *Quid ais tu?* Cf. Aulul. IV, 9, 7. N.

40. *Operam dare.* Cf. Curcul. II, 2, 9. N.

50. *Quid tu?* Num tu. *Quippini?* cf. Bacch. IV, 8, 41. N.

Quid longissume meministi, dic mihi, in patria tua?
MEN. SUBR. Cum patre ut abii Tarentum ad mercatum, tum postea
Inter homines me deerrare a patre, atque inde avehi.
MEN. SOS. Jupiter supreme, serva me. MESS. Quid clamas? quin taces?
Quot eras annos gnatus, quom te pater a patria avehit?
MEN. SUBR. Septuennis : nam tum denteis mihi cadebant primulum.
Neque patrem unquam postilla vidi. MESS. Quid? vostrum patri
Filii quot eratis? MEN. SUBR. Ut nunc maxume memini, duo.
MESS. Uter eratis, tun' an ille major? MEN. SUBR. Æque ambo pares.
MESS. Quî id potest? MEN. SUBR. Gemini ambo eramus. MEN. SOS. Dî me servatum volunt.
MESS. Si interpellas, ego tacebo. MEN. SOS. Potius taceo. MESS. Dic mihi,
Uno nomine ambo eratis? MEN. SUBR. Minume: nam mihi hoc erat,
Quod nunc est, Menæchmus; illum tum vocabant Sosiclem.
MEN. SOS. Signa agnovi; contineri, quin conplectar, non queo.
Mi germane, gemine frater, salve, ego sum Sosicles.
MEN. SUBR. Quomodo igitur post Menæchmo nomen est factum tibi?
MEN. SOS. Postquam ad nos renunciatum 'st, te et patrem esse mortuum,

58. *Vostrum patri filii quot eratis? Vostrum* gen. divisionis : et hic explicandus : Ex vobis, quot eratis filii patri, sc. vestro? LAMB. — Lege : *vos tum*. SCAL.

68. *Te et patrem esse mortuum*. Si hoc verum sit, comœdia tota probetur vana. Nam cur tantopere fratrem quæreret, si rumor *mortuum* potius quam *surreptum* attu-

Avos noster mutavit; quod tibi nomen est, fecit mihi.
MEN. SUBR. Credo ita esse factum, ut dicis: sed mihi hoc responde. MEN. SOS. Roga.
MEN. SUB. Quid erat nomen nostræ matri? MEN. SOS. Theusimarche. MEN. SUBR. Convenit.
O salve, insperate, multis annis post quem conspicor,
Frater. MEN. SOS. Et tu, quem ego multis miseris laboribus,
Usque adhuc quæsivi, quemque ego esse inventum gaudeo.
MESS. Hoc erat, quod hæc te meretrix hujus vocabat nomine.
Hunc censebat te esse, credo, quom vocat te ad prandium.
MEN. SUBR. Namque, edepol, heic mihi hodie jussi prandium adpararier,
Clam meam uxorem, quoi pallam subripui dudum domo.
Eam dedi huic. MEN. SOS. Hancne dicis, frater, pallam, quam ego habeo?
MEN. SUBR. Quomodo hæc ad te pervenit? MEN. SOS. Meretrix huc ad prandium
Me abduxit; me sibi dedisse aibat: prandi perbene,
Potavi, atque adcubui scortum; pallam, et aurum hoc mi dedit.
MEN. SUBR. Gaudeo, edepol, si quid propter me tibi evenit boni.
Nam illa quom te ad se vocabat, me esse credidit.
MESS. Numquid me morare, quin ego liber, ut jussisti, eam?
MEN. SUBR. Optumum atque æquissumum orat, frater: fac causa mea.

lisset? Imo prologo clare dicitur: parentem esse emortuum, puerum vero subductum. Quare scribendum: « Postquam ad nos renuntiatum est de te, et patrem esse emortuum ». Is. Pont.

69. *Quod.* Amph. I, 1, 208. N.

73. *Frater.* M. SO. *Et tu.* Si repetitum interponeretur verbum *Salve*, esset et oratio perfectior, et numeri pleniores; qui absque hoc διαιρέσει sunt explicandi. Cam.

77. *Heic mihi*, etc. His quæ nunc nullo pudore Sosicles enarrat, discis qui Veterum mos fuerit. N.

86. *Causa mea.* Aulul. I, 2, 7.

MEN. SOS. Liber esto. MEN. SUBR. Quom tu es liber, gaudeo, Messenio.

MESS. Sed meliore est opus auspicio, liber perpetuo ut siem.

MEN. SOS. Quoniam hæc evenerunt, frater, nostra ex sententia,

In patriam redeamus ambo. MEN. SUBR. Frater faciam ut tu voles.

Auctionem heic faciam, et vendam quidquid est. Nunc interim

Eamus intro, frater. MEN. SOS. Fiat. MESS. Scitin' quid ego vos rogo?

MEN. SUBR. Quid? MESS. Mihi ut præconium detis. MEN. SUBR. Dabitur. MESS. Ergo nunc jam

Vis conclamari auctionem fore? quo die? MEN. SUBR. Die septimi.

MESS. Auctio fiet Menæchmi mane sane septimi.

Venibunt servi, subpellex, fundi, ædeis; omnia

Venibunt, quîquî licebunt, præsenti pecunia.

Venibit uxor quoque etiam, si quis emtor venerit.

88. *Sed meliore*, etc. Certo certius est, Messenionem alludere ad id, quod supra quoque a putativo suo domino Menæchmo surrepto liber esse jussus fuerat, et tamen postea a vero hero in servitutem retrahebatur. Ait igitur opus sibi esse meliore auspicio, quam paullo ante, quum etiam liber fiebat, sed non diu. PIST. — Valde suspicor hic unum vel plures versus incuria librariorum excidisse, quibus Sosicles servum fieri liberum jubebat, antequam fratrem alloquebatur. N.

93. *Mihi ut præconium detis.* Ut me in hac auctione præconis munere fungi sinatis. TAUBM.

94. *Die septimi.* Gellius Noct. Att. X, 24: « die quinte et die quinti, et quarti, et noni pro adverbio copulate dictum est, et secunda in eo syllaba correpta. Pleraque omnis vetustas sic locuta est ». N.

97. *Quîquî licebant.* Quoquo (pretio) venibunt in auctione. N.

98. *Venibit uxor.* Ludit, opinor, in ancipiti et personæ comicæ et histrionis. Siquidem histrio, qui uxoris partes egit, ipse servus prostabit venalis, jubente domino. Haud absimili modo Mercurius et Jupiter de sua histrionia jocati sunt Amph. prol. 26-31, III, 1. 14. Alludit quoque ad malitiam muliebrem, quæ emptorem possit de-

Vix, credo, tota auctione capiet quinquagesies.
Nunc, spectatores, valete, et nobis clare adplaudite.

terrere; ea est poetæ protervitas. N.

99. *Vix, credo, tota auctione*, etc. Menæchmus vix, ut credo, ex omnibus bonis auctione venditis, rediget sestertium quinquagies centum millia, id est, circiter novies centum millia francorum. LAMB.—Ridicule ingentem summam commentus est, quo magis e contrario paupertas histrionis argueretur. Namque nunc Menæchmus, jam posita persona, servus erit. Et servuli suppellex, fundi, ædes certe minus quinquagesies veneant, qui, ut ait Jupiter Amph. III, 1, summa cœnacula habitat. N.



M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

MERCATOR

DRAMATIS PERSONAE.

CHARINUS, adolescens.
ACANTHIO, servus Charini.
DEMIPHO, senex, pater ejusdem.
LYSIMACHUS, senex, amicus Demiphonis.
LORARII.
EUTYCHUS, adolescens, Charini amicus.
PASICOMPSA, meretrix.
DORIPPA, uxor Lysimachi.
SYRA, anus, serva Dorippæ.
COQUUS.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*M*ISSUS mercatum ab suo adulescens patre
*E*mit atque adportat scita forma mulierem.
*R*equirit quæ sit, postquam eam vidit, senex.
*C*onfingit servos emtam matri pedisequam.
*A*mat senex hanc. Ad se simulans vendere,
*T*radit vicino: eum putat uxor illius
*O*bduxe sibi scortum: tum Charinum ex fuga
*R*etrahit sodalis, postquam amicam invenerat.

5. *Ad se simulans.* Recte vidit Camerarius dictum pro *se adsimulans:* ut I, 2, 39: « Vin' tu te mihi ob esse sequentem »; quod est, esse obsequentem. Truculento, I, 2: « Ad fores auscultato, atque serva has ædis ». GRON. — Bipont. ed. « ac se sim. » N.

ARGUMENTUM.

Mercatum a se dum filium extrudit pater.
Is peregre unius redimit ancillam hospitis
Amore captus : ut venit, navi exsilit.
Pater advolat, visam ancillam deperit.
Quojus sit, percontatur : servos, pedisequam
Ab adulescente matri emtam ipsius.
Senex sibi prospiciens, ut amico suo
Væniret, gnatum orabat, gnatus, ut suo.
Hic filium subdiderat vicini ; pater
Vicinum : præmercatur ancillam senex.
Eam domi deprehensam conjunx illius
Vicini scortum insimulat : protelat virum.
Mercator exspes patria fugere destinat :
Prohibetur a sodale, qui patrem illius
Orat suo cum patre, gnato ut cederet.

9. *Subdiderat*, subornarat.

12. *Protelat virum. Protelare aliquem*, longe propellere explicat Festus : ex græco videlicet τῆλε, quod significat longe. Terent. Phorm. « Ne te iratus suis sævidicis dictis protelet ». Turpil. Lemniis : « Propter peccatum pauxillulum indignissime patria protelatum esse sævitia patris ». Sisenna Histor. III : « Romanos impetu suo protelant, protelatos persequuntur ». Idem lib. IV : « Duæ cohortes de subsidio procedunt, atque equites protelant ». Dictum a *protelo*, quod Gloss. explicat ζεύγλαμπρον, vel, ἕξαμπρον, quasi ζεύγλη ἀμπόρευμα, vel ἀμπρόν : et significat lorum vel funem per juga tentum, quo boves religantur ad onera trahenda : aut est lignum, quod eorum cervicibus imponitur. Sic explicant glossaria : sed existimant potius docti, *protelum* nihil aliud esse, quam tenorem in ducendo quemdam, tractumque longum et continuatum. Gron.*

ALIUD ARGUMENTUM
CAMERARII.

Argumentum hujus fabulæ futile et flagitiosum est. Quemadmodum autem prodest, venena nota esse, ut respuantur; ita talia dum legimus, exsecrari debemus. Sed neque venena nulli prorsus usui sunt; et hæc ad turpitudinem fugiendam et convertendos animos ad timorem Dei adsumi possunt. Producitur senex immitis, et tamen dissolutus; itemque alter levis atque iners. Hic iniquior in filium juveniliter peccantem sævis dictis illum in mercatum abigit. Qui reversus ancillulam adduxerat, quam animi causa sibi paraverat. Hanc visam amare senex cœpit, et amatam præripit astute filio, allegato sene amico, qui illam præmercaretur. Nam et suum sodalem adolescens subornarat, ut illam emeret. Postea adducta muliere in ædes senis vicini, et conductis cocis ad cœnam coquendam, advenit illius senis uxor, et turbas movet; et tandem res per adolescentes componitur.



M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

MERCATOR.

ACTUS PRIMUS.

PROLOGUS.

SCENA PRIMA.

CHARINUS.

Duas res simul nunc agere decretum 'st mihi,
Et argumentum et meos amores eloquar.
Non ego idem facio, ut alios in comœdiis
Vidi facere amatores, qui aut nocti, aut die,
Aut soli, aut lunæ miserias narrant suas.
Quos, pol, ego credo humanas querimonias
Non tanti facere, quid velint, quid non velint.
Vobis narrabo potius meas nunc miserias.

2. *Arg.* prologi partes fungetur.

4. *Qui aut nocti, aut die.* Ut nutrix Medeæ, apud Euripidem, et Electra, apud Sophoclem. Tale est illud in Theogneti comici Phasmate, apud Athen. γῇ καὶ οὐρανῷ λαλεῖν, *frustra verba facere*, etc. Vict. — *Die*, pro *diei*. Cf. Amph. I, 1, 1, 120; 3, 47. N.

7. *Non tanti*, id est, parvi. — *Quid velint, quid non velint.* Hac sententia longe dissimilis illa quæ prologo Rudentis enarratur, profecto melior. N.

Græce hæc vocatur Emporos Philemonis,
Eadem latine Mercator Marci Accii.
Pater ad mercatum hic me meus misit Rhodum.
Biennium jam factum'st, postquam abii domo.
Ibi amare obcœpi forma eximia mulierem.
Sed, ea ut sim inplicitus, dicam, si opera'st auribus,
Atque ad advortundum huc animum adest benignitas.
Et hoc parum etiam more majorum instituti:
Prius, ac percontatus sum vos, sumsi indicium inlico.
Nam amorem hæc cuncta vitia sectari solent,
Cura, ægritudo, nimiaque elegantia:
Hæc non illum modo qui amat, sed quemque adtigit,

10. *Accii.* Hic versus et prior videntur Osauno (Analect. Critic. poesis rom. scenicæ reliquias illustrantib. p. 173-5) omnino spurii, quos aliena manus non ante Augusti ætatem interpolaverit; siquidem hanc genitivi terminationem tum demum usurpatam fuisse, quæ prius *i* proferebatur, docti viri multis exemplis evincant. Hoc quoque addam, quod Plaut. vs. 9, *barbare*, Asin. prologo, non *latine* scripsit. N.

11. *Hic.* Cf. Cistell. I, 2, 14. N.

14. *Si opera'st auribus.* Si opera mihi suppetit ab auribus vestris, si me auditis. Cf. Curcul. II, 2, 9. N.

16. *Et hoc parum*, etc. Dixerat se facturum secus atque in aliis fiat comœdiis. Huc respicit τὸ *Et hoc.* Præter illud prius, hoc quoque novum faciam, nec ut alii amatores. Si pro *etiam* placeat *ecce*, licet: nam in utroque MSS *esse*, ut et in membranis Academiæ nostræ: quo codice nunc demum incipio uti. Deinde scripius alter: « per me percontatus sumque inde exsilio ». Forte: « per me prooemiatus sum inde ab initio ». Non enim ipsam primariam personam amores suos narrantem in prima fabula inducere solent comici, sed alium quemcumque, qui prologum faciat. *Prooemiari* et apud Plinium minorem est. *Inde ab initio* ut alibi, *inde a principio*. Ps. IV, 2. Gron.

17. *Prius, ac percontatus sum vos*, nondum silentio per præconem facto, et quæsita a consessu venia. Cf. Asin. prol. N.

19. *Elegantia.* A. Gell. XI, 2: « Elegans homo non dicebatur cum laude; sed id fere verbum ad ætatem M. Catonis vitii, non laudis, fuit. . . in libro Catonis qui inscriptus est carmen de moribus... verba hæc sunt: *Avaritiam omnia vitia habere putabant; sumtuosus, cupidus, elegans, vitiosus, irritus qui habebatur, is laudabatur.* Ex quibus verbis apparet elegantem dictum antiquitus, non ob ingenii elegantiam, sed qui nimis lecto amœnoque cultu victuque esset ». N.

20. *Quemque*, quemcumque. Captiv. IV, 2, 17. Tum Cato munditiis Græcorum captos Romanos querebatur. N.

Magno atque solido multat infortunio.
Nec, pol, profecto quisquam sine grandi malo,
Præquam res patitur, studuit elegantiæ.
Sed amori adcedunt etiam hæc, quæ dixi minus,
Insomnia, ærumna, error, terror, et fuga,
Ineptia, stultitiaque adeo, et temeritas,
Incogitantia, excors inmodestia,
Petulantia, cupiditas et malevolentia;
Inhæret etiam aviditas, desidia, injuria,
Inopia, contumelia, et dispendium,
Multiloquium, pauciloquium: hoc ideo fit, quia
Quæ nihil adtingunt ad rem, nec sunt usui, hæc
Amator profert sæpe advorso tempore.
Hoc pauciloquium rursum idcirco prædico,
Quia nullus unquam amator adeo 'st callide
Facundus, quæ in rem sint suam, ut possit loqui.
Nunc vos mihi irasci ob multiloquium non decet;
Eodem quo amorem Venus mihi hoc legavit die.
Illuc revorti certum, ut conata eloquar.
Principio atque animus ephebis ætate exiit,
Atque animus studio amotus puerili 'st meus,
Amare valide cœpi heic meretricem: inlico
Res exulatum ad illam abibat clam patris.

21. *Magno atque solido multat infortunio.* Sic in fabulis Milesiis de Asino aureo: « Paveo et formido solide », hoc est, vehementer, admodum. Terent. Andr. act. IV, sc. 1, *gaudium solidum*, id est, magnum et integrum. J. Guil.

23. *Res*, id est, census. Douza.

25. *Insomnia.* Capio pro visis nocturnis, ut Græcis sunt ἐνύπνια: quibus amantes terreantur. Passer. — Ἀγρυπνία est quoque amantum.

31. *Hoc ideo fit, quia*, etc. Nota moris romani ingenium. Dignitas ex censu; igitur rem suam augere summa laus. Vir frugi laudatur. Rei suæ non parcere, probrum. Vide Trin. II, 1, 34-37. N.

32. *Adtingunt*, id est, attinent. Gron.

38. *Eodem quo amorem*, etc. Venus eodem die me fecit multiloquum, quo amatorem. Camer.

40. *Principio atque*, statim ac. N.

43. *Patris.* Junge hoc cum nomine *res*. Vide vs. 48. N.

Leno inportunus, dominus ejus mulieris,
Vi summa quidque ut poterat, rapiebat domum.
Objurgare pater hæc me nocteis et dies,
Perfidiam, injustitiam lenonum expromere;
Lacerari valide suam rem, illius augerier.
Summo hæc clamore: interdum mussans conloqui,
Abnuere: negitare adeo me gnatum suum:
Conclamitare tota urbe et prædicere,
Omneis tenerent mutuitanti credere.
Amorem multos inlexe in dispendium.
Intemperantem, non modestum, injurium,
Trahere, exhaurire me quod quirem ab se domo.
Rationem pessumam esse; ea, quæ ipsus optuma
Omneis labores invenisset perferens,
Amoris vi disfunditari ac deteri.

44. *Leno inportunus.* Aptum lenoni epitheton. *Importunus* enim est qui alios quiescere non sinit. Isidorus: « Importunus, inquietus: quia non habet portum, id est, quietem ». Ern.

46. *Objurgare pater*, etc. Eadem objurgatio patris apud Ter. Heaut. I, 1, 49-60. N.

47. *Injustitiam*, omnis juris contemptum. — *Expromere.* Post hunc versum restituendus in locum suum, qui vulgo est 53: « Amorem multos illexe in dispendium ». P. Scriv.

49. *Interdum mussans.* Submissa voce loqui secum, caput movere ut qui deneget. N.

52. *Tenerent*, abstinerent. Simplex pro composito sæpissime. Horat. Od. V, 10, 8: « tu vina Torquato move (admove), Consule pressa meo. Cætera mitte (omitte) loqui ». Amph. I, 3, 2: « menses tibi actos (exactos) vides ». Sic *ire* pro *abire*, *venire*. Bacch. V, 2, 62; Asin. II, 4, 79. — *Mutuitanti.* Cf. Curcul. IV, 4, 12. N.

53. *Dispendium.* « Dispendium quod in dispendendo solet minus fieri ». Varro. Ern.

56. *Rationem pessumam esse*, nempe filii sic agentis. Ut apud Terent. « Nequeo satis mirari vestram rationem ». Male vero quidam: *ipsius optima:* quasi intelligat lenonis commoda. Sed neque *optima* substantive accipiendum, ut *bona*, quum opes significantur, quasi *optima* sint luculentissimæ opes. Hæc explicatio pessima est: et tamen Lambino subducta, apud quem legis: *ea optima*, hoc est, ea bona, quæ ipse perferens, etc. Quanto melius Taubmanus: *Optima* scil. ratione: *quæ* ipse *optima ratione invenisset.* Sic apud Plinium est de Metello: « magnam pecuniam bono modo invenire ». Gronov.

58. *Disfunditari ac deteri.* Camerar. alter, *ac dicheret*; alter, *diedere.*

Convicium tot me annos jam se pascere,
Quod nisi puderet, ne luberet vivere.
Sese extemplo ex ephebis postquam excesserit,
Non, ut ego, amori, neque desidiæ in otio
Operam dedisse, neque potestatem sibi
Fuisse; adeo arcte cohibitum esse se a patre:
Multo opere inmundo rustico se exercitum:
Neque nisi quinto anno quoque posse invisere
Urbem, atque extemplo inde, ut spectavisset peplum,
Rus rursum confestim exigi solitum a patre.
Ibi multo primum se familiarium
Laboravisse, quom hæc pater sibi diceret:
Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis:

Acad. et priscæ edit. *ac dedere*. Leg. « Amoris vi diffunditari ac didier », id est, dissipari. Vetus poeta apud Ciceronem : « dide te ac disjice ». GRONOV.

59. *Convicium tot me annos jam se pascere, Quod*, etc. Dicit adolescens, etiam hoc sibi a patre per contumeliam indigne objectum, se *convicium*, id est, opprobramentum et ipsi et generi suo vivere, ac sine spe bonæ frugis, fruges paternas inutiliter depascere; cujus, nisi pudere mature occipiat, indignum esse adolescentem, qui vitam colat. DOUZA.

65. *Inmundo rustico se exercitum*. Sic malim quam diviso verbo, *in mundo*; ut juvenis, *immundum rusticum* sordes agrestium vocet. J. GUL.

67. *Ut spectavisset peplum*. Nam Panathenaicis magnis, quorum feriæ quinquennales erant (*Panathenæa* enim *parva* singulis annis celebrabantur); *peplus* seu *peplum* Athenis Minervæ consecrabatur, cui intexta erat Titanomachia et victoria Palladis de Encelado. Peplum Trojanæ mulieres ferunt, ut ea veste Minervæ simulacrum induant, et deam propitiam habeant. Magnis enim in periculis deorum fidem et opem implorantes, eos vestibus etiam ornabant; illo cultu favorem numinis emere se credentes. Strenuorum quoque ducum Athenis gesta in peplo intexta, templo Minervæ imposita fuere. Et Aristoteles librum suum, quem de heroum tumulis confecerat, *Peplum* ideo vocavit. Pepli autem oblatio in templo Minervæ et Homerica est, Iliad. Z. Lutatius Statii vetus et doctus interpres : « Peplum est vestis candida, aureis clavis picta, sine manicis, quod simulacris fiebat ». TURN. et SCALIG. — Servius ad Æneid. I, 480, hunc Plauti versum, innominata fabula, laudat : « Nunquam ad civitatem venio, nisi quom infertur peplum », h. e. peplum Minervæ. N.

69. *Multo primum*. Longe præcedentem familiares, servos ipsos, assiduitate laborandi. N.

70. *Quom hæc*, etc. Atque interea sic loquutum patrem. N.

Tibi denique iste pariet lætitiam labos.
Postquam recesset vita patrio corpore,
Agrum se vendidisse, atque ea pecunia
Navim, metretas quæ trecentas tolleret
Parasse, atque eapse merceis vectatum undique,
Adeo dum, quæ tum haberet, peperisset bona.
Me idem decere, si, ut deceret me, forem.
Ego me ubi invisum meo patri esse intellego,
Atque esse odio me quoi placere æquom fuit,
Amens amansque utut animum obfirmo meum,
Dico esse iturum me mercatum, si velit:
Amorem missum facere me, dum illi obsequar.
Agit mihi gratias, atque ingenium adlaudat meum.
Sed mea promissa non neglexit persequi.
Ædificat navim cercurum et merceis emit,
Parata navi, inponit; præterea mihi
Talentum argenti ipsus sua adnumerat manu;
Servom una mittit, qui olim a puero parvolo
Mihi pædagogus fuerat, quasi uti mihi foret
Custos: iisce confectis navim solvimus;

73. *Metretas.* Pondus *amphoræ* sive *dalii* sive *metretæ* vini, centum librarum est. *Amphora* aotem *Attica* romanam dimidio, id est, urna superat. Agricola.

76. *Atque eapse merceis vectatum undique.* Ingeoiose sic Scalig. emendat: paullo tamen propius ad antiquam scripluram ego: « Parasse, alque ea se in Persis vectalum undique »: el convenit aptissime seotentia. Solebant enim Attici cives in Persiam aut Asiam aut Ægyptum rei quæreodæ causa navigare; tum illic circomvehi et mercaloræ operam dare; donec onusti opibus, et quæstu magno facto, de redilu cogitareot. J. Gul. — *Atque eapse merces vectatum.* Hæc Scaligeri conjectura esl, quum legerelor: « atque ea semper eis veclalum ». A qoo parum abeuot scripli. Golielm. *ea se in Persis.* Acidalius: *ea semet sic.* Scio ot τὸ *vectatum* pro veclasse possit defendi. Malim tamen: « Parasse, alque isse merces vectatum ondique ». Ut *ire ultum*, sic *ire vectatum.* Gronov.

77. *Adeo dum*, et donec.

81. *Ut ut*, quo possum modo. N.

86. *Cercurum.* « Cercuros, oavis asiana prægrandis », ut docet Nonios: a Corcyra vel Cercyra insula, τὴν κέρκυρον, et τὴν πάρωνα Græci oavibus nomina fecerunt, ἀπὸ τῆς κερκύρας καὶ τῆς πάρου. Camer.

Rhodum venimus, ubi, quas merceis vexeram,
Omneis, ut volui, vendidi ex sententia;
Lucrum ingens facto, præterquam mihi meus pater
Dedit æstimatas merceis : ita peculium
Conficio grande. Sed, dum in portu illei ambulo,
Hospes me quidam agnovit, ad cœnam vocat.
Venio, decumbo, adceptus hilare atque ampliter.
Discubitum noctu ut imus, ecce ad me advenit
Mulier, qua mulier alia nulla'st polchrior:
Ea nocte mecum illa hospitis jussu fuit.
Vosmet videte, quam mihi valde placuerit!
Postridie hospitem adeo, oro ut vendat mihi.
Dico ejus pro meritis gratum me et munem fore.
Quid verbis opus est? emi, atque advexi heri.
Eam me advexisse nolo resciscat pater.
Modo eam reliqui ad portum in navi, et servolum.
Sed quid currentem servom a portu conspicor,
Quem navi abire vetui? Timeo quid siet.

SCENA SECUNDA.

ACANTHIO, CHARINUS.

AC. Ex summis opibus viribusque usque experire, nitere,
Herus ut minor opera tua servetur. Agedum, Acanthio,

93. *Ut volui*, idem quod ex sententia. N.

94. *Facto*, frequentativum a *facio*.

96. *Illei*, illic. N.

104. *Munem*. Id est, « consentientem ad ea, quæ amicus velit ». Nonius. Idem est, ac si dixisset : Pro meritis ejus me obligatum illi agnosco : nam immunibus rebus *res munes* contrariæ sunt. Festus, officiosum interpretatur, ἀρχαϊκῶς. RÆVARD. — Lucilius : « muuifici munesque videamur amicis ». N.

1. *Ex summis*, etc. Se ipsum et pedes suos ad cursuram hortans Acanthio ita loqnitur : « Ex summis opibus, etc. » id est, summo opere. Grammatici, qui *opem* significare tantum *auxilium*, *opes*, *divitias*, censent; Sallustio respondeant, et pereant. PALMER. — Cf. Menæchm. V, 6. N.

2. *Herus*. . . *minor*. Cf. Asin. II, 2, 63. N.

Abige abs te lassitudinem; cave pigritiæ prævorteris;
Simul autem plenissume eos, qui advorsum eunt, abspellito,
Detrude, deturba in viam. Hæc heic disciplina pessuma 'st:
Currenti, properanti haud quisquam dignum habet decedere. 6
Ita treis simitu res agendæ sunt, quando unam obcœperis:
Et currendum, et pugnandum, et autem jurgandum 'st in via.
CHAR. Quid illud est, quod ille tam expedite exquirit cursuram sibi?
Cura 'st, negoti quid sit, aut quid nunciet. AC. Nugas ago; 10
Quam maxume resisto, tam res in periculo vortitur.
CHAR. Mali nescio quid nunciat. AC. Genua hunc cursorem deserunt.
Perii! seditionem facit lien, obcupat præcordia.
Simul emicat subspiritus. Vix subfero, hercle, anhelitum.
Perii! animam nequeo vortere; nimis nihili tibicen siem!
CHAR. At tu, edepol, sume laciniam, atque absterge sudorem tibi. 16
AC. Nunquam, edepol, omneis balineæ mi hanc lassitudinem eximent.
Domin' an foris dicam esse herum Charinum? CHAR. Ego animi pendeo,

3. *Prævorteris.* Subjunctiv. perfect. a *prævortere.* Ne te pigritiæ, cæteris omissis, dedas. N.

4. *Plenissume.* Bene, cumulate. Plenissime toto corporis impetu. BOXH.

5. *Detrude, deturba.* Cf. Curcul. II, 3. N.

10. *Cura 'st* mihi; metuo. N.

12. *Hunc.* Cf. Bacch. IV, 4, 1.

13. *Lien obcupat præcordia.* Vide Casin. II, 6, 62. ERN.

14. *Emicat subspiritus.* Id est, crebræ istæ atque identidem repetitæ anheli pectoris reciprocationes (vitium asthmaticis peculiare), quominus respirem impediunt. DOUZA.

15. *Nihili tibicen;* quippe qui animam vertere, movere nequeam, qua vertente inflantur tibiæ variantque modulationes. N.

16. *At tu*, etc. Hæc non auditus Acanthioni. N.

18. *Dicam esse.* Cf. Asin. III, 2, 42. N.

Quid illud sit negoti : lubet scire ex hoc me, ut sim certior.

AC. At etiam adsto? at etiam cesso foribus facere hisce adsulas?

Aperite aliquis : ubi Charinus herus? domin' est, an foris?
Num quisquam adire ad ostium dignum arbitratur? CHAR. Ecce me,

Acanthio, quem quæris. AC. Nusquam 'st disciplina ignavior.

CHAR. Quæ te res malæ agitant? AC. Multæ, here, te atque me. CHAR. Quid est negoti?

AC. Periimus. CHAR. Principium inimicis dato. AC. At tibi sortito id obtigit.

CHAR. Loquere id negoti, quidquid est. AC. Placide; volo adquiescere.

Tua causa rupi ramices, jamdudum sputo sanguinem.

CHAR. Resinam ex melle Ægyptiam vorato, salvom feceris.

AC. At tu, edepol, calidam picem bibito, ægritudo abscesserit.

CHAR. Hominem ego iracundiorem, quam te, gnovi neminem.

20. *Foribus facere adsulas.* Vide notas Capt. IV, 2, 52.

21. *Aperite aliquis.* Cf. Men. IV, 2, 111. N.

23. *Ingnavior.* Scil. quam domi nostræ : ubi nemo familiarium pulsanti neque respondent, neque fores aperiunt. LAMB.

24. *Quæ te res.* Curcul. I, 1, 92.

25. *Principium inimicis dato.* Mos deprecandi scæva et infelicia solemnis veteribus. Terent. Heaut. « istud inimicis nostris siet ». ERN.

26. *Placide; volo adquiescere.* Ita interpungas. Neque enim hoc dicit servulus, velle se placide quiescere : sed jubet herum placide singula exquirere : sibi enim cursu defatigato quiete opus esse. *Placide*, id est, lente, cum mora, paullatim : cui e regione respondet, *propere*. Mil. « Propere hoc, non placide decet ». J. GULIELM.—Cf. Asin. II, 2, 60. N.

28. *Resinam ex melle. Resinam ex melle*, quam devorare Charinus Acanthioni suadet ludens, valet, *resinam cum melle* : μετὰ μέλιτος, ut loquitur Dioscor. Sic. Var. de Re Rust. 3 : « Pullis apponitur nasturtium ex aqua in vas ». Et Homer. Od. XIX : χῆνες πυρὸν ἔδουσιν ἐξ ὕδατος, « Anseres triticum ex aqua comedunt ». MERC.

AC. At ego maledicentiorem, quam te, gnovi neminem.
CHAR. Sin saluti quod tibi esse censeo, id consuadeo.
AC. Apage istiusmodi salutem, cum cruciatu quæ advenit.
CHAR. Dic mihi an boni quid usquam'st, quod quisquam uti possiet
Sine malo omni; aut ne laborem capias, quom illo uti voles?
AC. Nescio ego istæc : philosophari nunquam didici, neque scio.
Ego bonum, malum quo adcedit, mihi dari haud desidero.
CHAR. Cedo tuam mihi dexteram, agedum, Acanthio. AC. Hem, dabitur : tene.
CHAR. Vin'tu te mihi ob esse sequentem, an nevis? AC. Opera licet
Experiri, qui me rupi causa currendo tua,
Ut quæ scirem, scire actutum tibi liceret. CHAR. Liberum
Caput tibi faciam, paucos cis menseis. AC. Palpo percutis.
CHAR. Egon' ausim tibi usquam quidquam facinus falsum proloqui?
Quin jam priusquam sim elocutus, scis, si mentiri volo. AC. Ah,
Lassitudinem, hercle, verba tua mihi addunt, enicas.
CHAR. Siccine mihi obsequens es? AC. Quid vis faciam? CHAR. Tun'? id quod volo.
AC. Quid est igitur, quod vis? CHAR. Dicam. AC. Dice. CHAR. At enim placide volo.
AC. Dormienteis spectatores metuis ne e somno excites.
CHAR. Væ tibi. AC. Tibi equidem a portu adporto hoc. CHAR. Quid fers? dic mihi.

32. *Sin*, at si. N.

35. *Aut ne lab. cap.* Aut bonum ita comparatum a natura, ut sine labore illo uti possis. N.

39. *Ob esse sequentem.* Tmesis. Esse obsequentem. N.

42. *Palpo peroutis.* Vide notas Amph. I, 3, 9. N.

45. *Enicas.* Conf. Bacch. V, 2, 43. N.

49. *Adporto hoc*, scilicet « væ » infortunium. Cf. Asin. II, 2, 40. N.

AC. Vim, metum, cruciatum, curam, jurgiumque atque inopiam.

CHAR. Perii! tu quidem thesaurum huc mihi adportavisti mali.

Nullus sum. AC. Imo es.... CHAR. Scio jam, miserum dices. AC. Tu dixti, ego taceo.

CHAR. Quid istuc est mali? AC. Ne rogites : maxumum infortunium 'st.

CHAR. Obsecro, dissolve jam me; nimis diu animi pendeo.

AC. Placide, multa exquirere etiam prius volo, quam vapulem.

CH. Hercle, vero vapulabis, nisi jam loquere, aut hinc abis.

AC. Hoc, sis, vide, ut palpatur! nullus est, quando obcœpit, blandior.

CHAR. Obsecro, hercle, oroque, ut, istuc quid sit, actutum indices :

52. *Imo es.* Comice corrigit loquentem : nullus sum. Non recte dicis; es... Sequentia explicant. Cf. Asin. V, 2, 72. N.

55. *Quam vapulem.* Leg. *vapules :* dixerat Charinus : « Dissolve me : nimis diu animi pendeo ». Metaphora a servis aut aliis, qui in quæstione funibus torquentur, ducta : cui servus in eadem metaphora persistens subjicit : « imo nondum tempus est dissolvere : multa enim a te pendente adhuc exquirere volo, antequam vapules, hoc est, si verba spectes, antequam huic cruciatui, quo pendens distineris, etiam virgas addam : » vult autem; antequam malum, quod tibi dicturus sum, plene cognoscas ». Qui mutarunt in *vapulem*, putarunt servo minus convenire, ut hero hæc dicat : quum tamen tota hac scena admodum serviliter ipsi insultet. Et herus mox ipsi ex joculario verum malum interminatur, « hercle vero vapulabis, etc. » Quod si omnino, *vapulem*, retinendum est, active oportet accipias, quod mox adolescens invertit, et passive usurpat. Posset etiam dici, servum per locum alias Plauto usitatum, sermonis formam mutare, et quod de hero dicere inceperat, in sese flagitriba desinere. PIST. — *Quam vapulem.* Jocus est elegans παρὰ προσδοκίαν. Nihil enim tale exspectabant spectatores : sed, « quæ scire vis, enuntiem ». At ille, inquit, *quam vapulem*; quasi præsagiret malum nuntium de muliere visa ab sene, se expiaturum plagis ab adolescente hero acceptis, tanquam esset illius culpa, qui non satis custodisset. *Priusquam vapulem*, est, priusquam audias ex me, ob quæ vapulem. Vide Obs. IV, 13. GRON.

Quandoquidem mihi subplicandum servolo video meo.
AC. Tamdem indignus videor? CHAR. Imo dignus. AC. Equidem credidi.
CHAR. Obsecro, num navis periit? AC. Salva'st navis, ne time.
CHAR. Quid? Alia armamenta? AC. Salva et sana sunt. CHAR. Quin tu expedis,
Quid siet, quod me per urbem currens quærebas modo.
AC. Tu quidem ex ore orationem mihi eripis. CHAR. Tace. AC. Taceo.
Credo, si boni quid ad te nunciem, instes acriter,
Qui nunc, quom malum audiundum'st, flagitas me ut eloquar.
CHAR. Obsecro, hercle, te, istuc uti tu mihi malum facias palam.
AC. Eloquar, quandoquidem me oras : tuus pater..... CHAR. Quid meus pater?
AC. Tuam amicam. CHAR. Quid eam? AC. Vidit. CHAR. Vidit? væ misero mihi!
Hoc, quod te interrogo, responde. AC. Quin tu, si quid vis, roga.
CHAR. Quî potuit videre? AC. Oculis. CHAR. Quo pacto. AC. Hiantibus.
CHAR. I hinc dierectus : nugare in re capitali mea.
AC. Quî, malum, ego nugor, si tibi, quod me rogas, respondeo?
CHAR. Certen' vidit? AC. Tam, hercle, certe, quam ego te, ac tu me vides.

60. *Tamdem*, adeo, tantum. Cf. Asin. III, 3, 79, 107. N. — *Equidem credidi.* Me dignum credo esse, cui supplices. LAMB.

63. *Quin tu expedis.* Cf. Curcul. V, 2, 13. N.

64. *Orat. mihi erip.* non me sinis loqui. N.

72. *Dierectus.* Cf. Bacch. IV, 1, 7. N.

73. *Malum.* Cf. Amphitr. I, 1, 247. N.

CHAR. Ubi eam vidit? AC. Intus intra navim, uti prope adstitit,
Et cum ea confabulatu'st. CHAR. Perdidisti me, pater!
Eho tu, eho tu, quin cavisti ne eam videret, verbero?
Quin, sceleste, abstrudebas, ne eam conspiceret pater?
AC. Quia negotiosi eramus nos nostris negotiis:
Armamentis conplicandis et conponendis studuimus.
Dum hæc aguntur, lembo advehitur tuus pater pauxillulo:
Neque quisquam hominem conspicatu'st, donec in navi super.
CHAR. Nequidquam mare subterfugi sævis tempestatibus.
Equidem jam me censebam esse in terra atque in tuto loco:
Verum video me ad saxa ferri sævis fluctibus.
Loquere porro quid sit actum. AC. Postquam adspexit mulierem,
Rogitare obcœpit quoja esset. CHAR. Quid respondit? AC. Inlico
Obcucurri, atque interpello, matri te ancillam tuæ
Emisse illam. CHAR. Visu'st tibi credere id? AC. Etiam rogas?
Sed scelestus subigitare obcœpit. CHAR. Illamne, obsecro?
AC. Mirum, quin me subigitaret. CHAR. Edepol, cor miserum meum,
Quod guttatim contabescit, quasi in aquam indideris salem!
Perii! AC. Hem istuc unum verbum dixisti verissumum:

75. *Uti*, quum. N.

81. *Pauxillulo*, sensim. N.

82. *Conspicatu'st, donec in navi super.* Id est, in superiore navis parte. Nam qui in navis superiore parte est, is et super et in navi est. Solebant autem præpositiones interdum geminare : ut *in circum* pro *circumquaque* : *In super, in ante, ad ex, ad ultra, ab ante, in coram, in palam, ab usque, ex usque, in usque.* Revard. — Credo hellenismum præpositione sola usurpata pro verbo *sum* cum illa composito. N.

89. *Etiam rogas?* Roga. Cf. Asin. III, 6, 8. N.

90. *Subigitare.* Vide notas extrema Capt. Per lasciviam nequiter attrectare. Gron.

91. *Mirum, quin.* Cf. Aulul. I, 2, 7. N.

93. *Hem.* Cf. Capt. I, 2, 80. N.

Stultitia istæc est. CHAR. Quid faciam? credo, non credet pater,
Si illam matri meæ emisse dicam: post autem mihi
Scelus videtur, me parenti proloqui mendacium.
Neque ille credet, neque credibile'st forma eximia mulierem,
Eam me emisse ancillam matri. AC. Non taces, stultissume?
Credet, hercle: nam credebat jam mihi. CHAR. Metuo miser,
Ne patrem prehendat, ut sit gesta res, subspicio.
Hoc quod te rogo responde, quæso. AC. Quid rogas?
CHAR. Num esse amicam subspicari visus est? AC. Non visus est.
Quin, quidque ut dicebam, mihi credebat. CHAR. Verum ut tibi quidem
Visus est. AC. Non; sed credebat. CHAR. Væ mihi misero, nullus sum.
Sed quid ego heic in lamentando pereo, ad navim non eo?
Sequere. AC. Si istac ibis, conmodum obviam venies patri.
Posteaquam adspiciet te timidum esse atque exanimatum, inlico
Retinebit, rogitabit, unde illam emeris, quanti emeris;
Timidum tentabit te. CHAR. Quin hac ibo potius: jam censes patrem
Abiisse a portu? AC. Quin ea ego huc præcucurri gratia,
Ne te obprimeret inprudentem, atque electaret. CHAR. Optume.

94. *Stultitia istæc est.* Quod agis et dicis, stultum est. N.

98. *Stultissume.* Procacilas vernilis hæc fuit apud Veteres. N.

101. *Responde, quæso.* AC. *Quid.* Desperabundus adolescens quasi supplex fit servo. GRUT.

106. *Conmodum.* Cf. Casin. III, 4, 3. N.

111. *Electaret.* Valet « rogando et appellando blande eliceret, erogilaret ». Idem, quod alibi dixit, *exterebrare*, *expalpare*, *in quæstione exsculpere*. J. GUL.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

DEMIPHO.

Miris modis di ludos faciunt hominibus,
Mirisque exemplis somnia in somnis danunt.
Velut ego nocte hac, quæ præteriit, proxuma
In somnis egi satis, et fui homo exercitus.
Mercari visus mihi sum formosam capram.
Ei ne noceret, quam domi ante habui capram,
Neu discordarent, si ambo in uno essent loco,
Posterius quam mercatus fueram, visus sum
In custodiam eam simiæ concredere.
Ea simia adeo post haud multo ad me venit,
Male mihi precatur, et facit convicium:
Ait sese illius opera atque adventu capræ
Flagitium et damnum fecisse haud mediocriter.
Dicit capram, quam dederam servandam sibi,

2. *Exemplis*. Cf. Captiv. III, 5, 32. Insomuiis poetas sæpissime in explicandis fabulis usos pernotum est, Attium in Bruto, nostrum in Curculione. Longum vero quod mox Demipho enarrabit somnium Veteribus magis, quam nostræ ætati, placere debuit, quibus tanta olim de somniis sollicitudo. Et prava illiusmodi superstitione vel maximos viros non expertes Plutarchus in vita Sullæ testatur. N.

4. *Egi satis*. Inversum per μετάθεσιν, pro *sategi*. Cato: « Jam apud vallum nostri satis agebant ». Douz.

5. *Capram*. Hoc somnio senex fabulam quæ agetur nunc aliis tantum nominibus prænarrat. Quod quo facilius consequaris narratum, sciendum est, formosam capram esse Charini amicam, alteram, uxorem Demiphonis, simiam Lysimachum, hædum Charini amicum. N.

7. *Ei ne noceret* illa prior.

8. *P. quam*, postquam. Hoc subjice sequentibus: *visus sum*, etc.

13. *Flagitium*. Cf. Casin. III, 2, 19. N.

Suæ uxoris dotem ambadedisse : oppido
Mihi illud videri mirum, ut una illæc capra
Uxoris simiæ dotem ambadederit.
Instare factum simia; atque hoc denique
Respondet, ni properem illam ab sese abducere,
Ad me domum intro ad uxorem ducturum meam.
Atque oppido, hercle, bene velle illi visus sum,
Ast non habere quoi conmendarem capram,
Quo magis, quid facerem, cura cruciabar miser.
Interea ad me hœdus visu'st adgredirier,
Infit mi prædicare, sese ab simia
Capram abduxisse, et cœpit inridere me.
Ego enim lugere, atque illam abductam conqueri.
Hoc quam ad rem credam pertinere somnium,
Nequeo invenire : nisi capram illam subspicor
Jam me invenisse quæ sit, aut quid voluerit.
Ad portum hinc abii mane cum luci simul;
Postquam heic, quod volui, transegi, atque ego conspicor
Navem ex Rhodo, qua est heri advectus filius,
Conlubitum'st illud mi, nescio quî, visere;
Escendi in lembum, atque ad navim advehor, atque ego
Illam conspicio forma eximia mulierem,

17. *Uxoris simiæ*. Mulieris, quæ uxor simiæ erat. N. — *Dotem ambadederit*. Ludit in verbo *ambadedere*. Sonus in eo est vocis *ambo* : cui opponit *unum*. Et ait mirari se, quomodo una capra dotem ambadederit. Hoc ita nisi accipias, nihil in iis verbis salis est : quamquam et illud simul ridicule miratur, quomodo capra unica totam domum arrodere circumquaque potuerit. Acidal.

18. *Instare factum*. Ultro affirmare ita rem esse. N.

21. *Atque oppido, hercle*. Hunc versum præpono alteri : « Ast non hercle ». Causas enim sollicitudinis duas ponit Demipho, suam benevolentiam in capellam, et quod eam abstrudere nusquam posset. J. Gul. — *Bene velle illi*. Mihi videbar amare illam, sed nescire ubi collocarem tuto. N.

29. *Capram*. Quæ sit capra invenisse. N.

30. *Quid voluerit*, quid significet.

32. *Heic*, in portu. — *Atque*, statim. Bacch. II, 3, 45, et inf. 35.

Filius quam advexit meus matri ancillam suæ.
Quam ego postquam adspexi, non ita amo ut sani solent
Homines, sed eodem pacto ut insani solent.
Amavi, hercle, equidem ego olim in adulescentia;
Verum ad hoc exemplum nunquam, ut nunc insanio.
Unum quidem, hercle, jam scio, periisse me.
Vosmet videte cæterum quanti siem.
Nunc hoc profecto sic est: hæc illa 'st capra.
Sed simia illa atque hœdus timeo quid velint.
Sed conticescam: vicinum eccum, exit foras.

SCENA SECUNDA.

LYSIMACHUS, DEMIPHO, LORARII.

LYS. Profecto ego illunc hircum castrari volo,
Ruri qui nobis exhibet negotium.
DEM. Nec omen illud mi, nec auspicium placet.
Quasi hircum, metuo, ne uxor me castret mea,
Atque illius hic nunc simiæ parteis ferat.
LYS. I tu hinc ad villam, atque istos rastros villico
Pisto ipsi facito coram ut tradas in manum.
Uxori facito ut nuncies, negotium
Mihi esse in urbe, ne me exspectet: nam mihi
Treis hodie liteis judicandas dicito.

43. *Vosmet*, etc. Hæc ad spectatores. « Hoc scio, me periisse, nunc æstimare vestrum est quanti siem, nihiline, an quantivis pretii ». Hæc est admonitio ridentibus, ut exemplo castigentur. Vide gregis affabulationem, Bacchidibus. N.

44. *Hæc illa'st.* Illa capra est hæc mulier. N.

46. *Eccum.* Cf. Amph. prol. 120.

5. *Illius simiæ.* Vide scen. sup. vs. 9.—*Hic*, Lysimachus. Vulgatæ *hæc*, sensu perverso; vide l. c. v. 5, et quæ ad Asin. III, 3, 53, adnotavimus. N.

10. *Liteis judicandas.* Lites ut judicio disceptentur et peragantur curandæ sunt. Notandum, reo tribui, quod proprium est judicis. Pari ratione *condemnare adversarium* dicitur is, qui litem vincit, ac judicatum reum facit. SIB.—Hic mos Veterum patrocinandi clientibus. Cf. Men. IV, 2. N.

I, et hoc memento dicere. LOR. Numquid amplius?
LYS. Tantum 'st. DEM. Lysimache, salve. LYS. Euge, Demipho,
Salve : o quid agis? quid fit? DEM. Quod miserrumus.
LYS. Di melius faxint. DEM. Di hoc quidem faciunt. LYS. Quid est?
DEM. Dicam, si videam tibi esse operam aut otium.
LYS. Quamquam negotium 'st, si quid vis, Demipho,
Non sum obcupatus unquam amico operam dare.
DEM. Benignitatem tuam mi experto prædicas.
Quid tibi ego ætatis videor? LYS. Acheruntícus,
Senex, vetus, decrepitus. DEM. Pervorse vides.
Puer sum, Lysimache, septuennis. LYS. Sanun' es,
Qui puerum te esse dicas? DEM. Vera prædico.
LYS. Modo, hercle, in mentem venit, quid tu diceres :
Senex quom extemplo est, jam nec sentit, nec sapit,
Aiunt solere eum rursum repuerascere.
DEM. Imo bis tanto valeo, quam valui prius.
LYS. Bene, hercle, factum, et gaudeo. DEM. Imo si scias;
Oculis quoque etiam plus jam video, quam prius.
LYS. Bene 'st. DEM. Malam rem dico. LYS. Jam istuc non bonum 'st.
DEM. Sed ausimne ego tibi eloqui, si quid velim?

12. *Tantum 'st.* Hellenismus τοσοῦτον. Gallice, *c'est tout.* Cf. Trin. prol. ult. vers. N.

13. *Quid agis?* Cf. Aulul. I, 2, 39. N.

15. *Operam*, id est, voluntatem vel copiam dandæ mihi operæ. Curcul. II, 2, 9. N.

17. *Obcupatus. . . . operam dare*, obcupatione impeditus quo minus dem operam. *Occupatus* etymo sensu hic ponitur, i. e. ante captus. N.

19. *Quid ætatis.* Ad quem ætatis gradum provectus. N.

21. *Septuennis.* Idem discendi initium adhuc Quintiliani ætate, Inst. Orat. I, 1, 15. N.

23. *Quid tu diceres*, congrue cum eo quod dicebas. N.

26. *Valeo. Valeo*, scil. ab animo: h. e. bis plus sentio ac sapio quam olim : « Jucundum quum ætas florida ver ageret ». DOUZA.

27. *Imo si scias.* Cf. Curcul. II, 3, 42. N.

29. *Dico*, i. e. volo dicere, scil. amorem. Hæret atque tergiversatur confessurus. N.

LYS. Audacter. DEM. Animum advorte. LYS. Fiet sedulo.
DEM. Hodie ire in ludum obcœpi literarium,
Lysimache : ternas scio jam. LYS. Quid, ternas? DEM. Amo.
LYS. Tun' capite cano amas, senex nequissume?
DEM. Seu canum, seu istuc rutilum, sive atrum 'st, amo.
LYS. Ludificas nunc tu me heic, opinor, Demipho.
DEM. Decide collum, si falsum'st uti loquar :
Vel, ut scias me amare, cape cultrum, seca
Digitum vel aurem, vel tu nasum, vel labrum :
Si movero me, seu secari sensero,
Lysimache, auctor sum uti me amando heic enices.
LYS. Si unquam vidisti pictum amatorem, hem illic est.
Nam meo quidem animo vetulus, decrepitus senex
Tantidem'st, quasi sit signum pictum in pariete.
DEM. Nunc tu me, credo, castigare cogitas.
LYS. Egon' te? DEM. Nihil est jam quod tu mihi subcenseas:
Fecere tale ante alii spectati viri.
Humanum amare'st, humanum autem ingnoscere'st.
Ne, sis, me objurga : hoc non voluntas me inpulit.
LYS. Quin non objurgo. DEM. At ne deteriorem tamen
Hoc facto ducas. LYS. Egone te? ah, ne di siverint!
DEM. Vide, sis, modo etiam. LYS. Visum'st. DEM. Certen'?
LYS. Perdi' me.
Hic homo ex amore insanit : numquid vis? DEM. Vale.
LYS. Ad portum propero; nam ibi mihi negotium'st.

33. *Amo.* Ternas literas *a*, *m*, *o*. N.

37. *Uti loquar.* Hoc quale mox dicam. N.

41. *Me amando.* Apodosis ridicula præter exspectatum. Namque magnum aliquid post tantum fragorem speratbatur, sed hoc solum pati paratum profitetur, ut amore senis senex ipse odiose urgeatur. N.

42. *Si vidisti.* Quemvia generatim alloquitur hac figura. N.

49. *Hoc non voluntas.* Pro *ad hoc.* LAMB. — Sed J. Gul. et Acidal. *hoc*, antiqua ratione scribendi aiunt esse *huc*. TAUBM.

51. *Ah! ne di siverint!* Ultro annuit, quidquid ille velit, ut se ab importuno absolvat, vel εἰρωνεύεται.

52. *Perdi' me*, me tædio occidis. N.

53. *Numquid vis?* Cf. Amph. I, 3, 44. N.

DEM. Bene ambulato. LYS. Bene valeto. DEM. Bene sit tibi.
Quin mihi quoque etiam'st ad portum negotium.
Nunc adeo ibo illuc. Sed optume gnatum meum
Video; eccum obperiar hominem; hoc nunc mihi viso'st opus,
Huic persuadere, quomodo potis siem,
Ut illam vendat, neve det matri suæ:
Nam ei dono advexe audivi: sed præcauto'st opus,
Ne ad illam me animum adjecisse aliqua sentiat.

SCENA TERTIA.

CHARINUS, DEMIPHO.

CHAR. Homo me miserior nullus est æque, opinor,
Neque advorsa quoi sint plura sempiterna.
Satin', quidquid est, ut quam rem agere obcœpi,
Proprium nequit mihi evenire quod cupio?
Ita mihi mala res objicitur aliqua,
Bonum quæ meum conprimit consilium.
Miser amicam mihi paravi, animi causa, pretio;
Ratus clam patrem meum posse habere.
Is rescivit, et vidit, et perdidit me.
Neque, is quom roget, quid loquar cogitatum 'st,
Ita animi decem in pectore incerti certant.
Nec, quid corde nunc consili capere possim
Scio, tantus cum cura meo est error animo.
Dum servi mei perplacet mihi consilium,
Dum rursum haud placet: nec pater potis videtur

55. *Bene amb.* i feliciter. N.

58. *Hoc nunc mihi viso 'st opus.* Leg. « hoc nunc mihi usu est opus ». SCRIVER. — Emendatione hac non eget oratio; quippe infinitivus qui sequatur hellenismus sit pro *ad persuadendum*. N.

3. *Ut quam*, ut quamque. N.

4. *Proprium.* Id est, diuturnum, stabile. Cf. Terent. And. V, 5, 3.

10. *Quom roget*, interroget de puella. N.

14, 15. *Dum... Dum*, modo.... modo. N.

Induci, ut putet matri ancillam emtam esse illam.
Nunc si dico ut res est, atque illam mihi me
Emisse indico, quemadmodum existimet me?
Atque illam abstrahat, trans mare hinc venum absportet.
Scio, sævos quam sit, domo doctus : igitur hoccine 'st
Amare? arare mavelim, quam sic amare.
Jam hinc olim invitum domo extrusit ab sese,
Mercatum jussit ire; ibi hoc malum inveni. Ubi
Voluptatem ægritudo vincat, quid ibi inest amœni?
Nequidquam abdidi, abscondidi, abstrusam habebam.
Musca est meus pater, nihil potest clam illum haberi.
Nec sacrum, nec tam profanum quidquam 'st, quin
Ibi inlico adsit : nec, quî rebus meis
Confidam, mihi ulla spes in corde certa'st.
DEM. Quid illuc est, quod solus secum fabulatur filius?
Sollicitus mihi nescio quare videtur. CHAR. Attate!
Meus pater hic quidem est, quem video : ibo, adloquar.
    Quid fit, pater?
DEM. Unde incedis, quid festinas, gnate mi? CH. Recte, pater.
DEM. Ita volo : sed istuc quid est, tibi quod conmutatu'st
    color?

18. *Quemadm. existim. me.* Quam de me opinionem habeat. N.

19. *Atque.* Vide II, 1, 32. N.

20. *Domo doct. Domo doctus*, vel *domi didicisse* dicitur, qui ex se ipso quid expertus est, nec opus habuit ut aliunde disceret. Amph. II, 2, 7, *experior domo.* GAUT.

21. *Arare mavelim.* Martial. IX, 22 : « Artemidorus amat, Calliodorus arat ». EAN.

26. *Musca est meus pater, nihil.* Non enim parasiti solum *muscæ* dicti sunt olim, sed etiam homines curiosi, qui nihil non exquirunt et penetrant. Itaque Ægyptios Orus tradit quum *impudentiam* signare vellent, muscam pinxisse, quod nimirum vix abacta nihilominus continuo redeat. LIPS.

32. *Quid fit?* Vid. scen. præced. vs. 13. N.

33. *Unde incedis.* Cf. Cist. V, 1, 3. — *Recte.* « Hoc dicimus, inquit Donat. ad Hec. III, 2, 20, quum sine injuria interrogantis aliquid reticemus ». Cf. Eunuch. II, 4, 50; Plaut. Trin. V, 2, 54. Cic. ad Att. VI, 3 : « is mihi dixit se Athenis me exspectaturum. . . . recte, inquam. Quid enim dicerem ? » N.

34. *Ita volo.* More Plautino *recte*

Numquid tibi dolet? CHAR. Nescio quid meo animo 'st ægre, pater.
Postea hac nocte non quievi satis mea ex sententia.
DEM. Per mare ut vectus, nunc oculi terram mirantur tui.
CHAR. Magis opinor. DEM. Id est profecto : verum actutum abscesserit.
Ergo, edepol, palles : si sapias, eas ac decumbas domi.
CHAR. Otium non est, mandatis rebus prævorti volo.
DEM. Cras agito, perendie agito. CHAR. Sæpe ex te audivi, pater :
Rei mandatæ omneis sapienteis primum prævorti decet.
DEM. Age igitur, nolo advorsari tuam advorsus sententiam.
CHAR. (secum.) Salvos sum, siquidem isti dicto solida et perpetua'st fides.
DEM. Quid illuc est, quod ille solus se in consilium sevocat?
Jam non vereor, ne illam me amare hic potuerit resciscere.
Quippe haud etiam quidquam inepte feci, amanteis ut solent.
CHAR. Res adhuc quidem, hercle, in tuto'st : nam hunc nescire sat scio
De illa amica : quod si sciret, esset alia oratio.
DEM. Quin ego hunc adgredior de illa? CHAR. (secum.) Quin ego hinc me amolior?
(ad patrem.) Eo ego, ut quæ mandata, amicus amicis tradam. DEM. Imo mane.
Paucula etiam sciscitare prius volo. CHAR. Dic quid velis.

alio sensu atque juvenis dixit, ludens senex interpretatur, et proprio accipit. N.

36. *Postea*. I. e. prælerea. Douz.

37. *Mirantur tui*, etc. Ita MSS Palat. Sed J. Gul. distinguit : *tui magis*. CH. *Opinor*. DE. *Id*. Scilicet, qui diu in mari vectus erat, magis terram mirabatur, quam solitus erat. ERNEST.

38. *Abscesserit*. Scil. hoc malum.

44. *Si quidem isti*, etc. Dummodo perpetuo manere velit in ista pulchra sententia, scilicet se non adversaturum voluntati meæ, neque fidem fallat sic promissam. N.

DEM. Usquene valuisti? CHAR. Perpetuo recte, dum quidem illeic fui.

Verum in portum huc ut sum advectus, nescio quî animus mi dolet.

DEM. Nausea, edepol, factum credo: verum actutum abscesserit.

Sed quid ais? ecquam tu advexti tuæ matri ancillam Rhodo?

CHAR. Advexi. DEM. Quid? ea ut videtur mulier? CHAR. Non, edepol, mala.

DEM. Ut morata est? CH. Nullam vidi melius mea sententia.

DEM. Mihi quidem, edepol, visa'st, quom illam vidi. CHAR. Eho, an vidisti, pater?

DEM. Vidi: verum non ex usu nostro est, neque adeo placet.

CHAR. Quî vero? DEM. Quia non nostra formam habet dignam domo.

Nihil opus nobis ancilla, nisi quæ texat, quæ molat,
Lignum cædat, pensum faciat, ædeis verrat, vapulet;
Quæque habeat cotidianum familiæ coctum cibum.
Horunc illa nihilum quidquam facere poterit admodum.

CHAR. Ea causa equidem illam emi, dono quam darem matri meæ.

DEM. Ne duis, neu te advexisse dixeris. CHAR. Di me adjuvant!

56. *Sed quid ais?* Cf. Aulul. IV, 9, 7. N.

57. *Non, edepol, mala.* Id est, non deformis: ut Catull. Douz. — Vide Bacch. V, 2, 42. N.

61. *Dignam*, convenientem. N.

64. *Quæque habeat.* Coquam significat, et quæ panem faciat; non, ut censet Palmerius, quæ avide vescatur miseris his quotidianis servilibus escis. Et, *habere coctum cibum*, nihil aliud, quam cibum coquere. Ita idem Noster apud Varronem, lib. VI de Lingua Latina: « Plautus ait: Epeum fumificum, qui legioni nostræ habet coctum cibum ». Talis autem formula loquendi et illa est Cicer. III de Rep. *infestum habere*, pro infestare, et similes alibi. J. GULIELM. — Vide Observationes nostras in scriptores ecclesiasticos, cap. 17. GRON.

67. *Di me adj.* siquidem pater de amore meo nihil videt. N.

DEM. (secum.) Labefacto paulatim : (ad filium.) verum quod præterii dicere,
Neque illa matrem satis honeste tuam sequi poterit comes,
Neque sinam. CHAR. Quî vero? DEM. Quia illa forma matremfamilias
Flagitium sit si sequatur, quando incedat per vias :
Contemplent, conspiciant omneis, nutent, nictent, sibilent,
Vellicent, vocent, molesti sint, obcentent ostium.
Impleantur meæ foreis elogiorum carbonibus.
Atque ut nunc sunt maledicenteis homines, uxori meæ
Mihique objectent lenocinium facere : nam quid eo est opus ?
CHAR. Hercle, quin tu recte dicis : et tibi adsentior ego.
Sed quid illa nunc fiet? DEM. Recte : ego emero matri tuæ
Ancillam viraginem aliquam non malam, forma mala,
Ut matrem addecet familias, aut Syram, aut Ægyptiam :
Ea molet, conficiet pensum, pinsetur flagro, neque

69. *Comes.* Matronæ non sine pedissequia prodibant. Cf. Amph. III, 2, 48; Casin. II, 2, 1. N.

73. *Obcentent ostium.* Festus : « Occentare, dicebant pro convicium facere, quum id clare et cum quodam canore fiebat, ut procul exaudiri posset : quod turpe habebatur : quia non sine causa fieri putatur ». ERN.

74. *Impleantur.* Qua ratione carbones impleant fores elogiis, quæstio est. Ego id fieri arbitror, quum face exstincta inscribebatur famosum aliquod ostio carmen. Jam enim diu est quod Lipsius docuit, amantes, quum non reciperentur a puellis intra ædes, deficientes faculas sub auroram ad ostium abjicere solitos. Sed hoc fuerit patientiorum. Callidiores, accensa etiam lumina ostio illidebant, et minitabantur exustionem domus : ut Persa, IV, 4. Inter hos medii erant, quibus sufficiebat januas amicarum calcibus impetere, aut ferro incidere, aut conscribillare exstincto titione. Atque ista eo libentius fiebant a petulanti juventute : quia mala, carbone; bona, creta solita erant notari. Pers. Sat. V : « Quæque sequenda forent, et quæ vitanda vicissim, Illa prius creta, mox hæc carbone notasti, etc. ». Nihil tamen vetat, quin et carbone uterentur; ubi scilicet, januæ eo essent colore ut creta in iis minus appareret. Unde Martialis, XII, epigr. 62 : « Qui carbone rudi, putrique creta Scribit carmina, etc. » GRUT.

76. *Nam quid*, quidnam. N.

79. *Non malam*, utilem, patientem laboris; nunc alia sententia atque vs. 57. N.

Propter eam quidquam eveniet nostris foribus flagiti.
CHAR. Quid si igitur reddatur illi unde emta 'st? DEM. Minume gentium.
CHAR. Dixit se redhibere, si non placeat. DEM. Nihil istoc opu'st:
Litigare nolo ego vos: quam tuam autem adcusari fidem
Multo, edepol, si quid faciundum 'st, facere damni mavolo,
Quam obprobramentum aut flagitium muliebre ecferri domo.
Me tibi illam posse opinor luculente vendere.
CHAR. Dum quidem, hercle, ne minoris vendas, quam ego emi, pater.
DEM. Tace modo: senex est quidam, qui illam mandavit mihi
Ut emerem ad istanc faciem. CHAR. At mihi quidam adulescens, pater,
Mandavit ad illam faciem, ita ut illa est, emerem sibi.
DEM. Viginti minis, opinor, posse me illam vendere.
CHAR. At ego, si velim, jam dantur septem et viginti minæ.

83. *Unde*, a quo. N.

84. *Dixit se redhibere.* Hoc semel sic usurpatum reperisse notat se Scipio Gentilis in Originibus, ut sit rursus habere. Sed juriconsultis placuit *redhibere* dici eum qui reddit, non qui recipit. « Redhibere est facere ut rursus habeat venditor, quod habuerit, et quia reddendo id fiebat idcirco redhibitio est appellata, quasi redditio »; inquit Ulpianus. Nec secus Plautus in Mostellaria, III, 2: « si male emtæ Forent, nobis istas redhibere haud liceret ». Itaque et hic malim: *dixit sibi redhiberi*, h. e. pactus est sibi restitui. GRON.—*Redhibere* enallage pro *redhibiturum*, Plauto usurpatissima. Potuit *redhibeo* quum ad venditorem pertineret velle *recipio*. N.

87. *Ecferri domo.* Malim, *afferri domo*, id est, quam ut in domum meam aliquid flagitii, occasione istius mulieris inferatur. PIST. — *Ecferri* est redhibitio mulieris, quæ sic fiat jurgii causa. N.

88. *Me tibi illam posse opinor luculente vendere. Tibi vendere* hic idem est, quod tuo nomine, tuo cum lucro et commodo alteri vendere.

90. *Tace modo*, est jubentis bono animo esse. Cf. Curcul. I, 1, 84. N. — *Qui illam mandavit mihi.* Malim legere, « qui ancillam mandavit mihi Ut emerem ». BOXHORN. — Emendatio supervacua. Pronomina *ille*, *iste* sæpe generaliter proferuntur pro innominatis. Amph. I, 1, 131.

DEM. At ego.... CHAR. Quin ego, inquam. DEM. At nescis quid dicturus sum : tace.
Treis minas adcudere etiam possum, ut triginta sient.
CHAR. Quo vortisti? DEM. Ad illum, qui emit. CHAR. Ubinam est is homo gentium?
DEM. Eccillum video, jubet quinque me addere etiam nunc minas.
CHAR. Hercle, illunc di infelicent, quisquis est. DEM. Ibidem mihi
Etiam nunc adnutat, addam sex minas. CHAR. Septem, mihi.
Nunquam, edepol, me vincet hodie; conmodis poscit, pater.
DEM. Nequidquam poscit; ego habebo. CHAR. At illic pollicitu'st prior.
DEM. Nihili facio. CHAR. Quinquaginta poscit. DEM. Non centum datur.
Potin' ut ne licitere advorsum animi mei sententiam?

96. *Treis minas adcudere.* Hæc gestu adjuvanda sunt. Demipho enim, dum hæc loquitur, se vertit, et simulat se observare nutus ejus senis, cui ancillam empturum sese receperat. Responsi Charini, quod sequitur, *Quo vortisti?* sententia ex gestu hoc dependet. BOXH.

97. *Quo vortisti?* Incipit lusus comicus, magis forte ad ridiculum quam ad actus veritatem compositus, quum pater fingat se ad licentem quemdam converti, mox et ipse filius ad alium quoque absentem, qui majus offerat pretium. Lepida sane concertatio. Sed quum uterque alterum velit fallere, nonne istiusmodi lusu fatetur se suam rem, non amici agere? Hæc severe nos; si videre ipsam rem in proscenio esset datum, profecto risu indulgeremus, ut olim Romani. N.

101. *Nunquam me vincet* tuus licitor. — *Poscit* meus. N. — *Conmodis poscit.* Et ego nihil mutandum censeo. Neque tamen abjicienda Nonii interpretatio pro integris, totis, justi ponderis: et *minæ commodæ* accipiendæ sunt pro justo et sufficienti pretio, ut volunt. Neque enim de eo agitur, quod addunt: nam paullo post idem quinquaginta minis poscit: et quod potissimum est, nusquam ita *commodæ minæ*, *commodum talentum* et similia accipiuntur. Vide Scaligerum de Re nummaria, p. 24. GRONOV. — Sic *bonæ minæ* Asin. III, 3, 144. N.

103. *Non centum datur.* Mancipium non addicetur, vel si offerat centum minas. N.

104. *Potin' ut ne*, facerene po-

Maxumam, hercle, habebis prædam : ita ille est, quoi emitur, senex.
Sanus non est, ex amore illius : quod posces, feres.
CHAR. Certo, edepol, adulescens ille, quoi ego emo, ecflictim perit
Ejus amore. DEM. Multo, hercle, ille magis senex, si tu scias.
CHAR. Nunquam, edepol, fuit neque fiet ille senex insanior
Ex amore, quam ille adulescens, quoi ego do hanc operam, pater.
DEM. Quiesce, inquam, istanc rem ego recte videro. CHAR. Quid agis? DEM. Quid est?
CHAR. Non ego illam mancupio adcepi. DEM. Sed ille illam adcipit : sine.
CHAR. Non potes tu lege vendere illam. DEM. Ego aliquid videro.
CHAR. Post autem conmunis est illa mihi cum alio : qui nescio
Quid sit ei animi, vænirene eam velit, an non velit.
DEM. Ego scio velle. CHAR. At pol, ego, esse credo aliquem qui non velit.
DEM. Quid id mea refert? CHAR. Quia illi suam rem esse æquom 'st in manu.
DEM. Quid ais? CHAR. Conmunis mihi illa est cum alio; is nunc hic non adest.
DEM. Prius respondes, quam rogo. CHAR. Prius tu emis, quam vendo, pater.
Nescio, inquam, velit ille illam, necne abalienarier.

tes ut non, etc. i. e. te quæso ut, etc. N.

112. *Mancupio adcepi*, propriam habeo, ita ut vendere possim. N.— DEM. *Sed ille illam*. Rejicit pater objectionem filii. Nihil referre de mancupio, quoniam licet ipse Charinus non acceperit, accipere tamen illum senem, pro quo Demipho stipuletur : nec deterreri ab emptione, quod evictionis periculum non præstetur. ACIDAL.

118. *Quid ais?* Cf. Aulul. IV, 9, 7. N.

DEM. Quid illic quidam, qui mandavit, quom ille nolet? nihil agis.
Nunquam, edepol, quisquam illam habebit potius, quam ille quem ego volo.
Certum 'st. CHAR. Censen' certum esse? DEM. Quin ad navim jam hinc eo.
Ibi vænibit. CHAR. Vin' me tecum illo ire? DEM. Nolo. CHAR. Non placet.
DEM. Meliu'st te, quæ sunt mandatæ res tibi, prævortier.
CHAR. Tu prohibes. DEM. At tu excusato, te fecisse sedulo.
Ad portum ne bitas, dico jam tibi. CHAR. Auscultabitur.
DEM. (secum.) Ibo ad portum, et ne hic resciscat cauto opu'st: non ipse emam,
Sed Lysimacho amico mandabo: is se ad portum dixerat
Ire dudum: me moror, quom heic adsto. (abit.) CHAR. Nullus sum, obcidi.

SCENA QUARTA.

CHARINUS, EUTYCHUS.

CHAR. Pentheum diripuisse aiunt Bacchas: nugas maxumas

121. *Illic quidam.* Hoc vult: Cur nunc demum dicis, illum, cum quo tibi ancilla communis est, nolle eam vendere: quum antea dixeris, tibi mandatum ab alio ut emeres? Si ille non vult vendere, quid fiet illo, qui tibi mandavit ut emeres? Nihil agis: non constas tibi. PIST.

125. *Meliu'st.* Vide sup. 40. N.

126. *Excusato*, apud eum qui tibi mandaveral ut emeres. N. — *Te fecisse sedulo.* Sic solebant dicere, qui a se culpam avertebant. Cato de Re Rustic. 2: « Si ei opus non apparet, dicit villicus sedulo se fecisse; servos non valuisse, tempestates malas fuisse, etc. » Cicero ad Attic. 6: « De Quinto filio, fit a me quidem sedulo: nosti reliqua ». Similiter villicus apud Senec. ep. 12: « Se omnia facere, in nulla re cessare curam suam, sed illas vetulas esse ». GRON.

127. *Bitas.* Conf. Curcul. I, 2, 52. — *Auscultabitur*, parebitur tuo imperio. Trin. III, 2, 36, « nisi me auscultas, atque hoc, ut dico, facis ». N.

128. *Hic*, filius. N.

1. *Pentheum.* Pentheum Thebarum regem, Agave mater sua, et materteræ Ino et Autonoe, cæteræ-

Fuisse credo, præut quo pacto ego divorsus distrahor.
Cur ego vivo? cur non morior? quid mi 'st in vita boni?
Certum 'st, ibo ad medicum, atque ibi me toxico morti dabo.
Quando id mihi adimitur, qua causa vitam cupio vivere.
EUT. Mane, mane, obsecro, Charine. CHAR. Qui me revocat? EUT. Eutychus
Tuus amicus et sodalis, simul vicinus proxumus.
CHAR. Non tu scis, quantum malarum rerum substineam. EUT. Scio.
Omnia ego istæc auscultavi ab ostio; omnem rem scio.
CHAR. Quid id est, quod scis? EUT. Tuos pater volt vendere.... CHAR. Omnem rem tenes.
EUT. Tuam amicam.... CHAR. Nimium multum scis. EUT. Tuis ingratiis.
CHAR. Plurimum tu scis; sed quî scis esse amicam illam meam?
EUT. Tute heri ipsus mihi narrasti. CH. Satin' ut oblitus fui,
Tibi me narravisse? EUT. Haud mirum factum'st. CHAR. Te nunc consulo.
Responde, quo leto censes me ut peream potissumum?
EUT. Non taces? cave istuc dixis. CHAR. Quid vis me igitur dicere?
EUT. Vin' patri sublinere pulchre me os tuo? CH. Sane volo.
EUT. Visne eam ad portum? CHAR. Quî potius, quam voles? EUT. Atque eximam

que mulieres Bacchi œstro percitæ discerpserunt, et quasi particulatim excarnificarunt. De quo Horat. II, Od. 19, et Sat. II, 3; Ovid. Metamorph. III; Seneca in Theb. Euripid. in Bacchis, alii. ERN.

4. *Me... morti dabo.* Jam vidimus amore externatum juvenem comice τραγῳδεῖν, Cistell. III, 1. N.

14. *Te nunc consulo, Responde.* Antique et proprie: utrumque enim, tam *consuli* quam *respondere* jurisconsultorum est. Horat. II, Sat. 3: « Ergo consulere, et mox respondere licebit? » Sunt relativa. DOUZ. — Similis consultatio amicorum apud Terent. Phorm. II, 3. N.

17. *Sublinere os.* Cf. Captiv. III, 4, 124. N.

18. *Quî potius, quam voles.* I. e. qui vero aut qua causa potius eas, quam voles? Quasi dicat: An vero

Mulierem pretio? CHAR. Quî potius, quam auro expendas? EUT. Unde at erit id?
CHAR. Achillem orabo, aurum mihi det, Hector quî expensus fuit.
EUT. Sanun' es? CHAR. Pol, sanus si sim, non te medicum mihi expetam.
EUT. Tanti quanti poscit, vin' tanti illam emi? CHAR. Auctarium
Adjicito, vel mille numum plus quam poscet. EUT. Jam tace.
CHAR. Sed quid ais? unde erit argentum, quod des, quom poscet pater?
EUT. Invenietur, exquiretur, aliquid fiet. CHAR. Enicas.
Jam istuc, aliquid fiet, metuo. EUT. Quin taces? CHAR. Muto inperas.

non justa causa est, quod *Dædaleo ocyor Icaro* voles potius, quam eas? Idem de sequenti hemistichio dicendum: « Quî, potius, quam auro expendas? » Scitum est Sallustii: « Animo cupienti nihil satis festinatur ». DOUZA.

19. *Auro expendas*. Cf. Bacchid. IV, 4, 1. N.

20. *Quî*, cujus pretio. N.

23. *Jam tace*. Sup. II, 3, 90.

24-27. Personarum divisionem in hac diverbii parte longe aliam atque vulgatis nunc præbeo, quam valde rerum, opinor, conturbata ratione, sic edunt: « EUT. Jam tace. Sed quid ais? unde erit arg. quod des, quom poscet pater? CH. Inv. exquir. aliq. fiet. EUT. Enicas. Jam istuc, aliq. fiet, metuo. CH. Quin taces? EUT. Muto inperas. CH Satin' istuc mand. etc. » Qui non intelligit omnia quæ sunt Charini, Eutycho dari, et vice versa? « Sed quid ais (cf. Aulul. IV, 9, 7)? unde erit argentum quod des? » Hoc Charinus amico dicit, a quo, quum vicerit auctario, Demipho nomine filii poscet pecuniam repræsentari. « Enicas. Istuc, aliq. fiet, metuo ». Impatientis inopia et metu animi est, ut nunc sese Charinus habet, cui spes, non præsens pecuniæ auxilium offeratur. Ita Silenium « spissum istud amanti est verbum, veniet, nisi venit », Cistell. I, 1, 77. Tò « aliquid fiet » nihil ominosi præ se fert, quod eruditi viri comminiscuntur. Illud vero « satin' istuc mandatum 'st? » non significat, ut credunt, « satisne expresse tibi mandata enarravi », sed valet idem quod affirmatio « satis certe mandata res est mihi »: id profecto est ingenium locutionis « satin' ». Conf. Rud. IV, 5, 3. Nunc autem nonne hæc « inven. exq. aliq. fiet » consolantur desperatum, nedum desperatus dixerit? et « quin taces? » centies vidimus esse pro « bono, quieto sis animo ». Cf. sup. II, 3, 90; Curcul. II, 1, 84. N.

EUT. Satin' istuc mandatum 'st? Potin' ut aliud cures? CHAR. Non potest.

EUT. Bene vale. CHAR. Non, edepol, possum, priusquam tu ad me redieris.

EUT. Melius sanus sis. CHAR. Vale, et vince, et me serva. EUT. Ego fecero.

Domi maneto me. CHAR. Ergo actutum face cum præda recipias.

27. *Potin' ut.* Formula quæ vicem imperativi obtinet. Sic « potin' ut taceas » i. q. tace. Bacch. I, 1, 1. — *Aliud cures.* Ea locutione aliquem jubent de re quæ agitur esse omnino securum. Cf. Casin. III, 4, 23. N.

29. *Melius sanus.* Melius tibi consulueris, si sanus sis. LAMB. — *Recipias* te, redeas. N.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

LYSIMACHUS, PASICOMPSA.

LYS. Amice amico operam dedi: vicinus quod rogavit,
Hoc emi mercimonium. Mea es tu; sequere sane.
Ne plora; nimis stulte facis, oculos conrumpis taleis.
Quid? tibi quidem quod rideas magis est, quam ut lamentere.
PAS. Amabo, ecastor, mi senex, eloquere. LYS. Exquire quidvis.
PAS. Cur emeris me? LYS. Tene ego? ut quod inperetur facias.
Item quod tu mihi inperes ego faciam. PAS. Facere certum'st,
Pro copia et sapientia, quæ te velle arbitrabor.
LYS. Laboriose nihil tibi quidquam operis inperabo.
PAS. Namque, edepol, quidem, mi senex, non didici bajulare,
Nec pecua ruri pascere, neque pueros nutricare.
LYS. Bona si esse vis, bene erit tibi. PAS. Tum, pol, ego perii misera.
LYS. Quî? PAS. Quia illeic unde advecta huc sum, malis bene esse solitum'st:
Nec mos meu'st ut prædicem quod ego omneis scire credam.

8. *Pro cop. et sap.* Quantum potero et sciam. N.

14. *Nec mos meu'st*, etc. Oblique de se fatetur malitiam; quam non ita verisimiliter, at ridicule mulieres ultro prædicant sæpissime in

LYS. Oratio, edepol, pluris est hujus, quam quanti hæc emta'st :
Quasi dicas, nullam mulierem bonam esse. PAS. Haud equidem dico.
LYS. Rogare hoc unum te volo. PAS. Roganti respondebo.
LYS. Quid ais tu? quod nomen tibi dicam esse? PAS. Pasicompsæ.
LYS. Ex forma nomen inditum 'st. Sed quid ais, Pasicompsa?
Possin' tu, si usus venerit, subtemen tenue nere?
PAS. Possim. LYS. Si tenue scis, scio, te uberius posse nere.
PAS. De lanificio neminem metuo, una ætate quæ sit.
LYS. Bonam, hercle, te et frugi arbitror, matura jam inde ætate,
Quoniam scis facere opficium tuum, mulier. PAS. Pol, docta didici,
Operam adcusari non sinam meam. LYS. Hem istæc, hercle, res est;
Ovem tibi ancillam dabo gnatam annos sexaginta
Peculiarem. PAS. Mi senex, tam vetulam? LYS. Generis græci 'st.
Eam si curabis, perbona'st, tondetur nimium scite.
PAS. Honoris causa quidquid est, quod dabitur, gratum habebo.
LYS. Nunc, mulier, ne tu frustra sis, mea non es, ne arbitrere.

Plautinis fabulis. Cf. Aulul. II, 1, 16-20; Cistell. I, 1, 67-9. N.

21. *Uberius posse nere.* Sub his « crassius nere filum » aliquid suspicor ab impudente sene innui, quod verecunde puella declinat. N.

22. *Una ætate.* Eadem qua ego, quæ non longiore usu perita. N.

25. *Hem istæc*, etc. En rem, quæ ad te nunc pertinet, dicam. N.

26. *Ovem.* Haud semel vetulum decrepitum amatorem ovillo nomine adornat. Cf. Bacchid. V, 2, 3-22. N.

27. *Generis græci 'st.* Ad oves Tarentinas allusum, quæ tectæ et pellitæ pascebantur, ob lanæ vellerisque præstantiam. TURN.

28. *Scite*, bene tibi. N.

29. *Honoris causa* tui. Cf. Amph. I, 2, 24. — *Gratum*, Amph. prol. 48. N.

30. *Ne tu frustra sis.* Cf. Amph. II, 2, 200.

PAS. Dic igitur, quæso, quoja sum? LYS. Tuo hero redemta es rursum.
Ego redemi te; ille me oravit. PAS. Animus rediit,
Si mecum servatur fides. LYS. Bono animo es, liberabit
Ille te homo; edepol, deperit te atque hodie primum vidit.
PAS. Ecastor, jam biennium'st, quom mecum rem cœpit.
Nunc, quando amicum te scio esse illius, indicabo.
LYS. Quid ais tu? jam biennium'st quom tecum habet rem? PAS. Certo.
Et inter nos conjuravimus, ego cum illo, et ille mecum,
Ego cum viro, et ille cum muliere : nisi cum illo, aut ille mecum,
Neuter stupri causa caput limaret. LYS. Di inmortaleis,
Etiam cum uxore non cubet? PAS. Amabo, an maritus est?
Neque est, neque erit. LYS. Nolim quidem : homo, hercle, perjuravit.
PAS. Nullum adulescentem plus amo. LYS. Puer est ille quidem, stulta.
Nam illi quidem haud sane diu'st, quom denteis exciderunt.
PAS. Quid, denteis? LYS. Nihil est : sequere, sis, huc me : diem unum oravit
Ut apud me præhiberem locum; ideo, quia uxor ruri'st.

33. *Si mecum serv. f.* Si me non fallis. Scilicet eam nomen heri decipit, quem filiumfamilias credit, quum sit pater. Faciet mox indicium amoris imprudens. N.

34. *Atque hodie*, simul ac, ex quo te vidit hodie. N.

35. *Rem cœpit.* Attende, quæso, verborum verecundiam, qua decet uti, quæ ingenua in fine agnoscitur. N.

40. *Caput limaret.* Interpretatur Nonius ex eo quod qui amatores cum amica caput jungunt, tamquam terunt sese mutuo, dum osculantur. *Limare* vetus Lexic. *sociare* explicat : συνουσιάζειν. Turn. Adv. XV, 6.

SCENA SECUNDA.

DEMIPHO.

Tandem inpetravi, ut egomet me conrumperem.
Emta 'st amica clam uxore mea et filio.
Certum 'st, antiqua recolam, et servibo mihi.
Decurso in spatio, breve quod vitæ reliquom est,
Voluptate, vino et amore delectavero.
Nam hanc se bene habere ætatem nimio 'st æquius.
Adulescens quom sis, tum quom est sanguis integer,
Rei tuæ quærendæ convenit operam dare:
Demum igitur quom senex sis, tunc in otium
Te conloces, dum potestur; id jam lucro est
Quod vivis : hoc ut dico, factis persequar.
Interea tamen huc intro ad me invisam domum.
Uxor me exspectat jamdudum esuriens domi.
Jam jurgio enicabit, si intro rediero.
Verum, hercle, postremo ut ut est, non ibo tamen,
Sed hunc vicinum prius conveniam, quam domum
Redeam, ut mihi ædeis aliquas conducat volo,
Ubi habitet istæc mulier : atque eccum it foras.

SCENA TERTIA.

LYSIMACHUS, DEMIPHO.

LYS. Adducam ego illum jam ad te, si convenero.
DEM. Me dicit. LYS. Quid ais, Demipho? DEM. Est mulier domi?

3. *Antiqua recolam*, meos pristinos mores iterabo. Cf. Amph. V, 2, 10. N.

4. *Hanc*, meam.

10. *Potestur*. Adhuc Lucret. III, 1023 : « nulla ratione potestur ». Item fere Sallustius : « quidquid sine civium sanguine ulcisci nequitur ». N.

12. *Ad me... domum*, his idem.

2. *Quid ais?* Cf. Aulul. IV, 9, 7. N.

LYS. Quid censes? DEM. Quid si visam? LYS. Quid properas? mane.
DEM. Quid faciam? LYS. Quod opus est facto, facito ut cogites.
DEM. Quid cogitem? equidem, hercle, opus hoc facto existumo,
Ut illuc introeam. LYC. Itane vero, vervex, intro eas?
DEM. Quid aliud faciam? LYS. Prius hoc ausculta, atque ades.
Prius etiam 'st, quod te facere ego æquom censeo.
Nam nunc si illo introieris, amplecti voles,
Confabulari, atque osculari. DEM. Tu quidem
Meum animum gestas : scis quid acturus siem.
LYS. Pervorse facies. DEM. Quodne ames? LYS. Tanto minus.
Jejunitatis plenus, anima fœtida,
Senex hircosus, tu osculere mulierem?
Utine adveniens vomitum excutias mulieri?
Scio, pol, te amare, quom istæc præmonstras mihi.
DEM. Quid si igitur (unum factum hoc si censes) cocum

6. *Vervex.* Homo ad Venerem inepte, ut aries castratus est. LAMB.

12. *Quodne ames?* Pervorsene facit is, qui, quod amat, osculetur? LAMB. — *Tanto minus*, eo minus sane osculari eam debes, quod amatorie vis. Concedam, si pudice, ut senem decet. N.

14. *Senex hircosus.* Cujacius, Observ. lib. XI, cap. 10, existimat *hircosum* eum esse, cui os male oleat: idque hinc etiam probat. Sed docet Laur. Ramirez Hisp. duo vitia diversa notari in hoc sene : quod illi anima fœtida sit, et quod graviter oleant axillæ: quem vide Comm. Epigr. Martial. lib. III. GRON.

15. *Vomitum.* Hæc urbanitas romana. Cæcilius in Plocio, « extemplo savium Dat jejuna anima.—Nil peccat de savio.—Ut devomas volt quod foris potaveris ». Gellius, II, 23, qui hæc recitat, Cæcilii notat commenta esse, qui Menandrum, dum imitaretur, excedendo corrumperet. N.

17. *Factum hoc si censes.* Si faciendum hoc censes. Si scriptum esset « factum hoc si bonum censes », nemo negaret latine dictum. Simpliciter dictum æque rectum est, « factum hoc si censes », vel etiam potius, « facto hoc si censes », id est, « hoc censes esse facto », id est, *faciendum.* Sic *accepto facere*, *accepto ferre*, quod etiam dicitur acceptum facere, et acceptum ferre. Reliquæ conjecturæ doctorum non placent. SALM. — *Factum hoc*, etc. Si hoc unum adprobas. Conf. inf. 19. — *Cocum*, vid. Aulul. II, 4, 1. N.

Aliquem adripiamus, prandium qui percoquat
Apud te heic usque ad vesperum? LYS. Hem istuc censeo.
Nunc tu sapienter loquere atque amatorie.
DEM. Quid stamus? quin ergo imus, atque opsonium
Curamus, polchre ut simus? LYS. Equidem te sequor.
Atque, hercle, invenies tu locum illi, si sapis.
Nullum, hercle, præter hunc diem, illa apud me erit:
Metuo ego uxorem, cras si rure redierit,
Ne illam heic obfendat. DEM. Res parata 'st, sequere me.

SCENA QUARTA.

CHARINUS, EUTYCHUS.

CHAR. Sumne ego homo miser, qui nusquam bene queo quiescere?
Si domi sum, foris est animus: sin foris sum, animus domi 'st.
Ita mihi in pectore atque in corde facit amor incendium:
Ni oculos lacrumæ defendant, jam ardeat, credo, caput.
Spem teneo, salutem amisi: redeat an non, nescio.
Si obprimit pater, quod dixit, exsulatum abiit salus:
Sin sodalis, quod promisit, fecit, non abiit salus.

20. *Amatorie.* Quid amatorie, qui ad cœnam vocet? vid. Asin. Argum. 1. N.

21. *Atque opsonium.* Cf. Captiv. III, 1, 14. N.

22. *Polchre ut simus.* Vide Men. III, 2, 20. ERN.

23. *Si sapis.* Formula jubentis, hortantis. Par illi gallicæ, *je te le conseille.* Cf. Amph. I, 1, 155; Aulul, II, 8, 5; Casin. IV, 2, 1. *Invenies*, oportet invenias. N.

2. *Si domi*, etc. Cf. Cistell. II, 1, 6. N.

3. *Ita*, adeo; valet ad auxesin. N.

4. *Ni oculos lacrumæ*, etc. Ni præfixum Plauti nomen fabulæ esset, nonne italianum hoc novarum quidem ætatum commentum crederes. Sic Torquatus Tassus, IV, Stroph. 76: « O miracol d'amor, che le faville Tragge del pianto, e i cor ne l'acqua accende ».

5. *Spem.* Dum spe lætor, res meæ pereunt. — *Redeat* salus. N.

6. *Si obprimit pater.* Si occupat id facere, ut dixit, perii. LAMB

Sed tandem si podagrosis pedibus esset Eutychus,
Jam a portu rediisse potuit. Id illi vitium maxumum 'st,
Quod nimis tardus est, advorsum mei animi sententiam.
Sed isnc est, quem currentem video? ipsus est, ibo obviam.
Divom atque hominum quæ spectatrix atque Hera eadem es hominibus,
Spem speratam quom obtulisti hanc mihi, tibi grateis ago.
Numquid restat? eheu disperii! voltus neutiquam hujus placet;
Tristis incedit, pectus ardet: hæreo, quassat caput.
Eutyche. EUT. Heu, Charine. CHAR. Priusquam recipias anhelitum,
Uno verbo eloquere: ubi ego sum? heiccine an apud mortuos?
EUT. Neque apud mortuos, neque heic es. CHAR. Salvos sum, inmortalitas
Mihi data 'st: hic emit illam; polchre os sublevit patri.
Inpetrabilior qui vivat nullus est: dic, obsecro:

12. *Quæ spectatrix*, etc. *Fortuna* ab antiquis censebatur *Spectatrix* atque *Hera hominum*. Inde illud Ennii apud Cic. Off. I: «Vosne velit, an me, regnare Hera». Atque hanc *Heram*, quam et δέσποιναν Græci vocant, tradit Pausan. in Arcadicis, apud eas gentes maximo honori fuisse. Ptolemæus autem fortunæ patrem *Heram* appellavit: Catullus deos omnes, *Heros*, Carm. 64: «Hostia cælestes pacificasset Heros». Ibidem: «Quem temere invitis suscipiatur Heris». TURNEB. — *Atque hera eadem es hominibus*. Forte *omnibus*. SCRIV.

14. *Numquid restat?* nonne video restantem, hæsitantem, Eutychum? N.

15. *Pectus ardet*. Verba sunt inconstantis et pæne amentis exspectatione adolescentis. Itaque quum videret tristem advenire Eutychum, *pectus ardet*, ait: hoc est, discrucior animi maximo angore. Nam in summo dolore hanc formulam usitatam docet Cicero, his poetæ verbis: «Nunc demum mi animus ardet»; quibus e contrario respondere censet illa gestientis lætitia: «Tanta lætitia auctus sum, ut mihi non constem». J. GUL.

17. *Ubi ego sum?* Cf. Bacch. II, 3, 10. N

19. *Inmortalitas mihi*, etc. Ita fere sibi Pamphilus gratulatur, Ter. Andr. V, 5, 3-5. N.

20. *Inpetrabilior*. Adjectiva in *abilis*, *ibilis* terminata sæpe apud Veteres vim habent agendi. Hic

Si neque heic, neque Acherunti sum, ubi sum? EUT. Nusquam gentium.
CHAR. Disperii! illæc interemit me modo oratio.
Odiosa est oratio, quom rem agas, longinquom loqui.
Quidquid est, ad capita rerum perveni. EUT. Primum omnium,
Periimus. CHAR. Quin tu illud potius nuncias, quod nescio?
EUT. Mulier alienata 'st abs te. CH. Eutyche, capital facis.
EUT. Quî? CHAR. Quia æqualem et sodalem civem liberum enicas.
EUT. Ne di sirint. CHAR. Demisisti gladium in jugulum; jam cadam.
EUT. Quæso, hercle, animum ne desponde. CHAR. Nullu'st quem despondeam.
Loquere porro aliam malam rem: quoi est emta? EUT. Nescio.
Jam addicta, atque abducta erat, quom ad portum venio. CHAR. Væ mihi,
Monteis tu quidem mali in me ardenteis jamdudum jacis.

est qui valet impetrare. Cf. Most. V, 2, 40; Cistell. II, 2, 3. N.

23. *Quam rem agas.* Nihil mutandum. Hoc vult: odiosa est oratio multa verba profundere, ubi ad rem veniendum est. Sequentia: « Quidquid est, ad capita rerum perveni »; hanc mentem esse, satis ostendunt. BOXH.

24. *Primum omnium.* Cf. Asin. III, 3, 60. N.

26. *Capital*, ut *facul*, *volup*, etc.

30. *Loquere porro aliam malam rem.* Aulul. III, 5: « Et illæ malam rem metuent, quam metuunt magis ». Mostell. III, 2: « Res parata est mala in vesperum huic seni ». Menæch. III, 2: « An tibi malam rem vis pro maledictis dari postea? » Abeat igitur in malam rem correctio: « Loquere porro: abeam in malam rem ». Nam et alibi *mala res* dicitur, non tantum in formula, *abi in malam rem*. GRON.

31. *Jam addicta, atque abducta erat.* Non tantum damnati in judicio, sed etiam venales addicuntur primum in emptione; deinde abducuntur. ERN.

32. *Monteis tu quidem mali.* Videtur allusum ad genus tormenti; quum ferventi pice instillata corpora hominum urebantur. Lucret. « Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tedæ ». Vid. Plaut. Capt. III, 4. Vel allusum est ad tedas ardentes: de quo cruciatu Eusebius, ut notat Dalech. ad Plin. lib. XIV,

Perge, excrucia, carnufex, quandoquidem obcœpisti semel.
EUT. Nec tibi istuc magis dividiæ 'st, quam mihi hodie fuit.
CHAR. Dic, quis emit? EUT. Nescio, hercle. CHAR. Hem, istuccine 'st operam dare
Bonum sodalem? EUT. Quid me facere vis? CHAR. Idem quod me vides,
Ut pereas: quin percontatu's, hominis quæ facies foret,
Qui illam emisset: eo si pacto posset indagarier
Mulier? EUT. Heu me miserum! CHAR. Flere omitte, istuc quod nunc agis.
EUT. Quid ego feci? CHAR. Perdidisti me et fidem mecum tuam.
EUT. Dii sciunt, culpam meam istanc non esse ullam. CHAR. Euge, papæ!
Deos absenteis testeis memoras: quî ego istuc credam tibi?
EUT. Quin tibi in manu est, quod credas: ego quod dicam, id mihi mea in manu 'st.
CHAR. De istac re argutus es, ut par pari respondeas;
Ad mandata claudus, cæcus, mutus, mancus, debilis.
Promittebas te os sublinere meo patri; egomet credidi
Homini docto rem mandare, is lapidi mando maxumo.
EUT. Quid ego facerem? CHAR. Quid tu faceres? men' rogas? requireres,

20; Mostell. II, 1, et Brod. Miscell. lib. II, 10. ERN.

34. *Dividiæ 'st.* Cf. Bacch. IV, 6, 1. N.

37. *Pereas.* Alio vortit sententiam interrogantis, et respondet male imprecando. Servo diceret: « abeas in malam crucem ». N.

39. *Istuc quod nunc agis.* Quod nunc scis facere, at non scisti, quod tibi mandaveram. N.

40. *Fidem mecum tuam.* Id est, quæ tibi est apud me, fidem amicitiæ nostræ, qui promisso infidelis fueris. Hæc est amentis iniquitas. N.

43. *Quin tibi in manu est.* Quia licet tibi credere, quod libet. TAUBM.

47. *Lapidi mando max.* Id est, homini stolidissimo. TAUBM. — Sic Ter. Eunuch. V, 10, 36: « satis diu hoc saxum (Thrasonem militem) volvo ». N.

Rogitares, quis esset, aut unde esset, qua prosapia,
Civisne esset, an peregrinus. EUT. Civem esse aibant Atticum.
CHAR. Ubi habitaret, invenires saltem, si nomen nequis.
EUT. Nemo aibat scire. CHAR. At saltem hominis faciem exquireres.
EUT. Feci. CHAR. Qua forma esse aibant? EUT. Ego dicam tibi:
Canum, varum, ventriosum, bucculentum, breviculum,
Subnigris oculis, oblongis malis, pansam aliquantulum.
CHAR. Non hominem mihi, sed thesaurum nescio quem memoras mali.
Numquid est, quod dicas aliud de illo? EUT. Tantum, quod sciam.
CHAR. Edepol, næ ille oblongis malis dedit mihi magnum malum.
Non possum durare, certum'st exsulatum hinc ire me.
Sed quam capiam civitatem, cogito potissumum:
Megara, Eretriam, Corinthum, Chalcidem, Cretam, Cyprum,
Sicyonem, Gnidum, Zacynthum, Lesbiam, Bœotiam?
EUT. Cur istuc cœptas consilium? CHAR. Quia enim me adflictat amor.
EUT. Quid tu ais? quid, quom illuc, quo nunc ire paritas, veneris?
Si ibi amare forte obcipias, atque item ejus sit inopia,
Jam inde porro abfugies? deinde item illinc, si item evenerit?

55. *Pansam*. Plinius, XI, 45, *pansam* ait qui πλατύπους et latipes est. Glossæ Papiæ: *Pansum*, *apertum*, *patefactum*, *extensum*, a pando. BOXH.

56. *Thesaurum nescio quem mali*. Nonius: « Thesaurus etiam pessimæ rei copia dici posset ». Sic Euripides Ione: θήσαυρον κακῶν dixit. TAUBM. — Cf. Asin. II, 2, 9; Curcul. N.

57. *Tantum*. Cf. II, 2, 12. N.

58. *Malis... malum*. Frigida paronomasia malarum et mali. N.

64. *Quid tu ais?* Cf. Aulul IV, 9, 7. N.

Quis modus tibi exsilio tandem eveniet? qui finis fugæ?
Quæ patria aut domus tibi stabilis esse poterit? dic mihi.
Cedo, si hac urbe abis, amorem te heic relicturum putas?
Si id forte ita sat animo adceptum'st, id pro certo si habes,
Quanto te satiu'st rus aliquo abire, ibi esse, ibi vivere,
Adeo dum illius te cupiditas atque amor missum facit?
CHAR. Jam dixisti? EUT. Dixi. CHAR. Frustra dixti : hoc mihi certissumum 'st.
Eo domum, patrem atque matrem ut meos salutem: postea
Clam patrem patria hac ecfugiam, aut aliquid capiam consili. (abit.)
EUT. Ut conripuit se repente, atque abiit! heu misero mihi!
Si ille abierit, mea factum omneis dicent esse ignavia.
Certum 'st præconum jubere jam quantum 'st conducier,
Qui illam investigent, qui inveniant : post ad prætorem inlico
Ibo, orabo ut conquisitores det mihi in vicis omnibus :
Nam mi nil relicti quidquam aliud jam esse intellego.

69. *Cedo*. Conf. Curcul. IV, 2, 40. N.

77. *Ingnavia*, tarditate adjuvandi amici, segnitie. N.

78. *Præconum jubere*, etc. Stat sententia, quotquot sunt præcones conducere. Ad conquirendas autem res amissas etiam præconibus olim utebantur. *Pretium* autem *indicii* Græcis εὕρετρον dicitur : immo *indicium* ipsum pro præmio quod indicibus datur, Petronius dixit : sicuti Cic. ad Attic. *nuntium* et *evangelium* dixit præmium nuntii et evangelii. BRISSON.

80. *Conquisitores*. Cf. Amph. prol.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

DORIPPA, SYRA.

DOR. QUONIAM a viro ad me rus advenit nuncius,
Rus non iturum, feci ego ingenium meum,
Reveni, ut illum persequar, qui me fugit.
Sed anum non video consequi nostram Syram.
Atque eccam incedit tandem: quiu is ocius?
SYR. Nequeo, mecastor, tantum hoc oneri 'st, quod fero.
DOR. Quid oneris? SYR. Annos octoginta et quatuor;
Et eodem adcedit servitus, sudor, sitis:
Simul hæc, quæ porto, deprimunt. DOR. Aliquid cedo
Quî hanc vicini nostri aram augeam, Syra.
SYR. Da sane hanc virgam lauri. DOR. Abi jam tu intro.
SYR. Eo.
DOR. Apollo, quæso te, ut des pâcem propitius,
Salutem et sanitatem nostræ familiæ,

2. *Feei ego ingenium meum.* Morem gessi ingenio meo. LAMB. — Vide quæ ad Amph. II, 2, 206, adnotavimus. N.

6. *Tantum oneri 'st,* tantum oneris est. Cf. Menæchm. V, 2, 5. N.

9. *Simul hæc.* Præterea hæc quæ porto, sarcinam.—*Cedo*, sup. III, 4, 69. N.

10. *Aram augeam*, sacrufìcem diis. Ea locutione oritur « mactare ». Vide Amph. IV, 2, 14. Pro foribus ædium ara compitalium deorum vulgo fuit. Vide quæ Donatus ad Terent. Andr. IV, 4, 5: « ex ara hinc sume verbenas », et Bacch. II, 1, 3. Haud absimili more apud Christianos homines videre fuit pro ædium fronte in cellulis Virginis vel divorum imagines positas. N.

11. *Da sane.* Id est, in aram impone. ERN.

12. *Apollo.* Vid. Bacch. l. c. N.

Meoque ut parcas gnato pace propitius.
SYR. Disperii, perii misera; væ miseræ mihi!
DOR. Satin' tu sana es, obsecro? quid ejulas?
SYR. Dorippa mea, Dorippa! DOR. Quid clamas, obsecro?
SYR. Nescio quæ est mulier intus heic in ædibus.
DOR. Quid mulier? SYR. Mulier meretrix. DOR. Veron' serio ?
SYR. Nimium scis sapere, ruri quæ non manseris:
Quamvis insipiens poterat persentiscere
Illam esse amicam tui viri bellissumi.
DOR. Credo, mecastor. SYR. I hac mecum, ut videas simul
Tuam Alcumenam pellicem, Juno mea.
DOR. Ecastor, vero istuc eo, quantum pote'st.

SCENA SECUNDA.

LYSIMACHUS.

Parum ne est malæ rei, quod amat Demipho,
Ni sumtuosus insuper etiam siet?
Decem vocasset si ad cœnam summos viros,
Nimium opsonavit : sed cocos, quasi in mari
Solet hortator remiges hortarier,
Ita hortabatur : egomet conduxi cocum.
Sed eum demiror non venire ut jusseram.
Sed qui hinc nam a nobis exit? aperitur foris.

14. *Pace*, favore, benignitate. Æneid. IV, 56 : « pacemque per aras Exquirunt ». N.

22. *Illam*, non speciatim Pasicompsam, sed aliquam talem. Vid. quæ diximus ad II, 3, 90. N.

25. *Quantum pote'st.* Cf. Asin. III, 3, 17. N.

2. *Ni sumtuosus.* Vide Curcul. IV, 1, 11, 24. N.

8. *Qui hinc nam*, quisnam hinc e domo uostra. N.

SCENA TERTIA.

DORIPPA, LYSIMACHUS.

DOR. Miserior mulier, me nec fiet, nec fuit,
Tali viro quæ nubserim : heu miseræ mihi!
Hem, quoi te, et tu quæ habeas, conmendes viro!
Hem, quoi decem talenta dotis detuli,
Hæc ut viderem, ut ferrem has contumelias!
LYS. Perii, hercle! rure jam rediit uxor mea :
Vidisse eam credo mulierem in ædibus.
Sed quæ loquatur, exaudire hinc non queo.
Adcedam propius. DOR. Væ miseræ mihi! LYS. Imo mihi.
DOR. Disperii! LYS. Ego quidem, hercle, oppido perii miser!
Vidit. Ut omneis te Demipho di perduint!
DOR. Pol, hoc est ire quod rus meus vir noluit.
LYS. Quid nunc ego faciam nisi ut adeam, atque adloquar?
Jubet salvere suos vir uxorem suam.
Urbani fiunt rustici. DOR. Pudicius
Faciunt illi quam qui non fiunt rustici.
LYS. Num quid delinquont rustici? DOR. Ecastor, minus

3. *Te, et tu quæ habeas*, te et tua bona. Locutio nuptiarum solennis.

11. *Ut*, utinam. N.

14. *Suos vir uxorem suam*. Hunc dicendi modum temere nimis *inusitatum* appellarunt : quum etiam Plautus qui romanæ linguæ lex quædam fuit; etiam Terentius, qui veteris novique Latii lima quædam habitus est, ita et scripserint, et scripta totius urbis judicio approbarint. Cicero pro Sulla : « Sulla, si sibi suus pudor et dignitas non prodesset, nullum auxilium requisivit ». SCAL.

15. *Urbani fiunt rustici*. Dependent hæc a gestu. Lysimachus uxorem suam comiter salutaverat. Dorippa uxor irata, ac idcirco muta et immota, ut stipes, marito salutem non reddiderat. Ergo maritus addit : *Urbani fiunt rustici*. Qui urbe relicta rus sæpe eunt, ex urbanis fiunt rustici, rusticos mores pro urbanis induunt. BOXH.

17. *Num quid delinquont*, etc. An rusticorum mos est, ut delinquant. Nam delictum est, ultro comiter salutantem truci vultu et silentio excipere. N.

Quam urbani, et multo minus mali quærunt sibi.
LYS. Quid autem urbani deliquerunt? dic mihi.
DOR. Quoja illa mulier intus est? LYS. Vidistine eam?
DOR. Vidi. LYS. Quoja ea sit, rogitas? DOR. Resciscam tamen:
Cupio, hercle, scire: sed tu me tentas sciens.
LYS. Vin' dicam quoja est; illa, illa... edepol, væ mihi!
Nescio quid dicam. DOR. Hæres? LYS. Haud vidi magis.
DOR. Quin dicis? LYS. Quin, si liceat. DOR. Dictum oportuit.
LYS. Non possum, ita instas: urges quasi pro noxio.
DOR. Scio, innoxius. LYS. Audacter quamvis dicito.
DOR. Dic igitur. LYS. Ego dicam. DOR. Atqui dicundum 'st tamen.
LYS. Illa est... num etiam vis nomen dicam? DOR. Nihil agis.
Manifesto teneo, in noxia es. LYS. Qua noxia?
Ista quidem illa est... DOR. Quæ illa est? LYS. Illa... DOR. Iohia!
LYS. Jam si nihil usus esset, jam non dicerem.

21. DOR. *Resciscam tamen.* Non putem aliquid hic mutandum, aut transponendas personas esse. Lysimachus rogando roganti responderat, quasi nesciret, cuja esset ea mulier, quæ erat intus: respondet Dorippa: se nihilominus id cognituram; id velle scire, a sciente marito se tentari. Neque obstat quod femina per Herculem juret, contra morem. Est enim sermo perturbatæ, a qua receptæ loquendi leges non observantur. BOXH.

22. *Tentas.* Me captas, conaris fallere. — *Sciens* de industria. Cf. Asin. III, 2, 22. N.

24. *Haud vidi magis.* Cf. Capt. III, 4, 29. N.

27. *Quamvis.* Conf. Epid. I, 1, 13. N.

28. *Tamen*, licet refugias. Vide 21. N.

29. *Nihil agis* cavillando, frustra argutaris. N.

32. *Jam non dicerem.* Recte hic se habet vulgata lectio. Turbata hominis est oratio ac nescientis quid velit dicere. Quum toties diceret, *illa*, et urgeret uxor, ut nomen mulieris vellet dicere, quum in manifesto teneretur crimine, aliena dicit, et quæ nullum plane significatum habeant; quum enim videatur velle hoc dicere, si nihil usus esset, se nomen illius posse edere: ita enim sæpe nobis usu ve-

DOR. Non tu scis quæ sit illa? LYS. Imo etiam scio:
De istac sum judex captus. DOR. Judex! jam scio;
Huc tu in consilium istam advocavisti tibi.
LYS. Imo sic sequestro mihi data est. DOR. Intellego.
LYS. Nihil, hercle, istius quidquam 'st. DOR. Numero purgitas.
LYS. (secum.) Nimium negoti reperi: enim vero hæreo.

SCENA QUARTA.

COCUS, LYSIMACHUS, DORIPPA, SYRA.

COC. Agite, ite actutum: nam mi amatori seni
Coquenda 'st cœna: atque equidem quom recogito,
Nobis coquenda 'st, non quoi conducti sumus.
Nam qui amat, quod amat, si id habet, id habet pro cibo:
Videre, amplecti, osculari, adloqui.

nit, ut aliud agentibus succurrant, quæ in memoriam non veniunt sedulo ea quærentibus: quum igitur hoc vellet dicere, *si nihil usus esset, jam dicerem*, pro eo præter exspectatum dixit, jam non dicerem. Quia sane non erat mens ejus nec voluntas, ut nomen ejus mulieri auxori sane indicaret. Talia multa ὀξύμωρα reperiuntur in comicis, et in Plauto præcipue. SALM.

34. *Jam scio*, credo. Cf. Capt. III, 4, 55. N.

35. *In consilium istam advocavisti tibi*. Facete scriptum ex consuetudine antiqua. Nam qui judex olim captus vel datus erat, is sibi qui in consilio essent, amicos advocabat; ut verius et melius de re cognosceret et judicaret (vide Cicer. Verr. IV), iique subselliia iisdem considebant, ut et in tribunali, qui a magistratibus advocabantur. Cicer. de Orat. I. Est autem hic sermo irrisionis amaræ plenus. TURNEB.

36. *Sic sequestro mihi data est. Sequester* dicitur, apud quem plures rem, de qua controversia est, deponunt. Græcis ὁ μέσος et μεσέγγυος, id est, *interventor*. Hinc etiam liquet, homines quoque apud sequestros deponi potuisse; sed et judicibus olim datos fuisse. Quæ autem res mobilis apud sequestrum non posita fuerit, eam in æde sive fano custoditam esse. RÆV.

37. *Istius*, quod suspicaris. — *Numero purgitas*. Qui nimis cito se purgare conantur, eo ipso se videntur accusare. *Numero* id significare, neminem qui Plautum modo legerit, potest latere. SALM. — Cf. Casin. III, 5, 11. N.

4. *Nam qui amat*. Vere et scite ni-

Sed nos confido onustos redituros domum.
Ite hac : sed eccum qui nos conduxit, senex.
LYS. Ecce autem, perii! cocus adest. COC. Advenimus.
LYS. Abi. COC. Quid? abeam? LYS. St, abi. COC. Abeamne?
LYS. Abi.
COC. Non estis cœnaturi? LYS. Jam saturi sumus.
Sed interii! DOR. Quid ais tu? etiamne hæc illi tibi
Jusserunt ferri, quos inter judex datus?
COC. Hæccine tua est amica, quam dudum mihi
Te amare dixti, quom opsonabas? LYS. Non taces?
COC. Satis scitum filum mulieris : virum, hercle, avet.
LYS. Abin' dierectus? COC. Haud mala est. LYS. At tu malus.
COC. Scitam, hercle, opinor satis concubinam hanc. LYS.
Non abis?
Non ego sum, qui te dudum conduxi. COC. Quid est?
Imo, hercle, tu istic ipsus. LYS. Væ misero mihi!

mis amantium sententias exprimit hæc sententia. Et rara dicendi venus est, *habere pro cibo*; qua usus est et alibi : « Qui pro cibo habeas te verberari ». DOUZ.

6. *Onustos*, saturos, probe saburratos.

11. *Quid ais tu?* Cf. Aulul. IV, 9, 7. N.

15. *Filum mulieris*. Pro forma mulieris hoc loco dixit Plautus; nam *filum* idem omnino est quod *lineamentum*, Græcis χαρακτὴρ, περιγραφὴ εἴδους. Lucret. lib. II : « Debent nimirum non omnibus omnia prorsus Esse pari filo, similique affecta figura ». Inde *filo pares*, vel *filopares* quæ pari filo, similique figura sunt affectæ. SALMAS. — *Virum, hercle, avet*. « Verum, hercle, amet » habent libri. Pro quo recte a Gulielmo repositum : « virum, hercle, avet ». *Amet* scriptum fuit pro *abet*, ut istæ duæ literæ invicem sæpe permutantur. *Scitum*, inquit, *filum mulieris*, et quæ virum quærere videtur et *avere* : « Quæ rubet ac pallet, quæ tot suspiria ducit Pectore, quid credas hanc sibi velle? virum ». De juvenibus etiam nimis comptis et in muliebrem modum ornatis dicebant : *hæc virum quærunt*. De scita muliere ac formosa tanto magis id dixeris. SALMAS. — Quæ dicitur *amare virum*, certum aliquem habet propositum, in quo amor ejus fixus sit : at *avere virum*, est, quærere, venari, captare incertum. GRON.

16. *Dierectus*. Cf. Bacch. IV, 1, 7. — *Haud mala*. Conf. ibid. V, 2, 42. — *At tu malus*. Ambiguitatis lusus. N.

19. *Istic*. Vulgo *istuc*, nullo sensu. Cf. Amph. II, 1, 25. N.

COC. Nempe uxor ruri est tua, quam dudum dixeras
Te odisse æque atque angueis. LYS. Egon' istuc dixi tibi?
COC. Mihi quidem, hercle. LYS. Ita me amabit Jupiter,
Uxor, ut ego illud nunquam dixi. DOR. Etiam negas?
COC. Non te odisse aibat, uxorem verum suam.
DOR. Palam istæc fiunt, te me odisse. LYS. Quin nego.
COC. Et uxorem suam ruri esse aibat. LYS. Hæc ea est.
Quid mihi molestus? COC. Quia me non gnovisse ais.
Ni metuis tu istanc. LYS. Sapio; nam mihi unica'st.
COC. Vin' me experiri? LYS. Nolo. COC. Mercedem cedo.
LYS. Cras petito, dabitur: nunc abi. DOR. Heu miseræ mihi!
LYS. Nunc ego verum illud verbum esse experior vetus:
Aliquid mali esse propter vicinum malum.
COC. Cur heic adstamus? quin abimus? incommodi
Si quid tibi evenit, id non est culpa mea.
LYS. Quin, me eradicas miserum. COC. Scio jam quid velis,
Nempe hinc me abire vis. LYS. Volo, inquam. COC. Abibitur,
Drachmam dato. LYS. Dabitur. COC. Dari ergo, sis, jube.
Dari potest interea dum illi ponunt. LYS. Quin abis?
Potin' ut molestus ne sis? COC. Agite, adponite
Opsonium istuc ante pedes illi seni.
Hæc vasa aut mox, aut cras jubebo abs te peti:

23. *Etiam negas?* Cf. Casin. III, 6, 8. N.

28. *Ni metuis tu istanc. Ni* pro *ne* interrogativa censent positam; quod Bothius negat, et scribit *ne*. Omnes interpretantur « metuisne », quasi anastrophen. Haud facile huic enarrationi acquiescam. Etenim inter priorem versum et hunc videlicet aliquid elapsum oportuit. Nam hiulcus sensus est; et sequentia « sapio; nam, etc. » ad verbum « sapere », quod in oratione coqui insertum esset, respiciunt. Itaque sic fere sententiam, quæ exciderit, divinare tentarem: « At tu, hercle, vero, cœnatum ibis, si sapis, ni metuis t. i. » N.

29. *Cedo*, da. N.

34. *Id non est culpa mea.* Sic ambo MSS et noster Lugdunensis. Recentiores τὸ *id* deleverant. Sed scribendum: « Si quid tibi evenit, at non est culpa mea ». Sic Captiv. III, 5, 26. Vide ad Livium, XXIV, 37. GRON.

38. *Dum illi ponunt* discipuli mei obsonium. ERN.

Sequimini. (abeunt.) LYS. Fortasse te illum mirari cocum,
Quod venit, atque hæc adtulit : dicam quid est.
DOR. Non miror, si quid damni facis, aut flagiti.
Nec, pol, ego patiar, sic me nubtam tam male,
Measque in ædeis sic scorta obductarier.
Syra, i, rogato meum patrem verbis meis,
Ut veniat ad me jam simul tecum. SYR. Eo.
LYS. Nescis, negoti quid sit, uxor, obsecro:
Conceptis verbis jam jusjurandum dabo,
Me nunquam quidquam cum illa : jamne abiit Syra?
Perii, hercle! ecce autem hæc abiit : væ misero mihi!
At te, vicine, di deæque perduint,
Tua cum amica cumque amationibus.
Suspicione inplevit me indignissume;
Concivit hosteis. Domi uxor est acerruma.
Ibo ad forum, atque Demiphoni hæc eloquar,
Me istanc capillo protracturum esse in viam,
Nisi hinc abducit, quo volt, ex hisce ædibus.
Uxor, heus uxor, quamquam tu irata es mihi,
Jubeas, si sapias, hæc intro hinc abferrier :
Eadem licebit mox cœnare rectius.

SCENA QUINTA.

SYRA, EUTYCHUS.

SYR. Hera quo me misit ad patrem, non est domi :

46. *Scorta obductarier.* In conspectum duci. Lucanus : « tenebræ obduxere oculos ». Cic. « cicatricem reip. jam obductam refricare ». ERN.

47. *Rogato meum patrem*, etc. Cf. Menæchm. V, 1, 34 seq. — *Verbis meis.* Cf. Amph. III, 3, 12. N.

52. *Hæc abiit*, uxor. N.

56. *Domi uxor est.* Habeo uxorem. Vid. Cistell. II, 1, 2. N.

58. *Istanc*, Pasicompsam. N.

62. *Eadem.* Scil. opera, vivemus lautius. TAUBM. — Cf. Bacch. I, 1, 15. N.

1. *Quo*, ad quem.—*Non est* pater. Nota hujus orationis inversionem. N.

Rus abiisse aibant : nunc domum renuncio.
Ecastor, lege dura vivont mulieres,
Multoque iniquiore miseræ, quam viri.
Nam si vir scortum duxit clam uxorem suam,
Id si rescivit uxor, inpune 'st viro.
Uxor viro si clam domo egressa 'st foras,
Viro fit causa, exigitur matrimonio.
Utinam lex esset eadem, quæ uxori est, viro!
Nam uxor contenta est, quæ bona est, uno viro.
Quî minus vir una uxore contentus siet?
Ecastor, faxim, si itidem plectantur viri,
Si quis clam uxorem duxerit scortum suam,
Ut illæ exiguntur, quæ in se culpam conmerent;
Plures viri sint vidui, quam nunc mulieres.
EUT. Defessus sum urbem totam pervenarier,
Nihil investigo quidquam de illa muliere.
Sed mater rure rediit, nam video Syram
Adstare ante ædeis. Syra. SYR. Quis est, qui me vocat?

3. *Ecastor*, etc. Hunc et seqnentes versns duodecim huc, auctore Bnthin, retraxi, qui minus commode post duas suppositas scenas in vulgatis cnmparent. N.

4. *Multoque iniquiore*, etc. Eadem sententia quædam cantilenæ strophe in nostrate scena decantata est, nou ad hujus loci, opinnr, imitamentum, quem poeta gallicus igunravit : *qu'un mari sa foi trahisse*, etc. At callidi ambo morum taxatores idem vitium eodem commentn perstrinxerunt. N.

8. *Exigitur matrimonio.* Facile inducnr, antiquitus repudiaturos conjuges adjecisse causam : ideoqne assentinr F. Ursino retineuti Phil. Cic. II : « Mimam suas res sibi habere jussit : ex XII tabulis causam addidit, exegit ». Et huc respicit hic Syra : item ipsius *repudii* etymon, quod allegat Festus : « Repndium, Verrius ait dictum, quod fit ob rem pudendam ». Si sic, eam ipsam rem enuntiasse, fit simile vero. GRUTER. — Nnta anacoluthum, pro « ea fit causa viro cnr exigatur matrimonio mulier ». Cf. Amph. II, 2, 222. N.

10. *Contenta... uno viro.* Multa videas mulierum epitaphia ubi hæc quasi solennis formula : « uno contenta maritn ». N.

11. *Quî minus*, etc. Cato apud Gell. X, 23 : « in adulterin uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impune necares; illa te, si adulterares, digito nnn auderet conntingere; neque jus est ». N.

12. *Ecastor, faxim.* Conf. Capt. prol. 65. N.

EUT. Herus atque alumnus tuos sum. SYR. Salve, alumne mi.
EUT. Jam mater rure rediit? responde mihi.
SYR. Sua quidem salute ac familiæ maxuma.
EUT. Quid istuc negoti 'st? SYR. Tuos pater bellissumus
Amicam adduxit intro in ædeis. EUT. Quomodo?
SYR. Adveniens mater rure eam obfendit domi.
EUT. Pol, haud censebam istarum esse operarum patrem.
Etiam nunc mulier intu'st? SYR. Etiam. EUT. Sequere me.

Hisce vett. editiones continuo ista attexunt:

Quid? Peristratam heic Demiphonis contuor?
Gradus grandit, emittit oculos, circumfert se, obstipat verticem.
Adservabo hinc rerum quid gerat: magnum est, quidquid quæritat.

22. *Quidem salute.* Supple *cum.* I. e. salva ipsa, salvisque suis. Formula solemnis. Cf. Rudent. IV, 2, 5. N.

23. *Quid istuc*, etc. Quod est negotium, cujus causa satagis ambulans? N.

26. *Istarum esse operarum.* I. e. ejusmodi operas edere. Sic etiam Liv. lib. III, 36: « Pater indignitate rerum cesserat in agros, suarumque rerum erat, amissa publica ». GRONOV. — Cf. Amph. prol. 105. N.

QUAM SCENAM STATIM EXCIPIUNT DUÆ ALIÆ.

PERISTRATA, SYRA, LYCISSA.

« PER. Diva Astarte, hominum deorumque vis, vita, salus: rursus eadem quæ est
« Pernicies, mors, interitus, mare, tellus, cælum, sidera.
« Jovis quæcunque templa colimus, ejus ducuntur nutu, illi obtemperant,
« Eam spectant: quod illi displicet, facile excludunt cæteri.
« Quidquid complacitum, id sequontur, quæ vivont omnia, atque sentiunt.

« Alios enicat, exstinguit, alios suo lacte fovet, atque erigit : sed quos enicat,
« Hi vivont, et sapiunt : quos properat alere, ac erigere,
« Ii quidem confestim pereunt, atque male sapiunt miseri.
« Jacent benevolenteis, odiosi humum mordent, caput reptant,
« Fremunt, perstrepuntque : quomque putant vivere, tunc ruunt maxume ;
« Tunc, tunc student persequi, labant juvenes, itidem rapiuntur senes.
« Illi se amant : quod amant, amatum volunt, atque cognitum.
« Illi vero si amare ea ætate obcœperunt, multo insaniunt acrius.
« Verum si non amant, oderunt, molesti itidem, atque difficiles ;
« Garruli, osores, infensi, iracundi, sibi suisque invidi.
« Quod in se olim admisere turpiter, id si fiat modestius,
« Nec tolerant, ut æquom est patres : sed clamant, indecenter obstrepunt.
« SYR. Quantum intellego, et hanc male habet Demipho. PER. Id verum.
« Amat filius et perit; id quom resciscit pater, insanit vehementius.
« Quæ istæc intemperies ? abegit vir meus olim ipse ad mercatum Rhodum filium :
« Nunc ut fert Acanthio, ipse sibimet faciet exsilium.
« O iniquom patrem, o infortunatum filium, quo te recipies ?
« Ubi matrem relinques ? sola degam ? filium amittam ? non patiar.
« Vendidit pater ? ubi ubi erit inventa, mater redimet.
« Dic tu Lycissa, num in hanc viciniam adductam autumant ?

« LYC. In hanc opinor, in amici senis quojusdam ædeis. PER. Hic, præter Lysimachum,
« Nullus quem sciam. SYR. Lysimachum nominant.
« Mirum ni senes vicini in unum nidum conspiraverint.
« PER. Dorippam ejus uxorem conveniam. LYC. Quid convenias? non eam vides?
« PER. Video equidem : auscultemus nescio, quid secum iracunda mussitat. »

DORIPPA, SYRA, LYCISSA, PERISTRATA.

« DOR. Syra non redit, quam adcersitum patrem, jamdiu est quod miseram :
« Tarda nimium aut lapis obriguit, aut angue demorsa cessavit turgida.
« SYR. Nulla sum, adest hera, me quærit. DOR. Domi manere nequeo :
« Bellulam istanc pellicem mei non patiuntur oculi : exclusissem foras,
« At me meus continuit Eutychus : sed omnino quod fert non creduam.
« LYC. Audin' hera? PER. Audio : sine pergat. LYC. Sino. DOR. Amici inquit senis
« Gratia huc ad nos venisse : habet venalem, amanti dum detrahat filio.
« Hæcquidem aut viri aut gnati fallacia : dissident sententiæ.
« Sequestro vir ait datam : eamdem vero venalem dicit filius.
« SYR. Ibo de improviso obviam, ne cessasse intellegat. DOR. Istæc filio
« Non credam, qui obsequitur patri : huic vero ut mero cuculo,
« Id certum est mentiri ampliter : equidem coquo creduam.
« Eccam Syram, ut currit venefica. Syra ! SYR. Quis me vocat?

« DOR. Malum quod di tibi danunt. SYR. Hera, si sapis, hoc potius
« Tuæ pellici, et marito dato. DOR. Ob istuc dictum tibi non amplius irascor.
« Sed ubi pater? quid cessat? an hominem podagra impedit?
« SYR. Nec podagricus nec articularius est, quem rus ducunt pedes.
« DO. Non domi? SY. Non. DO. Ubi? SY. Ruri esse autumant.
« Atque numquid redeat incertum hodie : cum villico rationis satis.
« DOR. Omnia mihi hodie eveniunt præter sententiam : non vivam vesperi,
« Nisi illanc a me scelestam abigam : eo domum. LYC. Hera! Abit.
« PER. Hem, abit? conpella. LYC. Dorippa, Dorippa. DOR. Quid molestiæ
« Hoc est? quis me revocat? PER. Non sum molesta : sed benevolens,
« Et amica te conpellat tua Peristrata : mane quæso.
« DOR. Hem Peristrata, te pol non noram : mala bilis cruciat
« Me atque exagitat. PER. Istuc volo, quæso, ne neges,
« Te audivi modo: dic mihi, quæ te nunc habet solicitudo?
« DOR. Peristrata, sic di tibi unicum gnatum sospitent, da mihi benignius operam,
« Nulla dari mihi poterit melius; par est ætas; una crevimus,
« Pares ætate habemus viros; nulli colloquar lubentius.
« Sollicitor merito quidem, quid tibi animi esse nunc possiet,
« Si amicam hac ætate ante oculos tuus adduxerit Demipho?
« PER. Adduxit? DOR. Factum. PER. Domi est? DOR. Domi : imo coqui
« Conducti : parabatur convivium, ni meus disturbasset adventus omnia.
« Senem miserum Venus et Cupido alieno satis vexant tempore.

« PER. Sed ista levia sunt, Dorippa : utinam non ego essem miserior !
« DOR. Levia? PER. Levia quidem. DOR. Quæ pejora tibi tuus faceret ?
« PER. Imo pejoribus pejora. DOR. Quæ istæc sunt ? quæso, loquere :
« Ut tu mihi, ego tibi, quæ facto opus sunt demus consilium.
« Vetus id dictum est, feliciter is sapit, qui periculo alieno sapit.
« PER. Unicus mihi, Dorippa, est gnatus : scis ? DOR. Scio. PER. Hunc pater
« Olim a se extrusit Rhodum. DOR. Quare? PER. Quoniam amaret.
« DOR. Ob id ipsum? PER. Id quidem nunc quoque, quom ancillam domum
« Adduxisset, hanc resciscens pater produxit, venalem præbuit.
« DOR. Atat novi : verum dixerat filius : ego mariti amicam putabam mei.
« Quoi data est? PER. Seni quoidam in hac amico vicinia.
« Credo heic alium, præter tuum, amicum habere neminem.
« DOR. Ea quidem est. Quid filius? PER. Urbem hanc se deserturum autumat.
« DOR. In portu res est : quid si invenerit ? PER. Mansurum credito.
« DOR. Præter spem salvæ sumus, ne dubita : apud me ea est.
« PER. Apud te? ea erat opinor, de qua loqui te audivi modo.
« DOR. Ea. PER. O factum bene : merito te amo, restituisti filium.
« Fac videam. DOR. Eamus intro. PER. Eamus. Lycissa ades,
« Acanthioni hæc nuncia : ego ad Dorippam huc devortam.»

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

CHARINUS.

Limen superum inferumque, salve, simul autem vale.
Huc hodie postremum extollo mea domo patria pedem.
Usus, fructus, victus, cultus jam mihi harunc ædium
Interemtu'st, interfectu'st, alienatu'st: obcidi!
Dii penates meum parentum, familiæ Lar pater,
Vobis mando, meum parentum rem bene ut tutemini.
Ego mihi alios deos penateis persequar, alium Larem,
Aliam urbem, aliam civitatem: ab Atticis abhorreo.
Nam ubi mores deteriores increbrescunt in dies,
Ubi, qui amici, qui infideleis sint, nequeas pergnoscere,
Ubique id eripiatur, animo tuo quod placeat maxume,
Ibi quidem si regnum detur, non est cupita civitas.

SCENA SECUNDA.

EUTYCHUS, CHARINUS.

EUT. Divom atque hominum quæ spectatrix atque hera
eadem es hominibus,
Spem speratam quoniam obtulisti hanc mihi, grates ago.

1. *Limen superum inferumque, salve.* Limina cöli et salutari solita ad instar numinum, vel ostendat solus deus, *Limentinus* dictus. Tertullianus Barnum quemdam et Forculum, et Limentinum deos conjungit in Scorpiace. Idem lib. de Corona, *Limentinum* a *limine* dictum docet. Boxh.

3. *Victus, cultus.* Actio ibi convivendi et incolendi.

1. *Spectatrix*, etc. Vid. III, 4, 12.

Ecquisnam deus est, qui mea nunc lætus lætitia fuat?
Domi erat quod quæritabam : ibi sex sodaleis reperi,
Vitam, Amicitiam, Civitatem, Lætitiam, Ludum, Jocum.
Eorum inventu res decem simitu pessumas pessumdedi,
Iram, Inimicitiam, Stultitiam, Exitium, Pertinaciam,
Mœrorem, Lacrumas, Exsilium, Inopiam, Solitudinem.
Date, di, quæso, conveniundi mi ejus celerem copiam.
CHAR. Adparatus sum, ut videtis : abjicio superbiam.
Egomet mihi comes, calator, equus, agaso, armiger;
Egomet sum mihi inperator, idem egomet mihi obedio:
Egomet mihi fero, quod usu'st: o Cupido, quantus es!
Nam tu quemvis confidentem facile tuis factis facis,
Eumdem ex confidente actutum diffidentem denuo.
EUT. Cogito, quonam ego illum curram quæritatum.
CHAR. Certa re'st,
Me usque quærere illam, quoquo hinc abducta 'st gentium.
Neque mihi ulla obsistet amnis, neque mons, neque adeo mare;
Nec calor, nec frigus metuo, neque ventum, neque grandinem.

3. *Ecquisnam deus.* Quisnam deus est qui ita lætus sit, ita gaudeat, ut ego gaudeo? Pro *fuat*, Palatini codices habent *fiet*. Unde *siet* hic legi malim. BOXH.

5. *Vitam, Amicitiam*, etc. Hæc omnia sibi inventa existimat, quæ restituit amico. N.

9. *Date, di*, etc. Facite celeriter ut eum, Charinum, conveniam. N.

10. *Abjicio superbiam.* Hoc eo dicit, quod eat, ut pauperes, sine comite, servo, equo et ceteris ad iter necessariis. LAMB.

12. *Egomet sum*, etc. Sic fere Ovidius, Met. VIII, 636 : « Tota domus duo sunt; idem parentque jubentque ». N.

18. *Ulla obs. amnis.* Nonius et Priscian. docent veteres vocem *amnis* et feminine protulisse. SCHMIED.

19. *Nec calor.* Notabam *calor* hic positum neutro genere, pro *calus*: ut *ador* et *adus* : *decor* et *decus*. Nec dubitabam quin ad hanc faciem corrigendus apud Nonium locus in *calor*; inepte enim ibidem legitur *calorem*; quum adducat exempla, quæ utrumque recipiant genus. Sed et Jun. Philargyrus ad Virg. Georg. II, vs. 349, ita citat hunc versum : « Neque frigus, neque calor metuo, neque ventum, neque grandinem ». *Calor*, inquit, pro *calorem* : aliter hypermetrus versus erit. GRUTER.

Imbrem perpetiar, laborem subferam, solem, sitim.
Non concedam, neque quiescam usquam noctu, neque interdius,
Prius profecto, quam aut amicam aut mortem investigavero.
EUT. Nescio quoja vox ad aurem mihi advolavit. CHAR. Invoco
Vos, lares vialeis, ut me bene juvetis. EUT. Jupiter!
Estne illic Charinus? CH. Civeis, bene valete. EUT. Inlico
Sta, Charine. CHAR. Qui me revocat? EUT. Spes, Salus, Victoria.
CHAR. Quid me voltis? EUT. Ire tecum. CHAR. Alium comitem quærite.
Non admittunt hi me comites, qui tenent. EUT. Qui sunt ei?
CHAR. Cura, Miseria, Ægritudo, Lacrumæ, Lamentatio.
EUT. Repudia istos comites, atque hoc respice, et revortere.
CHAR. Si quidem mecum fabulari vis, subsequere. EUT. Sta inlico.
CHAR. Malefacis, properantem qui me conmorare. Sol abit.
EUT. Si huc item properes, ut istuc properas, facias rectius,
Huc secundus ventus nunc est, cape modo vorsoriam:

21. *Non concedam. Concedere* est quiescendi causa aut consistendi, in locum quempiam secedere. Rud. « Paulisper remitte restem, dum concedo et consulo ». TAUBM. — *Interdius*. Cf. Asin. III, 3, 9. N.

24. *Invoco vos, lares vialeis. Lares viales* dii sunt, qui viæ præsunt, ut siut θεοὶ ἐνόδιοι: quos invocare solent, qui peregre proficiscuntur, et ad viam se accingunt: quo etiam cognomento colebatur Mercurius. TURN. — Deos peculiares *semitales*, hoc loco, *lares viales* vocat Plautus. Est et *Bivia* dea Arnobio. Nam in ambiviis et triviis olim carri et cisia conducebantur, hinc igitur *Semitales dii*. Sed et *dii Vii*. SCAL. — Sed vide mihi not. Bacch. II, 1, 3. ERN.

30. *Hoc*, huc, ad me. Cf. Curc. II, 2, 20. N.

32. *Malefacis*. Ut locutio *benefacis* gratias est agentis (conf. Casin. II, 6, 44), sic ea nunc recusantis. N.

34. *Vorsoriam. Versoria* proprie dicitur funis ille nauticus, quo ad captandum a latere ventum in obliqua velificatione vertitur velum. Intelligitur autem vocabulum *ru-*

Heic favonius serenu'st, isteic auster imbricus:
Hic facit tranquillitatem, iste omnes fluctus conciet.
Recipe te ad terram, Chariue, huc: non ex advorso vides,
Nimbus ut ater imberque instat? Aspicias nunc ad sinistram
*Cælum ut est splendore plenum, ex advorso vides.
CHAR. Religionem illic objecit: recipiam me illuc. EUT. Sapis,
O Charine, contra pariter fer gradum, et confer pedem,
Porrige brachium, prehende: jam tenes? CHAR. Teneo. EUT. Tene.
Quo nunc ibas? CHAR. Exsulatum. EUT. Quid ibi facere vis? CHAR. Quod miser.
EUT. Ne pave, restituam jam ego te in gaudia, antequam is. CHAR. Eo.
EUT. Maxume quod vis audire, id audies quod gaudeas.
Sta inlico, amicus advenio multum benevolens. CHAR. Quid est?
EUT. Tuam amicam..... CHAR. Quid eam? EUT. Ubi sit ego scio. CHAR. Tun' obsecro?
EUT. Sanam et salvam. CHAR. Ubi eam salvam? EUT. Quo ego scio. CHAR. Ego me mavelim.
EUT. Potin' ut animo sis tranquillo? CHAR. Quid si animus fluctuat?

dentem, quod funem nauticum significat, et feminini generis esse patet ex Rudent. IV, 3, 1. Vid. etiam not. Rud. IV, 3, 19. GRON.*

39. *Ex advorso*, in fronte, quum ad sinistram conversus eris. Forte hæc dicens commonstrabat ædes, ubi Pasicompsa. N.

40. *Religionem illic objecit.* Sic Horatius religionem objicit Galateæ profecturæ, ab omine: scilicet ab exemplo Europæ. Suetonius dixit, *afferre cui religionem*. SCALIGER. — Eutychus a vs. 36 ad 39 cælum sodali monstrasse videtur, ab ea parte quo ille properabat, nubilum forte, ab altera vero parte unde fugiebat, serenum splendidumque, quibus ominibus a fuga se deterreri patiatur. SCHMIED.

41. *Contra*, etc. Cf. Aul. VI, 1, 6.

44. *Is.* CHAR. *Eo.* Abis, abeo. N.

48. *Ego me mavelim* scire quam te. N.

EUT. Ego istum in tranquillo et tuto sistam, ne time.
CHAR. Obsecro te, loquere ubi sit, ubi eam videris.
Quid taces? dic : enicas me miserum tua reticentia.
EUT. Non longe hinc abest a nobis. CHAR. Quin ergo conmonstras, si tu vides?
EUT. Non video, hercle, nunc, sed vidi modo. CHAR. Quin, ego videam, facis?
EUT. Faciam. CHAR. Longinquom istuc amanti est. EUT. Etiam metuis? omnia
Conmonstrabo : amicior mihi nullus vivit, atque is est,
Qui illam habet, neque est quoi magis me velle melius æquom siet.
CHAR. Non curo istuc, illam quæro. EUT. De illa ergo ego dico tibi.
Sane hoc non in mentem venit dudum, uti tibi [dicerem].
CHAR. Dic igitur, ubi illa est? EUT. In nostris ædibus. CHAR. Ædeis probas,
Si tu vera dicis, pulchre ædificatas arbitror.
Sed quid ego istuc credam? vidistin'? an de audito nuncias?
EUT. Egomet vidi. CHAR. Quis eam adduxit ad vos? EUT. Inique rogas.
CHAR. Vera dicis. EUT. Nihil, Charine, te quidem quidquam pudet.
Quid tua refert, quicum istæc venerit? CH. Dum isteic siet.
EUT. Est profecto. CHAR. Opta ergo ob istunc nuncium quid vis tibi.

55. *Longinquom istuc*, scilicet verbum quod loqueris : *faciam*. Cf. Cistell. I, 1, 77. N.

56. *Nullus vivit. Vivit*, pro *est*. Trin. act. II, 2, « lepidus vivis ». TAUBM.

59. *Sane hoc*, etc. Bothius complevit versum hoc verbo *dicerem*, sed alio transtulit, haud satis pro ratione, neque MSS fretus. Opinor Eutychum nunc ludere, et per ironiam respondere instanti amico : « Sane, scilicet, in mente non erat, ut tibi dicerem de illa ». N.

63. *Inique rogas*. Ultra quam æquum est pergis rogando. Namque pudeat filium fateri adductam a parente. N.

EUT. Quid, si optabo? CHAR. Deos orato, ut ejus faciant copiam.

EUT. Derides. CHAR. Servata res est demum, si illam videro.

Sed quin ornatum hunc rejicio, heus aliquis, heus actutum huc foras

Exite, illinc pallium mihi huc ferte. EUT. Hem nunc tu mihi ut places!

CHAR. Optume adveniens, puere, cape chlamydem atque hæc. Istinc sta inlico :

Ut, si hæc non sint vera, inceptum hoc itiner perficere exsequar.

EUT. Non mihi credis? CHAR. Omnia equidem credo, quæ dicis mihi.

Sed quin introducis me ad eam, ut videam? EUT. Paulisper mane.

CHAR. Quid manebo? EUT. Tempus non est intro eundi. CHAR. Enicas.

EUT. Non opus est, inquam, nunc intro te ire. CHAR. Responde mihi,

Qua causa? EUT. Operæ non est. CHAR. Cur? EUT. Quia non est illi commodum.

67. *Deos orato*, etc. Brix. edit. legit *orabo*, quod præfero; atque in hoc jocus elegantior fuerit, et irrisio apertior. Nam quum optare jussisset Charinus, ipsius erat optatum præstare. Is autem in miseria etiam sua facetus, non se præstiturum quod sodalis exspectabat, sed, quod non exspectabat oraturum deos ait qui præstent. ACID.

69. *Sed quin ornatum*, etc. Sed cur non rejicio chlamydem viatoriam et cetera ad iter instructa. TAUBM.

71. *Atque hæc*. Dat zonam simul, machæram, ampullam. Vide 84-6. — *Istinc sta inlico*, sta prope, ut adsis illico. N.

76. *Non opus est*, etc. Similis jocus apud Molierum, Misanthropo, act. IV, sc. IV : « Veux-tu parler ? — Monsieur, il faut faire retraite. —Comment ?—Il faut d'ici déloger sans trompette.—Et pourquoi ? — Je vous dis qu'il faut quitter ce lieu. —La cause ?—Il faut partir, monsieur, sans dire adieu. — Mais par quelle raison me tiens-tu ce langage ? — Par la raison, monsieur, qu'il faut plier bagage ». N.

CHAR. Itane conmodum illi non est, quæ me amat, quam
ego contra amo?
Omnibus hic ludificatur me modis : ego stultior,
Qui isti credam: conmoratur; chlamydem sumam denuo.
EUT. Mane parumper, atque hoc audi. CHAR. Cape, sis,
puer, hoc pallium.
EUT. Mater irata est patri vehementer, quia scortum sibi
Ob oculos adduxerit in ædeis, dum ruri ipsa abest:
Subspicatur illam amicam esse illi. CHAR. Zonam substuli.
EUT. Eam rem nunc exquirit intus. CHAR. Jam machæra 'st
in manu.
EUT. Nam si eo te nunc introducam..... CHAR. Tollo am-
pullam, atque hinc eo.
EUT. Mane, mane Charine. CHAR. Erras, me decipere
haud potes.
EUT. Neque, edepol, volo. CHAR. Quin tu ergo itiner ex-
sequi meum me sinis?
EUT. Non sino. CHAR. Ego me moror, tu, puere, abi hinc
intro ocius.
Jam in currum escendi, jam lora in manus cepi meas.
EUT. Sanus non es. CHAR. Quin, pedes, vos in curricu-
lum conjicitis

84. *Zonam substuli.* Verba sibi dari putat ab Eutycho Charinus: itaque dicit se zonam sumpsisse, quasi iter inceptum perfecturus. Condebant autem viatores in zona pecuniam, ut et milites. LAMB. — Veteres usi sunt verbo ζώσθαι, pro eo, quod erat, *induere*, præsertim arma: quoniam ζώνη inprimis militi debeatur, sicut de baltheo dicere videtur Justinianus. Inde *Minerva Zostria*, et *Juno Cinxia*; alio tamen fini. Itaque Iliad. X non potuit Homerus tacere Nestoris baltheum: sed eum magnæ ipsi curæ esse scripsit. Inde Plauti jocus hoc loco: *Zonam substuli.* SCALIG.

85. *Machæra 'st in manu.* Græci enim, ut et Romani, non gerebant gladium in urbe. LAMB.

86. *Tollo ampullam.* Mos erat pedes oleo ungere, antequam calceos induerent:. itaque peregre abeuntes ampullam secum portabant, quæ oleum in eum usum suppeditaret. Posterius ex hoc Plauti loco apparet, prius ex Hesychio, cujus ea verba, ἠλείφοντο τοὺς πόδας οἱ ἀρχαῖοι, πρὶν τὸ ὑποδήσασθαι. Hinc λιπαροὶ πόδες apud poetas. MEURS.

In Cyprum recta? quandoquidem pater mihi exsilium parat.
EUT. Stultus es : noli istuc quæso dicere. CHAR. Certum exsequi'st,
Operam ut sumam ad pervestigandum ubi sit illæc. EUT. Quin, domi est.
CHAR. Nam hic quod dixit, id mentitu'st. EUT. Vera dixi equidem tibi.
CHAR. Jam Cyprum veni. EUT. Quin sequere, ut illam videas quam expetis.
CHAR. Percontatus non inveni. EUT. Matris jam iram neglego.
CHAR. Porro proficiscor quæsitum. Nunc perveni Chalcidem ;
Video ibi hospitem Zacyntho; dico quid eo advenerim ;
Rogito quis eam vexerit, quis habeat, si ibi inaudiverit.
EUT. Quin tu istas omittis nugas, ac mecum huc intro ambulas?
CHAR. Hospes respondit, Zacyntho ficos fieri non malas.
EUT. Nihil mentitus est. CHAR. Sed de amica sese inaudisse autumat,

92. *Mihi exsilium parat.* Aliud blanditur doctissimo Grutero, quod recipit ex quadam veteri editione Pareus : *exsilium imperat.* Sed deluduntur ambo, et scripta lectio multo elegantior. Est in eo, quod si effecerit, ego exsul ero. Sic Livio, I, Quintus Fabius Rullianus pater ad L. Papirium Cursorem : « nec ætas mea, cui tu orbitatem paras ». Ennius Telamone, apud Festum in Obsidionem : « Scibas natum ingenuum Ajacem, cui tu obsidionem paras ». GRON.

99. *Video ibi hospitem Zacyntho. Hospes Zacyntho*. hospes est Zacynthius, vel a Zacyntho : Ζακυνθόθεν, Λεσβόθεν, etc. Sic Terent. « Uxor Lemno : anus Corintho, Vinum Chio ». TURN.

102. *Zacyntho ficos fieri non malas.* Quam sententiam habet? Opinor dici, ut fici, quæ acerbæ immaturæque insuavitatem habent; percoctæ tandem ad suavitatem et dulcedinem mitescunt : sic ejus juventutem acerbam esse etiamnum et indomitam, quæ ætate emansuescet et domabitur. Sic enim obliqua figura sermonis adolescens perstringitur. Immo simpliciter vult : Hospitem nihil ad me respondisse : sed quærenti poma, obtrusisse pira. TURN.

Heic Athenis esse. EUT. Calchas iste quidem Zacynthiu'st.
CHAR. Navem conscendo, proficiscor inlico, jam sum domi.
Jam redii exsilio : salve mi sodalis Eutyche :
Ut valuisti? quid, parenteis mei valent? cœna dabitur.
Bene vocas, benigne dicis : cras apud te, nunc domi.
Sic decet, sic fieri oportet. EUT. Eho, quæ tu somnias!
Hic homo non sanus est. CHAR. Medicari amicus quin properas?
EUT. Sequere, sis. CHAR. Sequor. EUT. Clementer, quæso, calceis deteris.
Audin' tu? CHAR. Jamdudum audivi. EUT. Pacem conponi volo
Meo patri cum matre: nam nunc est irata... CHAR. I modo.
EUT. Propter istanc. CHAR. I modo. EUT. Ergo cura..... CHAR. Quin tu ergo i modo.
Tam propitiam reddam, quam quum propitia est Juno Jovi.

104. *Calchas iste.* Id est, verus vates.

107. *Cœna dabitur.* Cf. Bacchid. II, 2, 8. N.

108. *Bene vocas.* Tibi grates ago, quod voces me ad cœnam. Hæc locutio valet: « bene facis quod, etc. » Vid. Curcul. II, 2, 22. N.

110. *Medicari amicus.* Si non sanus sum : cur tu, qui te amicum profiteris, mihi non mederi properas? *Properas* autem pronuntiandum κατὰ συγκοπὴν, *propras.* CAMER.

111. *Clementer, quæso, calceis deteris.* Mira decori observatio est; ubi Charinus, cui, ut amatori, res omnes pro spisso videbantur procedere, ad amicam in ædes festine nimis introire gestiens, sodali illi suo, pone subsequendo, calces fingitur deterere. DOUZA.

113. *I modo.* Veni. Conf. Bacch. V, 2, 67. Nullam moram neque fert, neque audit prægestiens convenire amatam. N.

114. *Cura.* Mandata prædicturus erat, si Charinus moræ impatiens audire vellet. N.

115. *Jovi.* Qui lusus hac tota scena luditur, tum deponendæ vestis viaticæ, tum resumendæ, dein per urbes peregrinandi adsimulatio, derisorii magis est quam ad veritatem proxime accedentis artificii. Talia Romanos delectabant, Attici non comprobassent. N.

SCENA TERTIA.

DEMIPHO, LYSIMACHUS*.

« LYS. Demipho, sapientum illud dictum te audisse reor sæpius:
« Voluptas est malorum esca: quod ea non minus homines
« Quam hamo capiantur pisces: hanc quando fugiant senes,
« Tu tamen senectuti gratiam non habeas: quoniam hæc tibi
« Non abstulit modo, sed in amorem conjecit fortius,
« Quo te consiliumque tuum atque mentem perdit funditus,
« Atque oculorum tibi præstringit aciem: me quoque
« In magnum conjecisti malum, nec quid faciam scio.
« DEM. Lysimache, deum hoc arbitrium est, non hominum: tute hoc tecum
« Si cogites, non æquom te facere arbitrabere,
« Quom amico homini, tuique conscio, ita subcenseas misere ».
Quasi tu nunquam quidquam adsimile hujus facti feceris.
LYS. Edepol, nunquam. Cavi ne quid facerem. Vix vivos miser!
Nam mea uxor propter illam tota in fermento jacet.

* Huic scenæ, « Quasi tu nunquam quidquam, etc. » præscripserant vett. edd. versus 11 sequentes.

2. *Malorum esca*, illix, quæ in mala devocet. N.

3. *Hanc*, voluptatem. N.

4. *Hæc*, senectus. N.

5. *Non abstulit modo*. Sensus non comparet, nisi intelligas *te* aut *vires*. N.

13. *Vix vivos miser*. Vulgatæ « vix vivos sum miser », bypermetrum. N.

14. *Uxor tota in fermento jacet*. *In fermento jacere*, ἐν τῇ ζύμῃ κεῖσθαι, dicebantur, qui animo essent ægro, quique iracundia turgerent. Nota tralatio. Fermentum enim et acorem habet et tumorem. LAMB. — *Fermentum* bic pro ira ponitur, ut *esse in fermento*, sit θυμοῦσθαι, φλεγμαίνειν ὑπὸ χολῆς. Juvenalis, « istud Fermentum tibi habe », id est, indignandi causas. Etiam Hebræi *fermentare* pro ira turgere et βιάζε-

DEM. At ego expurgationem habebo, ut ne subcenseat.
LYS. Sequere me : sed exeuntem filium video meum.

SCENA QUARTA.

EUTYCHUS, LYSIMACHUS, DEMIPHO.

EUT. Ad patrem ibo, ut matris iram sibi esse sedatam sciat.
Jam redeo. LYS. Placet principium. Quid agis? quid fit, Eutyche?
EUT. Optuma obportunitate ambo advenistis. LYS. Quid rei est?
EUT. Uxor tibi (ad Lysimachum) placida et placata 'st : certe dextras nunc jam.
LYS. Di me servant. EUT. Tibi (ad Demiphonem) amicam nullam esse nuncio.
DEM. Di te perdant : quid negoti 'st nam, quæso, istuc? EUT. Eloquar.
Animum advortite igitur ambo. LYS. Quin, tibi ambo operam damus.
EUT. Qui bono sunt genere gnati, si sunt ingenio malo,
Suopte culpam generi capiunt, genus ingenio inprobant.
DEM. Verum dicit hic. LYS. Tibi ergo dicit. EUT. Eo illud verum 'st magis.

σθαι accipiunt. Quin et de aliis affectibus dicitur : ut Prudent. *quum fermentati turgescant mores*. CASAUB.

4. *Expurgationem habebo*. Id est, apud tuam uxorem te purgabo.

1. *Ad patrem ibo*. Hæc Eutychus ad Charinum in ædibus Lysimachi restitantem. LAMB.

2. *Quid agis?* Vide Aulul. I, 2, 39; Bacch. IV, 3, 12. N.

4. *Certe dextras nunc jam*, cito jungetis dextras, pignus reconciliatæ gratiæ. N.

9. *Suopte culpam*, etc. Vulg. Camerarii « Suapte culpa genere capiunt genus, ingenium improbant », quam enarrant verbis ultra quam licitum transpositis « genus (nobilitatem) accipiunt genere (origine), improbant (dedecorant) ingenium suapte culpa ». Gronovianam prætuli. N.

Nam te istac ætate haud æquom fuerat filio tuo,
Adulescenti amanti amicam emtam argento eripere suo.
DEM. Quid tu ais? Charini amica'st illa? EUT. Ut dissimulat malus!
DEM. Ille quidem illam sese ancillam matri emisse dixerat.
EUT. Propterea igitur tu mercatus, novos amator, vetus puer?
LYS. Optume, hercle: perge, ego adsistam hinc altrinsecus.
Quibus est dictis dignus, usque oneremus ambo. DEM. Nullus sum.
LYS. Filio suo qui innocenti fecit tantam injuriam.
EUT. Quem quidem, hercle, ego, in exsulium quom iret, reduxi domum;
Nam ibat exsulatum. DEM. An abiit? LYS. Etiam loquere, larva?
Temperare istac ætate istis decebat artibus.
DEM. Fateor, deliqui profecto. EUT. Etiam loquere, larva?
Vacuom esse istac ted ætate iis decebat noxiis:
Itidem, ut tempus anni, ætatem aliam aliud factum convenit.
Nam si istuc jus est, senecta ætate scortari senes,
Ubi loci res summa nostra est publica? DEM. Hei, perii miser!
EUT. Adulescenteis rei agendæ isti magis solent operam dare.
DEM. Jam, obsecro, vobis, hercle, habete cum porcis, cum fiscina.

13. *Quid tu ais?* Cf. Aulul. IV, 9, 7. N.

24. *Aliud factum convenit.* Quia *convenit*, idem valet, quod decet, eamdem illi constructionem attribuit. LAMB.

28. *Vobis, hercle, h. cum porcis, cum fiscina.* Πορκὸς est rete piscalorium, unde proverbinm εὕδοντι πορκὸς αἱρεῖ, de fortunatis quibus dormientibus nassa impletur. Fiscinæ ex vimine parabantur ad quodlibet continendnm, quibus et piscatores ntebantur. Ergo hæc sententia est proverbialis: « habete hoc cum porcis et fiscina, id est, prædam cum ipsis armis; omnia quæ vultis concedo ». Sunt qui velint *porcis* pro *portis*, el *portis* pro *sportis* scriptum, frequentissima literarum permutatione, et *fuscina* pro *fiscina* ponant. Esset tridens piscatorins. SALM.

EUT. Redde filio; sibi habeat. DEM. Jam ut volt, per me sibi habeat licet.
EUT. Temperi, edepol! quoniam, ut aliter facias, non est copiæ.
DEM. Subplici sibi sumat quid volt ipse ob hanc injuriam,
Modo pacem faciatis, oro ut ne mihi iratus siet.
Si, hercle, scivissem, sive adeo joculo dixisset mihi,
Se illam amare, nunquam facerem, ut illam amanti abducerem.
Eutyche, ted oro, sodalis ejus es, serva et subveni.
Hunc senem para clientem : memorem dices benefici.
LYS. (ad Eutychum.) Ora ut ingnoscat delictis ejus atque adulescentiæ.
DEM. Pergin' tu autem in hunc superbe invehere? spero ego mihi quoque
Tempus tale eventurum, ut tibi gratiam referam parem.
LYS. Missas jam ego istas arteis feci. DEM. Et quidem ego dehinc jam. LYS. Nihil.
Consuetudine animus rursus te huc inducet. DEM. Obsecro,
Satis jam ut habeatis : quin, loris cædite, etiam si lubet.
LYS. Recte dicis : sed istuc uxor faciet, quom hoc resciverit.
DEM. Nihil opu'st resciscat. EUT. Quî istuc? non resciscet, ne time.
Eamus intro, non utibilis hic locus factis tuis,

29. *Redde* mulierem. N.

35. *Serva* me. N.

36. *Hunc senem*, etc. Vulgata *para me clientem*. *Me* onerat versum, manifeste glossa vocis *hunc*. Vide vs. 38. — *Memorem dices*. Me præstabo tibi memorem. N.

37. *Delictis*. Velit Bothius *deliciis*; at delictum est peccatum leve, et facit satis ad ironiam. *Ejus* pro vulgata *tuis* reposui doctis auctoribus. N.

38. *Superbe invehere*, pro *invehi*. Sæpe *invehens* pro *invectus*. — *In hunc*. Cf. Bacch. IV, 4, 1. Hæc Bothii elegans emendatio, MS inducente. Vulgata, *eia superbe*, parum latine inserta exclamandi voce. N.

45. *Factis tuis*. Hoc pendet, non ab *utibilis*, sed ab *arbitri*. Non ido-

Dum memoramus, arbitri ut sint, qui prætereant per vias.
DEM. Hercle, quin, tu recte dicis : eadem brevior fabula
Erit : eamus. EUT. Heic est intus filius apud nos tuus.
DEM. Optume 'st : illac per hortum nos domum transibimus.
LYS. Eutyche, hanc volo prius rem agi, quam meum intro refero pedem.
EUT. Quid istuc est? LYS. Suam quisque homo rem meminit : responde mihi :
Certon' scis non subcensere mihi tuam matrem? EUT. Scio.
LYS. Vide. EUT. Me vide. LYS. Satis habeo : at quæso hercle, etiam vide.
EUT. Non mihi credis? LYS. Imo credo, sed tamen metuo miser.
DEM. Eamus intro. EUT. Imo dicamus senibus leges censeo,
Priusquam abeamus, quas leges teneant, contentique sint.
Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus,
Seu maritum, seu, hercle, adeo cœlibem scortarier,
Cum eo nos heic lege agemus : inscitum arbitrabimur.

neus sermoni locus est, ubi, si qui forte prætereant, audiant quæ fecisti, dum ea memoramus. N.

48. *Eadem*. Conf. Bacchid. I, 1, 15. N.

50. *Hanc*, meam. Volo de mea re me securum esse priusquam eamus intro.

51. *Suam quisque homo rem meminit*. Notat hominum mores, qui in alieno negotio dormitant, in suo quisque vigilat. TAUBM.

53. *Vide*, cave ne me temerarie adduxeris.—*Me vide*. Locutio fidejubentis. Cf. Trin. III, 3, 79. N.

59. *Cum eo nos heic lege agemus*. Id est, pœnas legibus indictas infligemus, et legem in eum consequemur. In eo significatu capitur apud Tacitum, lib. XII. Est igitur, *lege agere*, quod Cicero alibi dicit, *facere judicatum*, id est, exsequi implereque latam sententiam. POLL. — Sic Livius, XXVI, 15 : « Fulvius præconi imperavit, ne lictorem lege agere juberet ». Cap. 16 : « Jussu procos. præconem pronuntiasse : Lictor, viro forti adde virgas, et in eum primum lege age ». Valer. Maxim. III, 8 : « Literas in sinistra manu, sicut erant traditæ, retinuit, ac jusso lictore jure agere, tum demum aperuit ». GRON.* —Cf. Aulul. III, 3, 10.—*Inscitum*

Et per nos quidem, hercle, egebit, qui suum prodegerit.
Neu quisquam posthac prohibeto adulescentem filium
Quin amet, et scortum ducat: quod bono fiat modo.
Si quis prohibuerit, plus perdet clam, quam si præhibuerit palam.
Hæc adeo, ut ex hacce nocte primum lex teneat senes.
Bene valete, atque, adulescenteis, hæc si vobis lex placet,
Ob senum, hercle, industriam, vos æquom 'st clare plaudere.

arbitrabimur. Scitum in re Venerea usurpatum antiquitus, docuerunt alii, tum Plautus, Trucul. sc. ult. « Quamquam hic horridus, quamquam hic squallidu'st; At scitus bellum init ». Isti contrarium *inscitus* hoc loco Plauti. Sic enim hunc versum a nemine hactenus, quod sciam, intellectum interpretor: nec hunc solum, sed et alium Terent. V, 1: « Nam si facis facturave es, bonas quod par est facere: Inscitum offerre injuriam tibi immerenti, iniquum est ». Vult senex: iniquum esse, si homo, qui ex rebus amœnis et voluptariis exaruit, injuriam inferat meretrici: quum hoc sit potius calidæ juventutis. GAUT. — *Inscit. arbitrabimur.* I. e. prave factum judicabimus. Nonnullarum legum sanctio fuit apud Veteres « improbe factum ». Vid. Liv. X, 9.

60. *Et per nos quidem.* Multo concinnius et non sine joco legeretur hic versus post illum: *Si quis prohib.* etc. Hæc enim, *Et per nos quidem*, etc. quasi sanctio est, qua pœna in eum statuitur, qui id, quod de sumptu adolescentibus subministrando dicitur, violaverit, aut potius servaverit, nempe *egestas*. PIST.

62. *Quod bono fiat modo.* Modo nil fiat contra leges et supra modum. Cf. Mil. gl. III, 1. LAMB.

66. *Ob senum h. ind.* Propter senes. N.

M. ACCII PLAUTI
SARSINATIS UMBRI
MILES GLORIOSUS

DRAMATIS PERSONAE.

PYRGOPOLINICES [1], miles.
ARTOTROGUS [2], parasitus.
PALÆSTRIO [3], servus.
PERIPLECTOMENES [4], senex.
SCELEDRUS [5], servus.
PHILOCOMASIUM [6], meretrix.
PLEUSIDES [7], adolescens.
LUCRIO [8], puer.
MILPHIDIPPA [9], ancilla.
ACROTELEUTIUM [10], meretrix.
PUER.
CARIO [11], coquus.

1. *Pyrgopolinices*, qui urbium turres evicit, πύργος, πόλις, νίκη. N.

2. *Artotrogus*, qui panem rodit, scilicet frustorum appetitor.

3. *Palæstrio*, exercitor, si quidem solertia illius gymnasium est glorioso militi. N.

4. *Periplectomenes*, a πλέκω, nempe senex facetus, comis, urbanus, et versutus, multis artibus complicatus. At Camerarius censet vim pertinaciæ denotari. N.

5. *Sceledrus*, lenti et segnis habet significationem, σκέλη ἔχων ἑδραῖα. CAMER.

6. *Philocomasium*, comessationum amica. CAMER.

7. *Pleusides*, a πλεῦσις, navigatio. Vid. act. IV, sc. 7.

8. *Lucrio*, latinum a *lucro*. Vide Festum in voce *Cercopa*. N.

9. *Milphidippa*, longis palpebrarum pilis insignis. CAM.

10. *Acroteleutium*, quasi summus finis, scilicet acuta et callida. N.

11. *Cario* fortassis nomen servi gentile a Caria. N.

ARGUMENTUM.

Meretricem ingenuam deperibat mutuo
Atheniensis juvenis. Naupactum is domo
Legatus abiit : miles in eamdem incidit.
Deportat Ephesum invitam : servos Attici,
Ut nunciaret domino factum, navigat,
Capitur, donatur illeic captus militi.
Ad herum, ut veniret Ephesum, scribit : advolat
Adulescens, atque in proxumo divortitur
Apud hospitem paternum : medium parietem
Perfodit servos, commeatus clanculum
Qua foret amantum : geminam fingit; mulieris
Sororem ait esse : mox ei dominus ædium
Suam clientam sollicitandum ad militem
Subornat : capitur ille, sperat nubtias.
Dimittit concubinam, et mœchus vapulat.

1. *Ingenuam*, non servili aut libertina conditione, ut sunt pleræqne. Cf. Cistell. I, 1, 40. N.

3. *Incidit*, obviam fit. Conf. II, 1, 26-35. N.

6. *Capitur* a piratis. — *Illeic*, Ephesi. N.

8. *Divortitur*, hospitium habet, diversorium. N.

9. *Medium parietem*, inter militis et senis hospitis domos. N.

11. *Geminam fingit* esse Philocomasii, duas sorores persimili facie, quarum alteram apud militem, alteram apnd senem. N.

13. *Clientam*, Milphidippam, quæ se ingenuam simulat et amantem. N.

14. *Capitur*, deprehenditur manifestus mœchandi. — *Sp. nubtias;* namqne decidit in insidias spe allectus sibi futuram exacto marito uxorem eam, quam matronam credebat. N.

15. *Dim. concubinam*, Philocomasium, ut novis amoribus locus fiat.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*M*ERETRICEM Athenis Ephesum miles avehit.
*I*d hero dum amanti servos nunciare volt
*L*egato peregre, captu'st ipsus in mari,
*E*t illi eidem militi dono datu'st.
*S*uum arcessit herum Athenis, et forat
*G*eminis conmunem clam parietem in ædibus,
*L*icere ut quiret convenire amantibus.
*O*bhærenteis custos hos vidit de tegulis.
*R*idiculus autem, quasi sit alia, luditur.
*I*temque inpellit militem Palæstrio,
*O*missam faciat concubinam, quando ei
*S*enis vicini cupiat uxor nubere:
*U*ltro abeat, orat, donat multa: ipse in domo
*S*enis prehensus, pœnas pro mœcho luit.

8. *Obhærenteis*, complexos savio. — *Custos*, Sceledrus.
13. *Ultro*, volens. *Abeat* Philocomasium. *Orat* miles.

ALIUD ARGUMENTUM CAMERARII.

In hac fabula hoc non solum ratione et arte factum esse a poeta videri possit, quod respondet καταστροφὴ, id est, finis ad principium: ut maximæ gloriæ et intolerabilis cujusdam fastus exitus sit turpis et pudendus. Est autem in hac fabula præcipuum, pictura imperitæ superbiæ, quam poeta omnibus suis coloribus deformatam expressit; ut liceat hic quasi in speculo contemplari ridiculam illam vanitatis imaginem, qua tument et efferuntur animi feroces hominum indoctorum, in aliqua præsertim fortunæ benignitate. Hoc vitium peculiare est adolescentiæ, quod hæc ætas in quodam quasi impetu decurrentis vitæ et in fiducia virium exsultare soleat, et efferri, atque esse indomita. Ideoque negat prudentissimus vir Aristoteles, idoneos esse juvenes ad præcepta virtutis: nam de voluntate et intelligentia illorum hæc quasi cautibus impacta resiliunt, neque possunt adhærescere, etc. Nomen fabulæ est Miles gloriosus, de persona et re factum: nam gloriosus gloriatorem significat: qui est ἀλαζὼν [1], ostentator et vanus. Tale autem est genus hoc militare hominum, qualis et Terentianus Thraso produ-

1. Quanto celebratissimus tum in græcis, tum in romanis fuerit scenis hic mos animi, haud dubitabit, quisquis comœdiæ novæ titulos inter collectanea reliquiarum literaturæ hellenicæ, et Plauti palliatas vel obiter legerit. Consul. Fabricii Bibl. et Schœll, *Hist. de la litt. gr.* tom. III. N.

citur, et alii a Plauto alibi. Argumentum fabulæ hoc est. Avexerat amicam adolescentis Attici miles : hoc factum indicare hero absenti servus dum vult, capitur a piratis, et illi eidem forte militi dono datur : statim agnoscit mulierem servus; negotium occultat; rem omnem hero suo Atheniensi literis exponit; quid fieri oporteat, demonstrat. Advenit ille adolescens Ephesum; ad senem hospitem vicinum militis divertitur. Erat utriusque domus paries communis, quo perforato copia fit amantibus congrediendi. Sed militis alter servus forte mulierem in amatoris complexu viderat. Id ne vidisse crederet, dolis servi Attici perficitur, qui illi persuadet, adesse geminam herilis amicæ sororem. Postea militi persuadetur, amari ipsum mirifice ab uxore senis vicini : itaque dimittit concubinam, et mox deprehensus per insidias, pro mœcho plectitur. Res geritur Ephesi.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

MILES GLORIOSUS.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

PYRGOPOLINICES, ARTOTROGUS.

PYRG. CURATE, ut splendor meo sit clupeo clarior,
Quam solis radii esse olim, quom sudum 'st, solent:
Ut, ubi usus veniat, contra conserta manu
Oculorum præstringat aciem in acie hostibus.
Nam ego hanc machæram mihi consolari volo,
Ne lamentetur, neve animum despondeat;
Quia se jam pridem feriatam gestitem,

1. *Curate.* Hæc ad comitum turbam, quos secum gloriosus circumducit, armigeros, agasones, et cæteros. N.

2. *Olim*, i. q. aliquando, et habet notionem « si quando, si forte ». Conf. Virg. Georg. III, 303; Æn. IV, 421, V, 125. Et Asin. III, 3, 126, « an quid est olim homini salute melius? » i. e. an quid unquam, etc. N.

3. *Contra* adverbialiter cum *conserta* junctum. Vid. Amph. II, 2, 23, 62. N.

4. *Præstringat.* Unice hoc rectum esse, neque audiendos qui *præstinguat* volunt, docet vel solus Asconius Pedianus ad Cic. Epist. fam. XIV, 46. DELR.

5. *Mihi*, supervacaneum. Conf. Bacch. IV, 9, 27. — *Consolari*, passive positum. N.

Quæ misera gestit, et fartum facere ex hostibus.
Sed ubi Artotrogus? ART. Heic est: stat propter virum
Fortem atque fortunatum, et forma regia;
Tum bellatorem. Mars haud ausit dicere,
Neque æquiparare suas virtutes ad tuas.
PYRG. Quemne ego servavi in campis Gurgustidoniis,
Ubi Bombomachides Cluninstaridysarchides
Erat inperator summus, Neptuni nepos?
ART. Memini, nempe illum dicis cum armis aureis,
Quojus tu legiones difflavisti spiritu,
Quasi ventus folia, aut paniculam tectoriam.
PYRG. Istuc quidem, edepol, nihil est. ART. Nihil, hercle, hoc quidem,
Præ ut alia dicam... tu quæ nunquam feceris.

8. *Misera*. Conf. Casin. II, 7, 9. — *Fartum*. Vulgatæ mendose *fratrum*. Bothius et Lindemannus, auctore Lambino, hanc lectionem revocavere, quam ille MS fultam, cum illo Aristophanico comparabat: περίκομμα ἐκ τῶν πολεμίων ποιῆσαι. Multi explicant: fratrem; gladius faciet sibi consanguineum ὅμαιμον aliquem ex hostibus, scilicet se illius sanguine tingendo. Sed quantulum illi facinus unum hostem occidere, qui uno ictu cohortes trucidare valeat, vid. infra vs. 52. N.

10. *Forma regia*. Quidquid magnum judicabant, aut pulchrum, id regium, basilicum appellabant. Cf. Epid. I, 1, 54. N.

11. *Tum*, immo etiam, præsertim. — *Dicere*, loqui de se.

12. *Ad*. Captiv. II, 2, 25.

13. *Gurgustidoniis*. Per jocum a poeta fictum a *gurgustiis*, forma gentili: ut *Chalcedoniis*, etc. CAMERARIUS. — Gurgustium erat caupona subterranea. Vide Festum in h. v. Cic. in Pis. 6. N.

14. *Bombomachides*, a strepitu præliari. — *Cluninst.* hybrida vox a clunibus, instare, δὺς, ἄρχειν. N.

17. *Quojus tu... difflavisti*. Noster Racinius sacra Biblia æmulatus: « Comme le vent dans l'air dissipe la fumée, La voix du Tout-puissant a chassé cette armée ». N.

18. *Paniculam tectoriam*. *Peniculum tectorium* lectio quidem est antiquorum codicum, sed vereor ut vera sit. Non enim facile ventus difflare potest hujusmodi peniculum quo tectoria inducuntur, sive ex setis porcinis compactum sit, sive ex pilis caudæ equinæ. SALM. —Turnebi est *paniculam tectoriam*, quam interpretatur lanosam comam arundinis, qua integi villaticæ ædes solent, cujus meminit Plin. Hist. Nat. XVI, 36, et earum tegulo domus suas septemtrionales populos operire sit. GRON.

20. *Tu*, etc. Hæc et seqq. parasitus loquitur aversus, voce submissa.

Perjuriorem hoc hominem si quis viderit,
Aut gloriarum pleniorem, quam illic est,
[Is] me sibi habeto, et ego me mancupio dabo
Uno epityro, ut apud illum esuriem insane bene.
PYRG. Ubi tu es? ART. Eccum : edepol, vel elephanto in India
Quo pacto pugno perfregisti brachium?
PYRG. Quid, brachium? ART. Illud dicere volui, femur.
PYRG. At indiligenter heic eram. ART. Pol, si quidem
Connisus esses, per corium, per viscera,
Perque os elephanto brachium transmitteres.
PYRG. Nolo istæc heic nunc. ART. Ne, hercle, operæ pretium quidem

21. *Perjuriorem*, mendaciorem. Sæpe in sermone communi vocabula graviora et significantiora pro vulgaribus usurpantur, ex quo fonte omnes μετωνυμίαι derivandæ sunt. Sic *perjurare* pro mentiri Mercat. III, 1, 42. Lindem.

24. *Uno epityro*, etc. MSS, « nisi unum Epitir aut apud illa esturiensa ne bene ». Inde mirificæ processerunt conjecturæ. Apud Varr. de L. L. lib. VIII, habetur : « si unum epityrum edam apud illum esuriens insane bene ». Scioppius edidit : « epityrum estur esuriens ». Ubi τὸ *esuriens* puto ex margine irrepsisse : reliqua fallenti memoriæ credidisse Varronem. Nam si quid video, scripsit Plautus, quia versus sunt senarii : « Me sibi habeto : et ego me mancupio dabo, sed n-No epityro, ut apud illum estur insane bene ». Si quis, inquit, monstrare possit vaniorem hominem, me sibi habeat, et ego me mancipabo, qualis sum, non tamen sine mercede, quamquam ea non magna, nempe unius epityri, modo tam laute beneque parati, ut apud ipsum regem meum estur. Gron. — Lindemannus retinet *esuriem*, quod confirmat Varronis *edam*. Et scribit « ni unum Epityrum apud illum esuriem ins. bene », quæ oratio mihi non liquet. Quam edidi sic interpretor : « Me vendam pretio epityri, i. e. vilissimo, ut apud illum, jam meum dominum esuriem vehementer », qui scilicet metus parasito maximus. *Epityrum* constabat oleis concisis, aceto, oleo et aromatibus. Conf. Cat. de Re Rust. cap. 119; Columell. XII, 47. *Insane bene*, fere idem quod insanum magnum, Bacch. IV, 5, 1. *Bene* ut *probe* Epid. III, 4, 59, *pulchre* Curcul. I, 3, 58, valet « multum, valde ». Cic. ad Famil. V, 12, « eum oportet esse bene et gnaviter impudentem ». N.

28. *Heic*, in hoc faciendo. *Eram*, me habebam. Cf. Merc. III, 3, 22.

31. *Nolo istæc*, nolo nunc ea

Mihi te enarrare, tuas qui virtutes sciam.
(ad spectatores.) Venter creat omneis has ærumnas auribus;
Peraudienda sunt, ne denteis dentiant.
Et adsentandum 'st, quidquid hic mentibitur.
PYRG. Quid illud quod dico? ART. Hem, scio jam quid vis dicere.
Factum 'st, hercle: memini fieri. PYRG. Quid id est? ART. Quidquid est.
PYRG. Habes tabellas? ART. Vis rogare? habeo et stylum.
PYRG. Facete advortis animum tuom ad animum meum.
ART. Gnovisse mores me tuos meditate decet,
Curamque adhibere, ut prævolet mihi quo tu velis.

loqui. — *Ne, hercle*, etc. Imo etiam supervacaneum est te hæc narrare, quæ sciam. *Ne* p. non. N.

33. *Ærumnas auribus.* Vulgo, « ærumnas: auribus Peraudienda », minus bene; nisi scribas ut Lindemannus « Perbaurienda ». Alia conditio, alius sermo. Est contra ejusdem ordinis vir qui habeat in ventre confidentiam. Captiv. IV, 2, 25. N.

34. *Denteis dentiant.* Ut pueri *dentire* dicuntur, quum eis primum dentes oriuntur: sic quibus cessant a terendo cibo, quia non deteruntur, grandescere videntur, atque dentire, populari joco. TURN. — *Denteis dentire*, Græci dicunt μυλιᾷν: ut Hesiodus, δεινὸν μυλιόωντες. In eadem significatione *dentire* Varroni ἕως ποτὲ περὶ ὡρῶν· ut in Pluto: « Teges ruina, ne jacentem sub dio Ambesset algus dentientem frigore ». Hipponax, βαμβακίζειν: Δὸς χλαῖναν Ἱππώνακτι· κάρτα γὰρ ῥιγῶ, Καὶ βαμβακίζω. SCALIG. — Malo Turnebum.

36. *Quid illud*, etc. Quidnam illud fuit quod dicturus eram. Etiam hoc accommodate ad mores hominis vanissimi pingendos. LINDEM. — *Hem, scio jam quid vis dicere*, en scio, etc. Ridicula assentandi præter modum exaggeratio. N.

38. *Habes tabellas?* Miles, opinor, tabellas volebat, quibus bellorum suorum commentarios parasitus inscripserat. Vid. vs. 42, 48. Sed error parasiti glorioso non displicebat; nam inde laus. Vid. v. 40. — *Vis rogare? Vis rogare* idem est quod, vis militem conscribere? Miles enim rogari dicebatur. Liv. lib. II: « Cum quinque legatis profectus, obvios in agris sacramento rogatis, arma capere et sequi cogebat ». Nulla igitur causa fuit, quare hic locus tot correctionibus criticorum vexaretur. BOXHORN.

40. *Mores tuos*, scilicet bellicosos. Alio tabellas rogante, crederem illi vel pecuniarum rationes vel amatorias epistolas in mente esse: sed tibi res bellica semper in mente versatur. N.

PYRG. Ecquid meministi? ART. Memini, centum in Cilicia
Et quinquaginta, centum Sycolatronidæ,
Triginta Sardi, sexaginta Macedones,
Sunt homines, tu quos obcidisti uno die.
PYRG. Quanta istæc hominum summa 'st? ART. Septem
millia.
PYRG. Tantum esse oportet: recte rationem tenes.
ART. At nullos habeo scribtos; sic memini tamen.
PYRG. Edepol, memoria 'st optuma. ART. (secum.) Offa me
monet.
PYRG. Dum talem facies, qualem adhuc, adsiduo edis:
Conmunicabo te semper mensa mea.
ART. Quid in Cappadocia ubi tu quingentos simul,
Ni hebes machæra foret, uno ictu obcideres.
At peditatus reliquiæ erant, si viverent.

43. *Et quinquaginta, centum.* Notentur gloriosorum mores, quibus non satis est, snmmatim faciuora sua prædicare, nisi etiam ordine enumerentur. CASAUB. — *Sycolatronidæ*, nomen confictum a σῦκον, et latro. Vid. infra vs. 74. N.

49. *Offa me monet*, gula memorem facit.

50. *Talem.* Ambignitas est in illis: « Dum talem facies, qualem adhuc » : potest enim intelligi vel me bellatorem et heroem, vel te assentatorem. Quod videtur poeta de industria fecisse. GRON. — *Edis*, i. q. ederis. Hæc figura verbi notionem futuræ rei sub conditione aliqua vel cum aliqua dubitatione profert. Vid. Trinum. I, 2, 102, II, 2, 3. Mnlti mutant *edes*, affirmativum, minus pro more Plautini sermonis, iu tali re. N.

53. *Uno ictu obcideres.* Profecto non mireris, quod parasitus de Pyrgopolinice tanta memoret, si Diodor. andieris narrantem, lib. XIII, a Milone Crotoniata phalangem Sybaritarum totam uno ictu profligatam. Et nostrates quoque poetæ, antequam intra recti verique fines consistere didicissent, in talibus immanium scurrilitatum commentis, Romanos et Italos et Hispanos seqnuti exsultabant. Vid. Cornelii fabulam, cui nomen est *l'Illusion*. Vide in multis Rotrovii fabulis illos qui audiunt *Capitan*, *Matamore*, etc. Istiusmodi est *Rhinoceronte* in fabula quæ vocatur *Clarice*. N.

54. *At peditatus.* Quingentos milites dicit occisurum fuisse uno ictu, nisi hebes machæra fuisset. Sed non negat eos singulos esse occisos. Deinde addit illos ipsos quingentos reliquias peditatus fuisse, quem in ea pugna jam occiderat, si viverent; id est, nisi hos ipsos quingentos occidisset, pro reliquiis peditatus potuisse numerari. His

Quid tibi ego dicam, quod omneis mortaleis sciunt,
Pyrgopolinicem te unum in terra vivere
Virtute, et forma, et factis invictissumis.
Amant te omneis mulieres, neque, hercle, injuria,
Qui sis tam polcher; ut vel illæ, quæ here pallio
Me reprehenderunt. PYRG. Quid here dixerunt tibi?
ART. Rogitabant: hiccine Achilles est, inquit, tibi?
Imo ejus frater, inquam. Innuit altera:
Ergo, mecastor, polcher est, inquit mihi,
Et liberalis. Vide, cæsaries quam decet!
Næ illæ sunt fortunatæ, quæ cum isto cubant!
PYRG. Itane aibat tandem? ART. Quæ me ambæ obsecraverint,
Ut te hodie quasi pompam illa præterducerem.
PYRG. Nimia est miseria polchrum esse hominem nimis.
ART. Molestæ sunt mihi, orant, ambiunt, obsecrant,
Videre ut liceat: ad sese arcessi jubent.
Ut tuo non liceat operam dare negotio.
PYRG. Videtur tempus esse, ut eamus ad forum;
Ut in tabellis quos consignavi heic heri
Latroues, ibus dinumerem stipendium.

verbis ad internecionem totum illum hostium exercitum deletum a Milite fuisse significat, ne uno quidem relicto qui nuntins esse posset cladis. SALM.

56. *Unum.* Menæchm. I, 3, 19.

62. *Innuit altera.* Vulgo, « innuit illarum altera », turbato metro, forsan glossema. N.

63. *Ergo.* I. e. certo, revera. Veluti Terent. Andr. V, 2, 9: « Mihi? — Tibi ergo ». N.

66. *Quæ me ambæ*, etc. Ita enim dixerunt, utpote quæ, etc.

67. *Quasi pompam.* Hæc interpretor ex illo, quod solemni pompa Romæ quotannis, Circensinm diebus, sacra in carpentis traducebantur: nam id proprie *pompam* vocarunt. LIPS.—Hæc ad pulchritudinem spectaculi, quod convertit ad se omnium oculos, attinent, non ad tarditatem procedentium, ut retur Gronovius. *Illa*, illac. N.

70. *Arcessi jubent* te a me.

71. *Ut tuo*, etc. Ita ut, si faciam, totum tempus in illarum deamationibus occupatum tibi sit. N.

74. *Latrones.* Id est, milites, ἀπὸ τῆς λατρείας. Ii et λειτουργοί. Λατρεύειν est obsequi et mercede servire: et *latrocinari* pro militare,

Nam rex Seleucus me opere oravit maxumo,
Ut sibi latrones cogerem et conscriberem.
Regi hunc diem mihi operam decretum'st dare.
ART. Age, eamus ergo. PYRG. Sequimini, satelliteis.

Latinis iu usu fuisse uorunt omnes. Varro, de Ling. Lat. lib. VI, eos appellari scribit, quasi *laterones*, quod adsistant lateri regis, qui nunc sunt *stipatores* et *satellites* : vel quia ad latus ferrum habent, vel quia mercede conducuntur, quæ λάτρον dicitur : uti *stips stipatoribus* numen fecit. SCALIG. — Scilicet postquam, devicta bello Græcia, arma civitatibus imperari a regibus Macedonicis cœperunt, militia civile officium esse desiit, quæstus fuit. Alexandro autem mortuu, qui regnum illius diviserunt, reges, præcipue Asiatici, non posse subditas gentes coutineri, nisi externorum militum ope rati, conductitios exercitus sibi pararunt. Itaque uovus quæstus exortus eorum, qui operam militarem regibus locabant ipsi suam, immo eorum, qui alios mercede conducebant militaturos, et præbendis legionibus negotiabantur, quibus ipsi præessent. Hujusmodi fuere medii ævi temporibus, quos vocavere *condottieri*. Vide infra IV, 1, 1-4; Epid. III, 4, 13-15; Terent. Adelph. III, 4, 21; Heautunt. I, 1, 59, 60. *Ibus* vetus pro iis. N.

75. *Opere... maxumo.* Vehementissime. In primu gradu « magnopere ». N.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

PALÆSTRIO.

Mihi ad enarrandum hoc argumentum 'st comitas,
Si ad auscultandum vostra erit benignitas.
Qui autem auscultare nolit, exsurgat foras,
Ut sit ubi sedeat ille, qui auscultare volt.
Nunc, qua adsedistis causa in festivo loco,
Comœdiai, quam modo acturi sumus,
Et argumentum, et nomen vobis eloquar.
Alazon græce huic nomen est comœdiæ,
Id nos latine Gloriosum dicimus.
Hoc oppidum Ephesu'st: idem est Miles meus herus,
Qui hinc ad forum abiit, gloriosus, inpudens,
Stercoreus, plenus perjuri atque adulteri.
Ait sese ultro omneis mulieres sectarier.
Is deridiculu'st, quaqua incedit, omnibus.
Itaque heic meretrices, labiis dum ductant eum,

1 et sqq. *Mihi*, etc. Scena præcedenti, protasis fuit, ut ita dicam, characteris, nunc fit rei quæ agitur. Jam semel Cistellaria vidimus actu fabulæ incepto protasin interseri. N.

3-5. *Qui autem*, etc. Aliquid simile in Captivorum prologo. N.

10. *Idem est miles*. Nihil hic mutandum. *Idem* hic δεικτικῶς, demonstrative ponitur. Glossæ veteres: « Idem, αὐτὸς, αὐτὸ, idem ipse, hoc ipsum ». Idem ille miles, qui hinc ad forum abiit, herus est meus. Boxh. — Vulgatæ *inde*, scil. pro deinde. N.

12. *Stercoreus* i. q. impurus. Asin. II, 4, 66. — *Perjurus*. Scen. præced. 21. N.

15. *Labiis dum ductant*, etc. *La-*

Majorem partem videas valgis saviis.
Nam ego haud diu apud hunc servitutem servio.
Id volo vos scire, quomodo ad hunc devenerim
In servitutem, ab eo quoi servivi prius.
Date operam : nam nunc argumentum exordiar.
Erat herus Athenis mihi adulescens optumus.
Is amabat meretricem matre Athenis Atticis,
Et illa illum contra, qui est amor cultu optumus.
Is publice legatus Naupactum hinc fuit,
Magnai rei publicai gratia.
Interibi hic miles forte Athenas advenit;
Insinuat sese ad illam amicam heri mei,
Obcœpit ejus matri subpalparier
Vino, ornamentis, opiparisque opsoniis.
Itaque intimum ibi se miles apud lenam facit.
Ubi primum evenit Militi huic obcasio,

biis ductare hoc loco est διαμωκᾶσθαι καὶ τὰ χείλη διαστρέφειν, quod proprie dicunt de his qui ore, vultuque distorto, et valgis labiis aliquem derident. Gellius dixit, lib. XVIII, cap. 4 : « Tum ille rictu oris labiorumque ductu contemni a se ostendens, et rem de qua quæreretur, et hominem ipsum qui quæreret ». Salm.

16. *Valgis saviis*. Hyperbole comica. Ita heic, i. e. hujus urbis meretrices eum labiis ductare assneverunt, ut contorta sint plerarumque labra et non nisi valga savia ferre valeant. N.

17. *Nam*. Cf. Cistell. IV, 1, 10.

19. *Ab eo*. Dejectus a priore domino. N.

22. *Meretricem matre Athenis Atticis*. Alii, *æque*, *arcte*, *macte*, *acrem* pro *matre*. Perperam omnes. Nam meretrix « matre Athenis Atticis » est nata matre Athenis Atticis oriunda. Vide Obs. IV, 17. Gron.

23. *Cultu optumus*. Forte scripsit Plautus : « multo optumus ». Ita enim Latini loquuntur, et *multo* cum superlativo venustissime conjungitur. Haud tamen nego ex vulgata lectione commodam sententiam elici posse. Amor, qui mutuo colitur, optimus est. Ut dicatur *amor coli*, sicut dicitur *amicitiam colere*. Boxhorn. —Vide Cistell. I, 3, 45. Ern.

25. *Magnai reip*. Magnæ rei quæ ad civitatem pertinebat. N.

26. *Interibi*, interea, ut *postibi*, *postea*. Vulgatæ, « Interibi ut hic », versu impedito. N.

29. *Vino, ornamentis*. *Ornamenta* sunt ea, quæ gestamus corpore induti, quibus mirum quantum inescantur lenæ, sive magis meretrices. J. Grut.

Sublinit os illi lenæ, matri mulieris,
Quam herus meus amabat : nam is illius filiam
Conjicit in navem Miles, clam matrem suam,
Eamque invitam huc mulierem in Ephesum advehit.
Ego quantum vivos possum, mihi navem paro,
Ut amicam herilem Athenis avectam scio.
Inscendo, ut eam rem Naupactum ad herum nunciem.
Ubi sumus provecti in altum, id quod volunt,
Capiunt prædones navem illam ubi vectus fui.
Prius perii, quam ad herum veni, quo ire obcœperam.
Ille, qui me cepit, dat me huic dono Militi.
Hic postquam in ædeis me ad se duxit domum,
Video illam amicam herilem, Athenis quæ fuit.
Ubi contra adspexit me, oculis mihi signum dedit,
Ne se adpellarem : deinde, postquam obcasio'st,
Conqueritur mecum mulier fortunas suas.
Ait sese Athenas fugere cupere ex hac domu,
Sese illum amare meum herum, Athenis qui fuit:
Neque pejus quemquam odisse, quam istum Militem.
Ego, quoniam inspexi mulieris sententiam,
Cepi tabellas, consignavi clanculum:
Dedi mercatori, qui ad illum deferat
Meum herum, qui Athenis fuerat, qui hanc amaverat,

32. *Sublinit os*. Cf. Captiv. III, 4, 124. N.

34. *Conjicit*. Ita acule Camerarius, ex vestigiis MSS, in quibus *contegit*, aut *contigit*. Pistorius malit, *compegit* retinere, quod in vulg. est admodum proprie et ad vim quam miles adhibuit significandam, et ad navis angustias atque molestias. Sic « compingere in carcerem ». ERN.

36. *Vivos*. Cf. Menæchm. II, 1, 20. N.

39. *Id quod volunt*. Scilicet ex insidiis exspectabant, dum in altum provecti essemus. « Sicut voluerunt » cum Bothio Lindemannus mutat, minus eleganter et Plautine quidem. N.

41. *Perii*. Cf. Capt. III, 4, 5.

46. *Adpellarem*, alloquerer quasi cognitam.

52. *Consignavi*, filo circumvoluto et compacto cera, cui signum impressi. Ita concludebant epistolas Veteres. N.

Ut is huc veniret : is non sprevit nuncium;
Nam et venit, et is in proxumo heic devortitur
Apud suum paternum hospitem, lepidum senem.
Itaque ille amanti suo hospiti morem gerit.
Nosque opera consilioque adhortatur, juvat.
Itaque ego paravi heic intus magnas machinas,
Quî amanteis una inter se facerem convenas :
Nam unum conclave, concubinæ quod dedit
Miles, quo nemo nisi eapse inferret pedem,
In eo conclavi ego perfodi parietem,
Qua conmeatus esset huic mulieri.
Et sene sciente hoc feci : is consilium dedit.
Nam meus conservos est homo haud magni preti,
Quem concubinæ Miles custodem addidit.
Ei nos facetis fabricis et doctis dolis
Glaucomam ob oculos objiciemus : eumque ita
Faciemus, ut, quod viderit, non viderit.
Et mox, ne erretis, hæc duarum hodie vicem
Et heic et illeic mulier feret imaginem :
Atque eadem erit, verum alia esse adsimulabitur.
Ita sublinitum'st os custodi mulieris.

60. *Machinas.* Quas postea *facetas fabricas* et *doctos dolos* appellat. Ernest.

61. *Facerem convenas.* Συνηλύτους. Fortasse τὰς συνουσίας εἰς ἀφροδισιασμὸν innuit. *Conventiones* enim et *convenire*, pro, liberis operam dare, legitur apud Arnob. lib. VII. Et *conventus* pro concubitu, lib. II : « Et conventu Jovis inseminati et nati sunt ». J. Gul.

67. *Nam*, autem. N.

70. *Glaucomam. Glaucus* color cæruleus, id est, subviridis, albo mixtus, et quasi *clarus*, definiente Junio Philargyrio, vetusto commentatore Virgil. ad Georg. III, 82, ubi etiam Servius : « Glauci sunt felineis oculis ». Ceterum ne feles quidem, qui cetera glaucos habent oculos, pupulam glaucam habent, sed nigram, ut omnia animalia. Quod si pupula præter naturam glaucescat, impeditur visus et exsistit vitium in oculis, quod *glaucoma* appellant. Plin. XXIX, 6. Gron.* — *Eumque*, etc. Hellenismus pro « faciemus ut is, etc. »

72. *Hodie vicem.* Hæc mulier Philocomasium duarum mulierum partes agens, aut personam sustinens, duarum imaginem feret.

Sed foris concrepuit hinc a vicino sene.
Ipse exit : hic ille est lepidus, quem dixi, senex.

SCENA SECUNDA.

PERIPLECTOMENES, PALÆSTRIO.

PER. Nisi, hercle, defregeritis talos, posthac quemque in tegulis
Videritis alienum; ego vostra faciam latera lorea.
Mihi quidem jam arbitri vicini sunt, meæ quid fiat domi.
Ita per inpluvium intro spectant : nunc adeo edico omnibus :
Quemque a milite hoc videritis hominem in nostris tegulis,
Extra unum Palæstrionem, huc deturbatote in viam.
Quod ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam
Dicat, disperistis ni usque ad mortem male mulcassitis.
Atque adeo, ut ne legi fraudem faciant talariæ,

76. *Foris concrepuit.* In Græcia omnes omnium ædium fores non introrsum trahendo, sed in viam publicam pellendo aperiebantur : quoniam autem periculum erat, ne quispiam, qui aut præteriret, aut pro foribus staret, ab impulsa janua pelleretur : ideo qui exituri erant domo, solebant prius ipsimet intrinsecus aut fores ædium suarum percutere, aut crepitu digitorum indicium facere : ut illo strepitu admonerentur, qui foris erant, cavere sibi, atque eatenus absistere, ut ne læderentur. Hinc factum ut in Plauti ac Terentii fabulis numquam fere quisquam egrederetur, ut non antea *fores crepuisse* diceretur. MURET.

1. *Quemque*, quemcumque. Cf. Captiv. IV, 2, 17. N.

2. *Faciam latera lorea. Latera lorea* sunt latera virgis cæsa et lacerata. TURN. — Sic in Asin. II, 2, 96 : « Interminatus nos futuros ulmeos ». N.

3. *Arbitri.* Capt. II, 1, 17, 24.

7. *Quod ille.* Conf. Asin. IV, 1, 12. N.

9. *Adeo*, etiam. — *Ut ne legi fraudem faciant talariæ. Lex talaria* est ratio normaque ludendi talis, quam migrare non licet, nisi, quæ callidorum ars, fallendo collusorem. Cic. in Verr. « Iste prætor severus ac diligens, qui populi romani legibus nunquam paruisset, illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur, obtemperabat ». Ita lex ludi talorum, « lex talaria ». Quid sit « legi fraudem facere », liquet ex Livio, lib. VII :

Adcuratote, ut sine talis domi agitent convivium.
PAL. Nescio quid malefactum a nostra huic familia est, quantum audio,
Ita hic senex talos elidi jussit conservis meis.
Sed me excepit : nihilo facio, quid illis faciat cæteris.
Adgrediar hominem : et en advorsum it quasi.
Quid agis, Periplectomene? PER. Haud multos homines, si optandum fuerit,
Nunc videre et convenire, quam te, mavellem. PAL. Quid est?
Quid negoti 'st? PER. Res palam 'st. PAL. Quæ res palam 'st? PER. De tegulis
Modo nescio quis inspectavit vostrorum familiarium
Per nostrum inpluvium intus apud nos Philocomasium atque hospitem
Osculanteis. PAL. Quis homo vidit? PER. Tuos conservo 'st. PAL. Quis is homo est?
PER. Nescio, ita abripuit repente sese subito. PAL. Subspicor.....

« Sua lege decem millium æris est damnatus, quod mille jugerum agri cum filio possideret, emancipandoque filium fraudem legi fecisset », i. e. dolo elusisset legem. Ergo « ne fraudem, etc. » est, ne inter ludendum talis se decipiant in convivio, demitte iis talos. Oratio magnifica vocum sono, sensu levis. *Sine talis* duo significare potest, et crurifragium et talorum lusoriorum inopiam. Sic apud Phædrum : « sinistram fregit tibiam, duas quum dextras maluisset perdere ». GRON.

14. *Et en advorsum*, etc. Vulg. « estne advorsum? est quasi collaturus pedem ». Cum Grutero sentio, legente ex scriptis codicibus, qui verba illa, « collaturus pedem », ignorant, « itne advorsum? it quasi ». Scriptum fuit vitiose, « et ne advorsum », pro « it ne advorsum ». Unde factum est, « estne advorsum ». SALM. — *Estne advorsum? est quasi.* Hactenus scripti : unde restituendum censeo : « Aggredior hominem : et en advorsum it quasi ». Dum pronuntiat initium versus Palæstrio, flectit se Periplectomenes in ingressu, ut desineret esse aversus Palæstrioni, et ei tergum ostendere, non tamen omnino fieret adversus, sed latus ei objiceret, et quodammodo fieret adversus. GRON.

21. *Subspicor....* Lusus præter exspectatum, Plauto familiaris. N.

Me perisse. PER. Ubi abiit, conclamo : heus quid agis tu, inquam, in tegulis?
Ille, mihi abiens ita respondit, se sectari simiam.
PAL. Væ mihi misero, quoi pereundum'st propter nihili bestiam.
Sed Philocomasium heiccine etiam nunc est? PER. Quom exibam, heic erat.
PAL. Sis, jube transire huc, quantum possit; se ut videant domi
Familiareis : nisi quidem illa nos volt, qui servi sumus,
Propter amorem suom omneis crucibus contubernaleis dari.
PER. Dixi ego istuc; nisi quid aliud vis. PAL. Volo : hoc dicito,
Profecto ut ne quoquam ingenio degrediatur muliebri,
Artem et disciplinam obtineat, et colorem. PER. Quemadmodum?
PAL. Ut eum, qui heic se vidit, vero vincat, ut ne viderit :

22. *Inquam, in tegulis.* Quia postremæ duæ voces neque in scriptis, neque in editionibus antiquis habentur, cancellentur sane : sed ut cedat versus, sicut omnes tota hac scena, scribatur *inquio*. GRON.

26. *Se ut videant domi Familiareis.* Scil. militis. Jam *se* pro *ipsam* more Plauti positum esse ait Gruterus. Conf. vs. 32, 36. Sententia est : Jube, si vis, Philocomasium transire ad nos, quam citissime fieri possit, ut familiares militis videant se, id est, ipsam Philocomasium domi. LAMB.

28. *Omneis crucibus contubernaleis dari.* Sic Aulul. I, 1 : « ego te dedam discipulam cruci ». TURN.

29. *Dixi ego istuc*, etc. Quod cupis, jam dixi, ita ut nihil dicendum supersit, nisi aliud vis. Formula digrediendi. Conf. Aulul. III, 6, 43. N.

30. *Profecto ut ne*, etc. Hic versus e codice rescripto reductus est ab Angelo Maio. LINDEM.

31. *Artem et disciplinam*, etc. Vulgatæ, « Paret artem et discipl. obtineat colorem. — Et quemadmodum? » versu laborante. Libri veteres, « earumque », vel « parumque » dant pro « paret ». *Earum* ex interpretamento ortum esse mihi non dubium est. LINDEM. — *Obtineat.* Tenere, obtinere, est servare. *Colorem.* Vultus neque rubeat, neque palleat. LAMB.

32. *Vero*, ut videbitur. Sic fere Amph. I, 1, 267, « vincit argumentis ». Vincat quasi verum esset.

Siquidem centies heic visa sit, tamen infitias eat.
Os habet, linguam, perfidiam, malitiam, atque audaciam,
Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam:
Qui arguet se, eum contra vincat jurejurando suo.
Domi habet animum falsiloquom, falsificum, falsijurium:
Domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.
Nam mulier olitori nunquam subplicat, si qua est mala;
Domi habet hortum et condimenta ad omneis mores maleficos.
PER. Ego istæc, si erit heic, nunciabo. Sed quid est, Palæstrio,
Quod volutas tute tecum in corde? PAL. Paulisper tace,
Dum ego mihi consilia in animum convoco, et dum consulo,
Quid agam: quem dolum doloso contra conservo parem,
Qui illam heic vidit osculantem: id visum ut ne visum siet.
PER. Quære: ego hinc abscessero abs te huc interim. Illuc, sis, vide,
Quemadmodum adstitit, severa fronte curas cogitans.
Pectus digitis pultat, cor, credo, evocaturu'st foras.

34. *Os habet.* Simile illud, « un front qui ne rougit jamais ». *Os* pro impudentia sæpissime. — *Linguam.* Cf. Asin. II, 2, 24-27. N.

37. *Domi.* Cf. Cistell. II, 1, 2.

38. *Delenifica facta.* Θελκτικὰ, ἀπατηλά· facta ad decipiendum comparata. LAMB.

39. *Si qua est mala.* Sententia horum est: « Mulier, quæ natura et ingenio malo est, non necesse habet noxinm olus ex alieno horto petere, domi illud habet. BOXH.

40. *Ad omnes moreis*, etc. Per hortum significat fontem et copiam malitiarum muliebrium. LAMB.

46. *Illuc, sis, vide.* Digressus est a Palæstrione, qui solus consilia volutat sua, et nova incipit ludificatio, dum senex graphice diceudo exsequitur, quidquid Palæstrio gesticulatur. Nunc quemlibet videntem appellat, ad populum conversus: « illud, quæso, vide ». N.

47. *Cogitans.* A simplicis verbi fonte frequeutativum illud *cogitans* deductum videri potest, velut *coagitans* unum in locum. *Cogere* enim simnl agere est, quasi tu *coigere* dicas. Nec abit a vi propria verbi illud Virg. Georg. I: « quid cogitet humidus auster ». DOUZA.

48. *Cor.* In corde sapientia, consilium. Vid. Cist. II, 2, 18. N.

Ecce autem avortit, nisus læva, in femine habet lævam manum,
Dextera digitis rationem conputat, feriens femur
Dexterum vehementer; ita, quod opu'st actu, ægre subpetit.
Concrepuit digitis; laborat, crebro conmutat status.
Eccere autem capite nutat. Non placet quod reperit.
Quidquid est, incoctum non expromet, bene coctum dabit.
Ecce autem ædificat; columnam mento subfulsit suo.
Apage, non placet profecto mi illa inædificatio.
Nam os columnatum poetæ esse inaudivi barbaro,

49. *Ecce autem avortit.* Avertitur. Scilicet a dextra Palæstrionis stabat senex; et ecce Palæstrio corpus in sinistram convertit, sinistro pede insistens. N.

50. *Dextera digitis rationem.* De ratione computandi per digitos accipe hæc, Apul. Apol. « Si triginta annos pro decem dixisses, posses videri pro computationis gestu errasse : quos circulare debueris digitos aperuisse : quum vero quadraginta, quæ facilius cæteris porrecta palma significantur, ea XL tu dimidio auges, non potes digitorum gestu errasse ». Porro omnes numeri, usque ad centesimum, in sinistra locabantur : in dextra centesimus incipiebat, inde rursum ducentesimus ad sinistram referebatur. Hinc intelligendum, quod apud Juvenal. Sat. X : « Felix est nimirum, qui per tot sæcula mortem Distulit, atque suos jam dextra computat annos ». Tale est græcum Nicarchi de ann, Anthol. II, p. 194 : γῆρας ἀριθμεῖσθαι δεύτερον χερὶ λαιῇ ἀρξαμένη. Hieron. adv. Jovianum : « Centesimus numerus de sinistra transfertur ad dextram ». Gronov.*

51. *Dexterum vehem.* etc. Vulg. « Dexterum ita vehementer, quod tactu ægre subpetit ». Nos ex Lambino et Acidalio *opus* recepimus, et *actu* pro *tactu*, haud repugnantibus MSS, ac paulum immutato verborum ordine, sententiam opinamur restitutam. Ferire femur est signum impatientis iræ animi, μηρὸν κρούσαι, inquit Epictetus; et sic *vehementer* melius cum *feriens* quam cum *opu'st* convenit. *Ita*, valet *quia*. Vid. Capt. III, 5, 16. N.

53. *Nutat*, abnutat, quia non placet illi quod reperit. N.

54. *Incoctum..... coctum.* Lusus de duplici locutione, « coquere cibum, concoquere consilia ». N.

55. *Columnam.* Quum quis mento brachium supponebat, dicebatur columnare os, metaphora columnarum in ædibus. Hinc jocus. N.

57. *Nam os columnatum.* Apparet jam tum etiam, quum hanc fabulam commentaretur Plautus, Nævium, ob maledicentiam Romæ in vinculis triumviralibus seu custodia publica fuisse : unde postea, quum Hariolum et Leontem fabulas scripsisset, in iisque petulantias dictorum, quibus multos ante læserat,

Quoi bini custodes semper totis horis adcubant.
Euge, euge, euscheme adstitit, hercle, dulice et comœdice:
Nunquam hodie quiescet, priusquam id, quod petiit, perficit.
Habet, opinor: age, si quid agis; vigila, ne somno stude;
Nisi quidem heic agitari mavis varius virgis: ego tibi
Dico: anferiatus ne sis: hem te adloquor, Palæstrio:
Vigila, inquam; expergiscere, inquam; lucet hoc, inquam.
PAL. Audio.
PER. Viden' hosteis tibi adesse? tuoque tergo obsidium? consule.
Adripe opem auxiliumque ad hanc rem: propere hoc, non placide decet.
Antemæni aliqua vos, aut tu circumduce exercitum,
Curre in obsidium perduellis, nostris præsidium para.

dilnisset, per tribunos pl. liberatus est. Gell. III, 3. — *Os columnatum* antem jocans vocat, os brachio tamquam columna subnisum. Nævius enim in commentando solebat manum mento suffulcire. DOUZA. — *Barbaro.* Vid. Asin. prol. 11. N.

58. *Bini custodes.* Veteres illi *canes* vocabant *custodes:* et contra, qui custodiæ præfecti erant, *canes.* Sic Columella «multos custodes», et carmen Phallic. *custodes* dixit canes. Quo Plautus hic αἰνιγματικῶς allusit. SCALIG.

59. *Dulice et comœdice.* Hendiadys, i. e. ut comici servi solent, et sic explicatur *euscheme.* Hoc versu græcissat latinus poeta. Εὐσχημόνως, δουλικῶς. N.

61. *Age, si quid agis.* Locutio solemnis jubentis intente agere et sedulo. Sic fere Epid. IV, 1, 40: «fac videam, si me vis». N.

62. *Varius.* Vid. Epid. I, 1, 15. — *Ego tibi.* Hæc verba vulgatæ sequenti versu adstruunt, et hunc verbo *vigila* claudunt, quod manifeste repetitum ex priore fuit, perturbata carminis ratione. Auctore Lindemanno sic edidi. N.

63. *Anferiatus.* Codd. ferunt *anseriatus*, *anheriatus.* Docti vulgatis emendavere «au l feriatus». Credo, Danzius verum dispexit, qui *anferiatus* restituit, i. e. feriatus circum. Nam particula *am* valet circum; e. g. «amplecti, ambustus». Anferiatus esset ridicula significatio verborum, præterea ad verbum *ferire* paronomasia. N.

64. *Hoc*, nunc. Cf. I, 3, 26.

67. *Antemæni aliqua vos.* Vulgatæ, «Antevenito aliqua aliquos». At codd. «ante mœnia». Credo *aliquos* per oscitantiam scribarum irrepsisse repetentium *aliqua* ante *vos.* N.

68. *In obsidium perduellis.* Non satisfaciunt mihi in hujus loci explicatione viri eruditi. Omnino le-

Intercludito inimicis conmeatum, tibi muni viam,
Qua cibatus conmeatusque ad te et legiones tuas,
Tuto possit pervenire : hanc rem age ; res subitaria'st.
Reperi, conminiscere, cedo calidum consilium cito.
Quæ heic sunt visa, ut visa ne sint, facta infecta uti sient.
Magnam illeic, homo, rem incipissis, magna mænis mœnia.
Tute hoc si unus recipere ad te dicis, confidentia'st
Nos inimicos profligare posse. PAL. Dico et recipio.
PER. Et ego inpetraturum dico id quod petis. PAL. At te Jupiter
Bene amet. PER. At inperti, amice, me, quod conmentu's. PAL. Tace,
Dum in regionem astutiarum mearum te induco, ut scias
Juxta mecum mea consilia. PER. Salva sumes indidem.
PAL. Herus meus elephanti corio circumtentu'st, non suo,
Neque habet plus sapientiæ, quam lapis. PER. Egomet istuc scio.

gendum censeo : « Curre in obsidium, perdue illos, nostris præsidium para ». *Perdue*, pro *perde*, ab antiquo, *perduo*. BOXH. — Non improbarem legi, ut Boxhornius conjectavit, « curre in obsidium, perdue illos », nempe hostes, de quibus præcedit in vs. 65 : « Viden' hostes tibi adesse? » Potest tamen etiam ferri vulgata. SALM.— Aut assentiendum Camerario, qui pro *curre* legit *coge :* idque assentiente Lambino ; sed dissentientibus Lipsio et Douza, qui *curre* approbant; aut, quo nihil puto simpliciu, *perduellis* singulo numero posuerit, pro *perduellium*. Quasi dixisset « in obsidium hostis », sive « populi hostilis ». VOSS.

71. *Hanc rem age*. Conf. Curcul. V, 2, 36. N.

72. *Cedo*, ede. — *Calidum*. Cf. Epid. I, 2, 38. N.

74. *Mœnia*, quæcumque vel ad defensionem, vel ad oppugnationem opera parantur. N.

77. *Et ego*, etc. Vulgatis versus incipit « Ad me », quæ cum *recipio* junguntur. Sed onerant versum hunc, et orationem trahunt otiose, quæ librarius forte crediderit repetenda ex præcedentibus. N.

80. *Salva sumes indidem*. Hæc integra servabo, siquidem indidem, ubi posueris, salva poteris resumere. Comice dictum, quo taciturnitatem pollicetur. N.

81. *Elephanti*. Immanis bestia est meus herus. N.

82. *Quam lapis*. Terent. Eun. V, 8, 55 : « satis diu hoc jam saxum volvo ». Hecyr. II, 1, 17 : « quæ

PAL. Nunc sic rationem incipissam, hanc instituam astutiam,
Ut Philocomasio hanc sororem geminam germanam alteram
Dicam Athenis advenisse cum amatore aliquo suo,
Tam similem, quam lacte lacti est. Apud te eos heic devortier
Dicam hospitio. PER. Euge, euge, lepide: laudo commentum tuum.
PAL. Ut si illeic concriminatus siet advorsum Militem
Meus conservos, eam vidisse cum alieno oscularier,
Arguam hanc vidisse apud te contra conservom meum
Cum suo amatore amplexantem atque osculantem. PER. Imo optume.
Idem ego dicam, si me exquiret Miles. PAL. Sed simillumas
Dicito esse; et Philocomasio id præcipiendum'st, ut sciat,
Ne titubet, si quæret ex ea miles. PER. Nimis doctum dolum!
Sed si ambas videre in uno Miles concilio volet,
Quid agimus? PAL. Facile 'st: trecentæ possunt causæ conligi:
Non domi'st, abiit ambulatum, dormit, ornatur, lavat,
Prandet, potat, obcupata'st, operæ non est, non potest.
Quantumvis prolationum, dum modo nunc prima via

me omnino lapidem, non hominem putas ». N.

86. *Lacte lacti.* Conf. Amph. II, 1, 54. N.

88. *Advorsum*, coram. N.

90. *Arguam*, etc. Arguam contra quod conservus meus viderit hanc geminam alteram, hospitem tuam, etc. » N.

94. *Nimis.* Aulul. II, 2, 31. N.

96. *Facile 'st*, expeditu. N. — *Causæ.* Προφάσεις, prætexta, excusationes. LAMB.

97. *Ornatur*, scilicet magna occupatio, quæ diu possit militem prohibere. Dum comuntur, annus est. N.

98. *Potat.* Vid. Asin. argum. vs. 1. — *Obcupata 'st.* An interpretandum ex Asin. IV, 1, 15? N.— *Operæ non est.* I. e. non vacua. Gall. *elle n'a pas le temps.* Vid. inf. III, 2, 6. N.

99. *Quantumvis prolationum* proponamus. — *Nunc.* Fortasse potius *hunc.* — *Prima via*, primo. N.

Inducamus, vera ut esse credat, quæ mentibitur.
PER. Placet, ut dicis. PAL. Intro abi ergo, et si istei est mulier, eam jube
Cito domum transire, atque hæc ei monstra; præcipe,
Ut teneat consilia nostra, quemadmodum exorsi sumus
De gemina sorore. PER. Docte tibi illam perdoctam dabo.
Numquid aliud? PAL. Intro ut abeas. PER. Abeo. (abit.) PAL. Et quidem ego ibo domum,
Atque hominem investigando operam sumam (hinc dissimulavero),
Qui fuerit conservos, qui hodie sit sectatus simiam.
Nam ille non potuit, quin sermoni suo aliquem familiarium
Participaverit de amica heri, sese vidisse eam
Heic in proxumo osculantem cum alieno adulescentulo.
Gnovi morem egomet; tacere nequeo quæ solus scio.
Si invenio qui vidit, ad eum vineas pluteosque agam.

100. *Quæ mentibitur.* Vel passive impersonaliter sumes *mentibitur*, et τῷ *quæ* per hellenismum subdes, *secundum*, vel subintelligas « *illa*, Philocomasium se coram milite purgitans ». N.

101. *Istei*, ut *illei*, i. q. istic, illic. Amph. prol. 133.

103. *Exorsi sumus*, consilium iniimus. Vid. Bacch. I, 2, 19. N.

105. *Numquid aliud* vis? Cistell. I, 1, 119, 121. N.

106. *Hinc*, a me, pro parte mea. N.

108. *Sermoni suo.* Participare aliquem alicui rei, est conscium et participem alicujus rei facere. Eadem syntaxi Lucret. III: « Ut dentes quoque sensu participentur ». *Sensu* dixit pro *sensui*, ut Virgil. *venatu* pro *venatui*. Gron.*

111. *Gnovi morem*, etc. Vulgat. « Novi morem ego : et tacere nostrum solus scio ». Dedimus ingeniosam Lindemanni emendationem, « nequeo solus », cum MSS consentientem. — *Egomet.* Id est, ipse meo exemplo. N.

112. *Si invenio*, pro, si invenerim. Vid. Bacch. IV, 5, 6. N. — *Ad eum vineas pluteosque*, etc. Allegoria a re militari, qua significatur se machinas omnes et artes adhibiturum, quibus Sceledro et militi persuadest, sorores germanas inter se simillimas esse. Lipsius. — Milites romani in obsidione opera facere aut muros subruere solebant tecti generibus quibusdam machinarum, quas *vineas* et *pluteos* appellabant : inter quæ duo hoc intererat, quod *plutei* erant similes appendicibus ædificiorum, quæ in unam tantum partem tectum habent, ut et *plutei*, in quibus scribimus : *vineæ* in utramque partem

Res parata'st, vi pugnandoque hominem capere certa re'st.
Si ita non reperio, ibo odorans quasi canis venaticus,
Usque donec persecutus volpem ero vestigiis.
Sed foreis concrepuerunt nostræ; ego voci moderabo meæ.
Nam illic est Philocomasio custos meus conservos, atque it foras.

SCENA TERTIA.

SCELEDRUS, PALÆSTRIO.

SCEL. Nisi quidem ego hodie ambulavi dormiens in tegulis,
Certo, edepol, scio me vidisse heic proxumæ viciniæ
Philocomasium herilem amicam sibi alium quærere.
PAL. Hic illam vidit osculantem, quantum hunc audivi loqui.
SCEL. Quis hic est? PAL. Tuos conservos. Quid agis, Sceledre? SCEL. Te, Palæstrio,
Volupe'st convenisse. PAL. Quid jam? aut quid negoti, fac sciam.
SCEL. Metuo. PAL. Quid metuis? SCEL. Ne, hercle, hodie, quantum heic familiarium'st,
Maxumum in malum cruciatum insiliamus. PAL. Tu sali
Solus; nam ego istam insulturam et desulturam nil heic moror.

devexitatem tecti habebant. Utriusque munimenti descriptio est apud Vegetium, IV, 15. GRON.*

116. *Foreis concrep.* Vide supra II, 1, 76. N.

8. *Maxumum in mal. cruc.* Malus cruciatus, mala crux, quasi appellatio simplex et una. Cf. Curc. I, 3, 38. N. — *Insiliamus.* Duo præcipua in historia *crucis* sunt, τὸ ὑποπόδιον, καὶ τὸ ἐξέχον πῆγμα, et tertium funes. Nam supplicio afficiendi pede in suppedaneum posito, crucem ascendebant: unde « ascendere in crucem », et *insilire*, et *crucisalus* in Bacch. II, 3, 128. SCALIG.

2. *Heic vic.* in hac parte vicin.

5. *Quid agis.* Aulul. I, 2, 39.

9. *Istam insulturam et desulturam.* Jocatur, et alludit ad *desultores*, qui duobus absque ephippiis utentes equis ex uno desiliebant, et in alterum mira celeritate insiliebant. *Desultoria levitas*, et *desultorius*, in-

SCEL. Nescis tu fortasse, apud nos facinus quod gnatum 'st novom.

PAL. Quod id est facinus? SCEL. Inpudicum. PAL. Tute sci soli tibi,
Mihi ne dixis, scire nolo. SCEL. Non enim faciam, quin scias.
Simiam hodie sum sectatus nostram in horum tegulis.
PAL. Edepol, Sceledre, homo sectatu's nihili nequam bestiam.
SCEL. Di te perdant. PAL. Te istuc æquom, quoniam ocœpisti eloqui.
SCEL. Forte fortuna per inpluvium huc despexi in proxumum:
Atque ego illa adspicio osculantem Philocomasium cum altero
Nescio quo adulescente. PAL. Quod ego, Sceledre, scelus ex te audio?
SCEL. Profecto vidi. PAL. Tuten'? SCEL. Egomet duobus his oculis meis.

constans, instabilisque ingenii homo. ERN. — *Nil moror.* Cf. Capt. prol. 16. — *Heic*, in hac re, nunc.

11. *Tute sci soli tibi.* Vulgata, « tute scis soli te tibi », sensu et metro perturbatis; quippe quum *scis* dicant pro *scias* positum, de *te* nihil. Videlicet *s* in fine verbi *sci* librarius duplicaverit a sequente *solus*, et *tute* fortasse eum ad repetendum *te* indiligentem deduxerit. N.

12. *Non enim fac.* At non abstinebo, quominus tibi dicam. — *Enim* pro *autem*, Bacch. IV, 10, 6.

14. *Homo... nihili.* Bacch. IV, 8, 63. Malus malam. *Sectatu's.* Ambigue, nam sectantur discipuli magistros. N.

15. *Te istuc æquom.* Jocus Plauto familiaris, ut notavit olim Palmerius. Sed sciendum distinctionem factam ex sensu Palæstrionis, non ut ea videtur intelligere altera persona. Te istuc faciant dii æquum est, quod mihi ominari cœpisti. At Sceledrus accipit, quasi diceret: « Te istuc æquum, quoniam occœpisti, eloqui ». Æquum est te pergere in narrando quod incepisti. Utrique sensui satius videtur fore: « quod jam occœpisti »: ut video etiam placere Dissaldæo. GRON.

17. *Cum altero.* Scilicet ibi non sola erat, quippe cum altero. Nam sensum fieri « eam fuisse cum alio ac milite » non opinor. Cum altero i. q. cum aliquo. Vid. vs. 49. N.

19. *Tuten'?* tune?

PAL. Abi, non verisimile dicis, neque vidisti. SCEL. Num tibi
Lippus videor? PAL. Medicum istuc tibi melius percontarier.
Verum enim tu istam, si te di amant, temere haud tollas fabulam.
Tuis nunc cruribus capitique fraudem capitalem hinc creas.
Nam tibi jam, ut pereas, paratum 'st dupliciter, nisi subprimis
Tuom stultiloquium. SCEL. Quî vero dupliciter? PAL. Id dicam tibi.
Primumdum, si falso insimulas Philocomasium, hoc perieris;
Iterum, si id verum 'st, tu ei custos additus perieris.
SCEL. Quid fuat me, nescio: hæc me vidisse ego certo scio.
PAL. Pergin', infelix? SCEL. Quid tibi vis dicam, nisi quod viderim?
Quin, etiam nunc intus heic in proxumo 'st. PAL. Eho, an non domi 'st?
SCEL. Vise, abi intro tute: nam ego mihi nil credi postulo.

21. *Istuc.* De hoc quod me interrogas, medicum potius quam me consule. N.

22. *Temere haud tollas fabulam.* Alludit ad morem patrum, qui agnoscebant recens natos liberos, tellure cadentes tollendo ac suscipiendo. Qui tollebat infantem, patrem ejus se profitebatur, puerum educabat ac nutriebat: sic *tollit fabulam*, qui ejus se facit auctorem, qui incipit serere ac fovere, qui pro vera agnoscit. Hinc exsistit quidem ut palam fiat ac divulgetur: non tamen *tollere* proprie est divulgare et palam facere. GRON. — Docta interpretatio, qua tamen alia simplicior magis arridet mihi. *Tollere* antiquis erat i. q. ferre. Nævius tabellaria «dotem ad nos nullam adtollat». At «fabulam ferre» erit fando aliquid vulgare. N.

23. *Tuis nunc cruribus capitique fraudem*, etc. Cruribus tuis compedes, vel crurifragium, et capiti, id est, vitæ extremam pœnam hoc sermone, si palam fiet, paras. Veteres enim *fraudem* pro pœna ponebant. ERN.

28. *Quid fuat me.* Cf. Aulul. IV, 10, 46. N.

31. *Mihi nil credi postulo*, sed rei potius.

PAL. Certum 'st facere id. SCEL. Heic te obperiar; eadem illi insidias dabo,
Quam mox horsum ad stabulum junix recipiat se a pabulo.
(abit Palæstrio.)
Quid ego nunc faciam? custodem me illi miles tradidit.
Nunc si indicium facio, interii; si taceo, interii tamen,
Si hoc palam fuerit. Quid pejus muliere atque audacius!
Dum ego in tegulis sum, illæc hac se hospitio edit foras.
Edepol, facinus fecit audax! hoccine si miles sciat?...
Credo, hercle, has sustollat ædeis totas, atque hinc in crucem.....
Hercle, quidquid est, mussitabo potius, quam interéam male.
Non ego possum, quæ ipsa sese venditat, tutarier.
PAL. Sceledre, Sceledre. SCEL. Quis homo interminat? PAL. Est te alter audacior?
Quis magis dis inimicis gnatus, quam tu, atque iratis? SCEL. Quid est?

32. *Eadem illi insidias dabo.* Eadem opera (conf. Bacch. I, 1, 15) ex occulto loco Philocomasium observabo, quam tempestive, horsum, hanc partem versus, se in ædes nostras recipiat e domo vicini. ERN.

33. *Junix.* Haud mirum junici adsimulari puellam, siquidem se verrem dicet Pyrgopolinices. — *A pabulo.* Hoc pabulum æque urbanum atque τὸ « saturam intellego », Amph. II, 2, 35. N.

39. *Credo, hercle, has sustollat ædeis*, etc. Antiquitus moris fuit, ut in magnis sceleribus non modo animadverteretur in homines ipsos, qui deliquerant, sed eorum quoque sedes: quod probo ex Varrone, Valer. Max. VI, 3, Cicerone, Livio, Quint. III, 7, aliisque. GRUT. — Imo si moris id non esset, tremendus ille Pyrgopolinices, quojus spiritu difflantur exercitus, ædes, dedecoris sui conscias, iratus subverteret. Acidal. vult ædes, ut domum, dici pro *familia.* Sed dubium est an hoc sensu *ædes* pro *domu* usurpentur. — *Atque hinc in crucem* me tollat. N.

40. *Mussitabo*, reticebo. Æn. IX, 345, « dicere mussant ».

41. *Sese venditat.* Id est, vendere et prostituere cupit. TURN.—Vide Stich. II, 1. — *Tutarier*, custodire ab omni culpa. N.

42. *Interminat?* Minaci voce me inclamat? Trepidat enim Sceledrus, quidquid audit, jam adesse pœnam credens.—*Audacior.* Commodius et metro et sententiæ congrueret *mendacior.* N.

PAL. Juben' tibi oculos ecfodiri, quibus id, quod nusquam 'st, vides?
SCEL. Quid, nusquam? PAL. Non ego nunc emam vitam tuam vitiosa nuce.
SCEL. Quid negoti 'st? PAL. Quid negoti sit, rogas? SCEL. Cur non rogem?
PAL. Nonne tibi istam prætruncari linguam largiloquam jubes?
SCEL. Quamobrem jubeam? PAL. Philocomasium eccam domi, quam in proxumo
Vidisse aibas te osculantem atque amplexantem cum altero.
SCEL. Mirum 'st lolio victitare te, tam vili tritico.
PAL. Quid jam? SCEL. Quia luscitiosus. PAL. Verbero! edepol, tu quidem
Cæcus, non luscitiosus: nam illam quidem eccam domi.
SCEL. Quid, domi? PAL. Domi, hercle, vero. SCEL. Abi, ludis me, Palæstrio.
PAL. Tum mihi sunt manus inquinatæ. SCEL. Quîdum? PAL. Quia ludo luto.

50. *Mirum 'st lolio victitare te, tam vili tritico.* Quasi dicat : Si triticnm carum esset, non esset mirum te lolio vitam tolerare : nnnc vero quum tam vile sit triticum, etc. Constat autem *lolium*, propter vapores acres quos in cerebrum tollit, non solum ebrietatis speciem quamdam creare, sed oculos vitiare et obtuudere. Ovid. Fasl. I, 691. Serv. ad Virg. Eclog. V, 37 : « Et careant loliis oculos vitiantibus agri ». LAMB.

51. *Luscitiosus.* Luscitionem dici putat Ulpian. ubi homo lumine adhibito nihil videl : cui et Nonius adstipulatur, et Varro. Sed Festus ait, vitium esse oculorum, qunm quis clarius vespertino tempore, quam meridie ceruit. Interim hunc locum propius inspicienti palel, per *luscitiosum* non intelligi hic eum, qui nihil, sed qni male aut parum videt. Sequentia ista, « edepol, tu quidem cæcus, non luscitiosus », satis ostendunt hanc hujus vocabuli esse significationem.

53. *Ludis me, Palæstrio.* PAL. *Tum mihi sunt manus inquinatæ.* Ita sine interrogatione ἀποφαντικῶς lego, ut jocus sit ex ambiguo. Nam Sceledrus *ludis me*, sic accipit, ut *me*, sit acc. casus : Palæstrio, ut sit sexti : ut quum dico, « Ludere pila, disco ». DOUZA.

54. *Quia ludo luto.* Tu enim ho-

SCEL. Væ capiti tuo! PAL. Tuo istuc, Sceledre, promitto fore,
Nisi oculos orationemque aliam conmutas tibi.
Sed foreis concrepuerunt nostræ. SCEL. At ego illas observo foreis.
Nam nihil est, qua hinc huc transire ea possit, nisi recto ostio.
PAL. Quin domi eccam: nescio, quæ te, Sceledre, scelera suscitant.
SCEL. Mihi ego video, mihi ego sapio, mihi ego credo plurimum;
Me homo nemo deterruerit, quin ea sit in his ædibus:
Heic obsistam, ne inprudenti huc ea se subrepsit mihi.
PAL. (secum.) Meus illic homo est: deturbabo jam ego illum de pugnaculis.
Vin' jam faciam, uti stultividum te fatearis? SCEL. Age face.
PAL. Neque te quidquam sapere corde, neque oculis uti? SCEL. Volo.
PAL. Nempe tu isteic ais esse herilem concubinam? SCEL. Atque arguo
Eam me vidisse osculantem heic intus cum alieno viro.
PAL. Scin' tu nullum conmeatum huc esse a nobis? SCEL. Scio.

mo lutulentus es: qui autem lutum manibus tractant, inquinantur. DOUZA. — Pisonem Cicero appellat « cœnum ». Orat. in Pis. c. 6. N.

55. *Tuo istuc*, etc. Asin. II, 2, 40.

58. *Recto ostio.* Illud opponitur postico, et intelligitur *anticum*. Cf. Stieglietz, Archæol. architect. III, pag. 169. LINDEM.

59. *Quæ te, Sceledre, scelera.* Quæ te furiæ scelerum vindices agitant, externantque mentem? Virgil. Æn. III, 331: « scelerum furiis agitatus Orestes ». Cf. Men. II, 2, 47. N.

60. *Mihi*, pleonasmus qui vim affirmandi intendit. N.

61. *Deterruerit, quin*, etc. Mihi tantas turbas objiciet, ut non credam, etc. N.

63. *Meus illic homo.* Decipiendi hominis occasio est. Hunc teneo.

65. *Oculis uti*, usum habere oculorum. N.

68. *Huc.* Vulgata *hinc;* ambo facile MSS confunduntur. N.

PAL. Neque solarium, neque hortum, nisi per impluvium? SCEL. Scio.
PAL. Quid nunc, si ea domi 'st, si faciam ut eam exire hinc videas domo?
Dignus es verberibus multis? SCEL. Dignus. PAL. Serva istas foreis,
Ne tibi clam se subterducat istinc, atque huc transeat.
SCEL. Consilium 'st ita facere. PAL. Pedes ego jam illam huc tibi sistam in viam.
SCEL. Agedum ergo, face. (abit Palæstrio.) Volo scire utrum ego id quod vidi, viderim;
An illic faciat, quod facturum dicit, ut ea sit domi.
Nam ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris.
Sed hic illi subparasitatur semper, hic ei proxumu'st;
Primus ad cibum vocatur, primo pulmentum datur:
Nam illic noster est fortasse circiter triennium.
Neque quoiquam, quam illi, in nostra melius famulo familia.
Sed ego hoc quod ago, id me agere oportet, hoc observare ostium.
Heic obsistam; hac quidem, pol, certo verba mihi nunquam dabunt.

69. *Solarium.* Solarium, locus ubi solent apricari. Fiebat autem in ædibus ad excipiendam auram et vaporem solis. Dicitur et *heliocaminus.* TURNEB. — Nullum esse pervium locum, qua in ædes vicini transeatur, adeo ut per impluvium, muro exsuperato, transiisse illam oporteat. N.

73. *Pedes ego jam.* Non videtur reponendum *per ædes* pro vulgato *pedes.* Dicit se non ascensurum esse in tegulas, vel impluvium, ut eam in viam sistat, sed peditem id facturum, i. e. de plano. SALM. — Acidalius emendat *pede :* illam adducam coram te, et videbis hic in via stantem pedibus. Si forte fuisset « in pedes » ? Sæpe accus. pro abl. cum *in.* Vid. Aulul. IV, 3, 4. N.

76. *Meos... nec... foris.* Cf. Asin. II, 2, 53. N.

77. *Subparasit.* Amph. I, 3, 17.

80. *Melius famulo.* Men. IV, 2, 39.

SCENA QUARTA.

PALÆSTRIO, PHILOCOMASIUM, SCELEDRUS.

PAL. Præcepta facito, ut memineris. PHIL. Toties monere mirum'st.
PAL. At metuo, ut satis sis subdola. PHIL. Cedo vel doctas, docebo :
Memini malas, ut sint malæ; mihi solæ e quo superfit.
PAL. Age, jam nunc insiste in dolos : ego abs te procul recedam.
Quid adstas, Sceledre? SCEL. Hanc rem gero : habeo aureis, loquere quidvis.
PAL. Credo ego istoc exemplo tibi esse eundum actutum extra portam,

3. *Memini*, scio, ut « memoriter » scite. — *Memini malas, ut*, etc. Hellenismus. I. e. scio quemadmodum malæ quæ sunt, malæ sint. *Malas*, callidas, vafras. Gallicum hujus ingenii nomen est *malice*. — *E quo*, unde, scilicet e fonte malitiarum.—*Superfit*, abundat. — *Solæ*, vetus pro « soli », significat excellentiam. Vid. Men. II, 3, 21. Mihi tantum est malitiarum præ omnibus, ut supersit. N.

5. *Hanc rem gero*, scilicet : quod meum est ago : nam ibi sum custos. N.

6. *Istoc exemplo*. Quum Sceledrus in otio staret, mulierculam redituram exspectans, ne qua elaberetur, ad eum Palæstrio : bene est, inquit, forma et status in te, qui mox erit; quum herus alligatum te patibulo per urbem ducet. Atqui stetisse eum opinor manibus ante se projectis et leviter diductis, habitu quo solent captantes et apprehensuri. LIPS. — *Extra portam*, scilicet Metiam, quæ eadem cum Esquilina. Supplicia pleraque apud Romanos sumi solita extra portas : credo, ne frequenti sanguine et cæde contaminari oculi civium, aut delibari videretur libertas. Itaque et carnifex domum habuit extra urbem. LIPS. — Fuit Athenis, sed et in aliis urbibus, janua una, quam χαρώνειαν θύραν vocabant, qua ad supplicium educebantur capitis damnati. Hinc hoc loco proverbium, « extra portam ire ». Seneca, Controv. lib. I : « Extra portam istam virginem ». Respondet istis Græcorum, ἐς μακαρίαν, et ἐς κόρακας. Terent. « Malum foras ». CASAUB.

Dispessis manibus patibulum quom habebis. SCEL. Quamnam ob rem?
PAL. Respicedum ad lævam : quis illæc est mulier? SCEL. Pro di inmortaleis!
Heri concubina 'st hæc quidem. PAL. Mihi quoque, pol, ita videtur.
Age nunc jam, quod lubet. SCEL. Quid agam? PAL. Peri perpropere.
PHIL. Ubi iste bonus servos, qui propudi me maxume innocentem
Falso insimulavit? PAL. Hem tibi : hic mihi id dixit. SCEL. Tibi. PHIL. Quid dixti
Tu te vidisse in proxumo heic, sceleste, me osculantem?
PAL. Atqui cum alieno adulescentulo, dixit. SCEL. Dixi, hercle, vero.
PHIL. Tun' me vidisti? SCEL. Atque his quidem oculis. PHIL. Carebis, credo,
Qui plus vident, quam quod vident. SCEL. Nunquam, hercle, deterrebor,
Quin viderim id quod viderim. PHIL. Ego stulta et mora multum,
Quæ cum hoc insano fabulem, quem, pol, ego capitis perdam.
SCEL. Noli minitari; scio crucem futuram mihi sepolchrum:
Ibi mei majores sunt siti, pater, avos, proavos, abavos.
Non possunt mihi minaciis tuis hisce oculi fodiri.
Sed paucis verbis te volo, Palæstrio. Obsecro, unde hæc
Huc exit? PAL. Unde, nisi domo? SCEL. Domo? PAL. Me vide. SCEL. Te video.

12. *Hem tibi*, illum ostendo. Cf. Capt. IV, 2, 79. SCEL. *Tibi*, scil. dixi. Genus affirmandi. N.

18. *Capitis perdam*. Conf. Asin. I, 2, 6. N.

21. *Oculi fodiri*. Licet mineris, non cæcus esse possum, neque videre, quod video. N.

22. *Me vide.—Te video*. Vulgatæ, « Me videmc.—Video », per-

Nimis mirum 'st facinus, quomodo hæc hinc potuerit transire!
Nam certo neque solarium 'st apud nos, neque hortus ullus,
Neque fenestra, nisi clatrata..... nam certo ego te heic intus vidi.
PAL. Pergin', sceleste, intendere, atque hanc arguere? PHIL. Ecastor, ergo
Mi haud falsum eveniat somnium, quod noctu hac somniavi.
PAL. Quid somniasti? PHIL. Ego eloquar: sed, amabo, advortito animum.
Hac nocte in somnis mea soror gemina germana visa
Venisse Athenis in Ephesum cum suo amatore quodam:
Hi ambo hospitio huc in proxumum mihi devorti sunt visi.
SCEL. Palæstrionis somnium narratur. PAL. Perge porro.
PHIL. Ego læta visa, quia soror venisset, propter eamdem

peram. Sceledrum dubitantem Palæstrio jubet sibi habere fidem his verbis, « me vide ». Hac formula utuntur Romani, quum alterum fiduciam habere et affirmanti credere jubent. Ea Plauto maxime familiaris est. Veluti Trinum. III, 3, 79; Mercat. V, 4, 53. Sceledrus vero verba lepide proprie accipiens respondet, « video te quidem; sed quid hoc est? » quibus maxime apposita sunt quæ sequuntur. LINDEM.

26. *Nam certo*, etc. Convertitur nunc ad Philocomasium. *Nam* i. q. autem. Amph. prol. 104. N. — *Clatrata*, clatris vallata. Clatri seu clatra virgæ sunt ligneæ aut ferreæ, quibus fenestræ muniuntur: hinc *clatrare* etiam apud Columellam, lib. IX, cap. 1. ERN.

27. *Intendere*. Donatus ad Terent. Eun. III, 3: « Intendere, est crimen in adversarium jacere ». ERN.

33. sc. *Palæstrionis somnium narratur*. Ita *Palæstrionis*, non *Palæstrioni*, ipsa sententia clamitante: ut significet Sceledrus, se ita matulam et stupidum non esse, ut non percipiat somnium quod sibi et Palæstrioni a Philocomasio narratur, Palæstrionis ipsius commentum esse, eamque de compacto verbisque adeo conceptissimis hoc agere. DOUZ.

34. *Ego læta visa*. Quid opus est idem verbum sequenti versu repeti? Numquid fuit: « Ego læta viso ». Ut apud Liv. lib. XXI, de Hannibale: « Hoc visu lætus tripartito copias Iberum traduxit ». GRONOV.

Subspicionem maxumam sum visa sustinere :
Nam arguere in somnis me meus mihi visu'st familiaris
Me cum alieno adulescentulo, quasi nunc est, osculatam esse,
Quom illa osculata mea soror gemina esset suumpte amicum.
Ita me insimulatam perperam falsum esse somniavi.
PAL. Satin' eadem vigilanti expetunt, quæ in somnis visa memoras?
Heus, hercle, præsentia omnia! abi intro, et conprecare.
Narrandum ego istuc Militi censebo. PHIL. Facere certum.
Neque me quidem patiar probri falso inpune insimulatam.
SCEL. Timeo quid rerum gesserim; ita dorsus totus prurit.
PAL. Scin' te periisse? SCEL. Nunc quidem 'st domi certo: certa res est
Nunc nostrum observare ostium, ubi ubi sit. PAL. At, Sceledre, quæso,
Ut ad id exemplum somnium quam simile somniavit,
Atque ut tu subspicatus es eam vidisse te osculantem?
SCEL. Me eam non vidisse arbitraris? PAL. Næ tu, hercle, opinor, (obsecro,
Resipisce) si ad herum hæc res pervenerit, peristi polchre.
SCEL. Nunc demum experior, prius ob oculos mihi caliginem obstitisse.
PAL. Dudum, edepol, hoc planum quidem : quæ heic usque fuerit intus.

37. *Quasi nunc est*, quemadmodum nunc factum est. Epid. III, 2, 23. N.

40. *Expetunt*. Conf. Amph. I, 1, 120. N.

41. *Conprecare*. Conf. Amph. II, 2, 106-110.

44. *Ita dorsus*, etc. Si quam corporis partem prurire sentirent, Veteribus omen erat malum huic imminere. Cf. Amph. I, 1, 139; Asin. II, 2, 49. N.

48. *Atque*, convenit cum *simile*, ut « idem atque ».

50. *Polchre*. Conf. Curc. I, 3,58.

52. *Quæ heic*, etc. Ellipsis. Mani-

SCEL. Nihil habeo certi quid loquar: non vidi eam, etsi vidi.
PAL. Næ tu, edepol, sultitia tua nos pæne perdidisti.
Dum te fidelem facere hero voluisti, absumtu' pæne es.
Sed foreis vicini proxumi crepuerunt: conticiscam.

SCENA QUINTA.

PHILOCOMASIUM, PALÆSTRIO, SCELEDRUS.

PHIL. Inde ignem in aram, ut Ephesiæ Dianæ lauta laudes
Grateisque agam, eique ut Arabico fumificem odore amœne,
Quæ me in locis Neptuniis templisque turbulentis
Servavit, sævis fluctibus ubi sum adflictata multum.
SCEL. Palæstrio, o Palæstrio. PAL. O Sceledre, Sceledre, quid vis?
SCEL. Hæc mulier, quæ hinc exit modo, estne herilis concubina
Philocomasium? an non est ea? PAL. Hercle, opinor, ea videtur.
Sed facinus mirum 'st, quomodo hæc hinc nunc potuerit transire,
Siquidem ea 'st. SCEL. An dubium tibi est eam esse hanc? PAL. Ea videtur.
Adeamus, adpellemus. SCEL. Heus, quid istuc est, Philocomasium?

festum est te caligine laborare, si quidem ita eam arguas, quæ, etc.

1. *Inde i. in ar.* ferri jubeo. *Inde*, deinde, quasi sermo continuatus. Philocomasium, ea ipsa, quam Sceledrus cum Pleuside osculantem vidit, domo Periplectomenis exiens, quasi soror sit germana Philocomasii, non Philocomasium, quasique peregre paulo ante venerit, et ex adversa tempestate servata sit, hic Dianæ Ephesiæ sacrificare et gratias agere, et vota solvere parat. Alloquitur autem ancillam. LAMB.

2. *Grateisque ag.* Conf. Bacch. II, 1; Trinum. IV, 1.

3. *Templisque turbulentis.* Idem quod « loca Neptunia ». Sicut legimus apud Ennium, « cæli templa », et « Acherusia templa »; ita et « Neptuni » seu « Neptunia templa », pro mari. Varro lib. VI in principio: « Templum tribus modis dicitur, ab natura, ab auspicio, ab similitudine. [Ab] natura in cælo; ab auspicio, in terra: ab similitudine, sub terra ». Cf. Rud. IV, 2, 4. GRON.

Quid tibi isteic hisce in ædibus debetur? quid negoti 'st?
Quid nunc taces? tecum loquor. PAL. Imo, edepol, tute tecum;
Nam hæc nihil respondet. SCEL. Te adloquor, viti probrique plena,
Quæ circum vicinos vaga es. PHIL. Quicum tu fabulare?
SCEL. Quicum, nisi tecum? PHIL. Quis tu homo es, aut mecum quid negoti'st?
SCEL. Men' rogas, hem, qui sim? PHIL. Quin ego hoc rogem, quod nesciam?
PAL. Quis ego sum igitur, si tu hunc ignoras? PHIL. Mihi odiosus, quisquis es,
Et tu, et hic. SCEL. Nos non gnovisti? PHIL. Neutrum. SCEL. Metuo maxume.
PAL. Quid metuis? SCEL. Enim ne nosmet perdiderimus uspiam.
Nam neque te, neque me gnovisse ait hæc. PAL. Perscrutari heic volo,
Sceledre, nos nostri an alieni simus: ne dum quispiam
Nos vicinorum inprudenteis aliquis inmutaverit.
SCEL. Certe equidem noster sum. PAL. Et, pol, ego. Quæris tu, mulier, malum.
Tibi dico, heus, Philocomasium. PHIL. Quæ te intemperiæ tenent,
Qui me perperam perplexo nomine adpelles? PAL. Eho,
Quis igitur vocare? PHIL. Glycere nomen est. SCEL. Injuria'st.

16. *Quin ego*, cur non. N.

19. *Ne nosmet perdid.* Sic Amph. I, 1, 300. ERN.

20. *Heic*, nunc, statim. N.

21. *Nos nostri an alieni.* Nostræ familiæ, an alienæ: ita mox, « Certe equidem noster sum ». Cf. Amph. I, 1, 243.

21. *Dum*, paragoge. Inf. III, 3, 20.

22. *Inprudenteis*, non sentientes, inscios. N.

25. *Perplexo*, non simplice, composito. N.

26. *Glycere nomen.* Hoc ita tuetur Gruterus contra Cl. Meursium, quem vide, si operæ. Vide et III, 1.

Falsum nomen possidere, Philocomasium, postulas.
At istuc non decet, et meo adeo hero facis injuriam.
PHIL. Egon'? PAL. Tute. PHIL. Quæ heri Athenis Ephesum adveni vesperi
Cum meo amatore, adulescente Atheniensi? PAL. Dic mihi,
Quid heic tibi in Epheso est negoti? PHIL. Geminam germanam meam
Heic sororem esse inaudivi: eam veni quæsitum. PAL. Mala es.
PHIL. Imo, ecastor, stulta multum, quæ vobiscum fabuler.
Abeo. SCEL. Abire non sinam te. PHIL. Mitte. SCEL. Manifestaria
Res est, non mitto. PHIL. At mihi jam crepabunt manus, malæ tibi;
Nisi me omittis. SCEL. (ad Palæstrionem.) Quid, malum, astas: quin retines altrinsecus?
PAL. Nihil moror negotiosum mi esse tergum. Quî scio
An ista non sit Philocomasium, atque alia ejus similis sit?
PHIL. Mittis me, an non mittis? SCEL. Imo vi atque invitam, ingratiis,
Nisi voluntate ibis, rapiam te domum. PHIL. Hosticum hoc mihi
Domicilium'st, Athenis domus est et herus. Ego istanc domum

33. *Imo*, adversativa: i. e. non mala, sed stulta. N.

40. *Hosticum hoc mihi... domus est et herus*, etc. Vulg. « ostium hoc mihi Domicilium est, Athenis domus et herus ». Salmasius ex scriptis codicibus volebat, quod nusquam in scriptis codicibus comparet, « hospitium ». Lipsius pulchre emendavit « hosticum », quum « hostis » antiquitus diceretur qui nunc « peregrinus ». Inserui *est* post *domus*, quod librariorum incuria fortasse confusione conjunctivi sequentis excidit, et absens facit versum claudicantem. Bothius ingeniose correxit: « Athenis domus. SCEL. Et heic herus ». At Salmasius recte sensit non absonum videri posse, si meretrix, quamvis se profiteatur ingenuam, sc. 6, vs. 10, herum nominet; quippe quæ conducta, et quasi mancipata ad tempus, non possit ab amatore nisi volente discedere, ut cætera fabula comprobat. N.

Neque moror; neque vos, qui homines sitis, gnovi, neque scio.
SCEL. Lege agito : te nusquam mittam, nisi das firmatam fidem,
Te huc, si omisero, intro ituram. PHIL. Vi me cogis, quisquis es.
Do fidem, si omittis, istoc me intro ituram, quo jubes.
SCEL. Ecce omitto. PHIL. At ego abeo missa. SCEL. Muliebri fecisti fide.
PAL. Sceledre, manibus amisisti prædam : tam ea est quam potis
Nostra herilis concubina : vin' tu facere hoc strenue?
SCEL. Quid faciam? PAL. Adfer mi machæram huc intus. SCEL. Quid facies ea?
PAL. Intro rumpam recta in ædeis; quemque heic intus videro
Cum Philocomasio osculantem, eum ego obtruncabo extempulo.
SCEL. Visane est ea esse? PAL. Imo, edepol, plane ea est : sed quomodo
Dissimulabat! abi, machæram huc ecfer. SCEL. Jam faxo heic erit. (abit intro.)
PAL. Neque eques, neque pedes profecto quisquam tanta audacia,
Qui æque faciat confidenter quidquam, quam quæ mulieres

43. *Lege agito.* « Lege agere » est in jure id, quod in lege aliqua institutum est, agere. Vide notas Aul. III, 3, 10.—*Nisi das firmatam fidem.* Firmabatur fides jurejurando, sponsoribus, fidejussoribus, etc. quamquam hic simpliciter, pro « dare fidem certam », positum videtur. LAMB.

47. *Quam potis*, quantum potest fieri. Cf. Casin. II, 3, 2. N.

48. *Nostra herilis.* Conf. Cistell. IV, 2, 83. N.

49. *Ea*, machæra. N.

50. *Quemque*, quemcumque. Asin. I, 3, 47, II, 2, 24. *Intus.* Amph. II, 2, 138. N.

53. *Faxo.* Captiv. prol. 65.

Faciunt : ut utrobique orationem docte edidit!
Ut sublinitur os custodi cauto conservo meo!
Nimis beat, quod conmeatus transtinet trans parietem.
SCEL. Heus, Palæstrio, machæra nihil opus. PAL. Quid jam, aut quid opu'st?
SCEL. Domi eccam herilem concubinam. PAL. Quid? domi? SCEL. In lecto cubat.
PAL. Edepol, næ tu tibi malam rem reperisti, ut prædicas.
SCEL. Quid jam? PAL. Quia hanc adtingere ausus mulierem heic in proxumo.
SCEL. Magis, hercle, metuo. Sed nunquam quisquam faciet, quin soror
Ista sit germana hujus. PAL. Eam, pol, tu osculantem heic videras.
Et quidem palam est eam esse, ut dicis. SCEL. Quid propius fuit,

56. *Utrob.* pro se et pro Glycera.

57. *Sublin. os.* Captiv. III, 4, 124. N.

58. *Nimis*, mnlinm. Aul. II, 2, 31. *Beat*, unipersonaliter, ut *me juvat*. Amph. II, 2, 12, « boc me beat, quod, etc. » N. — *Quod conmeatus transtinet*. Id est, quod paries est fenestratus et pervius, quod datur liber transitus per parietem. *Transtinere* esl pertinere : quemadmodum *trans mare* ire, et *per mare* ire. « Traus aliquid pertinere », continuari, et uno apiritu, ut veteres juriscousulti loquuntur, perduci. Sic possem dicere : « pous traustinet trans flumen », boc est, ad alteram ripam continuus est. Eodem sensu *continere* in Sticho, III, 1, 44 : « Utroque commeatus continet », id est, continuatur; continuus est. Sic *pertinere* Latini dicunt, pro quo semibarbari *pertingere*, eousque produci. Cæsar de Gall. lib. I : « Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur, pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni ». Lib. II : « Neque longius quam quem ad finem porrecta ac loca aperta pertinebant, cadentes insequi auderent ». GRON.

60. *Domi eccam*. Scilicet dum rediil intro per jannam Sceledrus, Philocomasium, per domum Periplectomenis et parietem perfossnm, eodem anteveuerat. N.

63. *Magis, hercle, met.* Fortasse intelligendnm *eo* cum *magis*. Sensns : vehementer metuo. Lindemannus censet « magis quam antea ». — *Sed nunquam*, etc. At profecto eat ista hujus soror. « Non quisquam faciat quin » abundat pro more sermonis. N.

64. *Ista*, quam nuper ante ostium vidimus. — *Hujus*, quæ nunc est in bac nostra domo Pbilocomasium. N.

Quam ut perirem, si locutus fuissem hero! PAL. Ergo si sapis,
Mussitabis. Plus oportet scire servom, quam loqui.
Ego abeo a te, ne quid tecum consili conmisceam,
Atque apud hunc [eo] vicinum : tuæ mihi turbæ non placent.
Herus si veniet, si me quærit, heic ero ; hinc me arcessito.

SCENA SEXTA.

SCELEDRUS, PERIPLECTOMENES.

SCEL. Satin' abiit ille, neque [jam] herile negotium
Plus curat, quasi non servitute serviat?
Certo quidem illæc nostra intu'st in ædibus.
Nam ego et cubantem eam modo obfendi domi:
Certum 'st nunc observationi operam dare.
PER. Non, hercle, hice homines me marem, sed feminam
Vicini rentur esse servi Militis :
Ita me ludificant. Meamne heic in via hospitam,
Quæ heri huc Athenis cum hospite advenit meo,
Tractatam, et ludificatam, ingenuam et liberam?

67. *Plus oportet*, etc. Cf. Bacch. IV, 6, 21. N.

69. [*Eo*]. Hoc verbum vulgatis abest, quem nobis Lindemannus protulit, exemplis comprobans dici potuisse « ire apud aliquem ». Vid. Gesner. Thes. voc. *apud*. N.

1. *Satin'*. Cf. Bacch. III, 3, 87. — [*Jam*] additamentum metri causa. N.

2. *Quasi*. Vulg. « quam si », præpostera emendatione scribarum, qui, non satis intellecta libertate sermonis, ad solemnem dicendi modum orationem examussim redigendam censuerunt. N.

5. *Observationi operam dare*. Diligenter fores nostras observare, ne Philocomas. exeat. TAUBM.

10. *Tractatam, et ludificatam*. Male tentant. Sic Gratius : « matres ausi tractare deorum ». Pompon. l. 2, π 43, D. de Origine juris : « Ea velut contumelia tractatus Servius ». Claudianus in sextum Honorii consulatum : « Tune giganteis urbem tractare deorum Aggressus furiis »? GRON.

SCEL. Perii, hercle! hic ad me recta habet rectam viam.
Metuo illæc mihi res ne magno malo fuat,
Quantum hunc audivi facere verborum senem.
PER. Adcedam ad hominem. Tun', Sceledre, heic, scelerum caput,
Meam ludificasti hospitam ante ædeis modo?
SCEL. Vicine, ausculta, quæso. PER. Ego auscultem tibi?
SCEL. Expurgare volo me. PER. Tun' te expurges mihi,
Qui facinus tantum tamque indignum feceris?
An quia latrocinamini, arbitramini
Quidvis licere facere vobis, verbero?
SCEL. Licetne? PER. At ita me di deæque omneis ament,
Nisi mihi subplicium virgeum de te datur
Longum diutinumque a mane ad vesperum,
Quod meas confregisti imbrices et tegulas,
Ibi dum condignam te sectatus simiam,
Quodque inde inspectavisti meum apud me hospitem
Amplexum amicam, quom osculabatur suam,
Quodque concubinam herilem insimulare ausus es
Probri, pudicam, meque summi flagiti,
Tum quod tractavisti hospitem ante ædeis meas;
Nisi tibi supplicium stimuleum datur,

16. *Auscultem.* Auscultare est aliquando morem gerere. Cf. Bacch. IV, 8, 14. N.

19. *Quia latrocin.* Cf. I, 1, 74.

21. *Licetne?* Scil. expurgare me.

22. *Nisi mihi subplicium virgeum*, etc. Si cujus servus alteri damnum intulerat, vel arbitrio ejus, qui damno affectus erat, servus plectebatur, vel noxæ dedebatur, vel dominus litis æstimationem sufferebat, vel, ut ex hoc loco apparet, dedecore afficiebatur, etc. Et sane notanda verborum mira congeries seni iratum se simulanti a poeta adficta; quæ uno fere spiritu ab ipso continuatur. LAMB.— *Virgeum* pro vulgata *virgarum* metri causa doctis auctoribus recepi, atqui Plautinam satis. Vid. infra 31. N.

24. *Imbrices.* Serv. Georg. IV, 296: « Imbrex dicitur, quod imbrem arceat ». Est enim incurvum genus tegularum. — Ea compago tectorum fuit, ut tegulæ duæ, quæ quadratæ planæ unam oram habebant replicatam, incurvo imbrice adpositis oris superinjecto continerentur, juncturam ab imbribus defendente. N.

Dedecoris pleniorem herum faciam tuum,
Quam magno vento plenum 'st undarum mare.
SCEL. Ita sum coactus, Periplectomene, ut nesciam
Utrumne postulare tecum æquom prius,
An me expurgare tibi heic videatur æquius;
Nisi istæc non est istæc, neque ista sit mihi :
Sicut etiam nunc nescio quid viderim :
Ita est istæc hujus similis nostræ tua,
Siquidem non eadem 'st. PER. Vise ad me intro, jam scies.
SCEL. Licetne? PER. Quin te jubeo : at placide gnoscita.
SCEL. Ita facere certum 'st. (abit intro.) PER. Heus, Philocomasium, cito
Transcurre curriculo ad nos, ita negotium 'st.
Post, quando exierit Sceledrus a nobis, cito
Transcurrito ad vos rursum curriculo domum.
Nunc, pol, ego metuo, ne quid infuscaverit.
Si hic non videbit mulierem, aperitur dolus.
SCEL. (rediens.) Pro di inmortaleis! similiorem mulierem,
Magisque eamdem, utpote quæ non sit eadem, non reor
Deos facere posse. PER. Quid nunc? SCEL. Conmerui malum.
PER. Quid igitur, ean' est? SCEL. Etsi ea est, non est ea.
PER. Vidistin' istam? SCEL. Vidi et illam, et hospitem
Conplexum atque osculantem. PER. Ean' est? SCEL. Nescio.
PER. Vin' scire plane? SCEL. Cupio. PER. Abi intro ad vos domum
Continuo, vide sitne istæc vostra intus. SCEL. Licet;

34. *Ita sum coactus*, eo redactus, ita hæreo perplexa mente. N.
35. *Post. tec.* p. « te postulare », i. e. accusare. Sic *tecum orare*. N.
37. *Nisi istæc*, etc. Ut mentis, sic orationis magna est confusio. Sensus : nisi istæc, quam vidi nunc apud te, non est istæc ipsa, quam dicis, neque prorsus exsistat istæc. — *Mihi* abundat. Acidalianam reddo; vulgata, « nisi istæc non est hæc », perperam; facile in collisione creberrima pronominum librarius vel non cogitans vel haud scite volens mutaverit. N.
46. *Infusc.* turbaverit mandata.
55. *Intus. sc. Licet.* Vulgatæ, « intus : domum », irreptitio nem-

Polchre admonuisti : jam ego ad te exibo foras. (abit intro.)
PER. Nunquam, edepol, hominem quemquam ludificarier
Magis facete vidi, et magis miris modis.
Sed eccum egreditur. SCEL. Periplectomene, te obsecro
Per deos atque homines, perque stultitiam meam,
Perque tua genua... PER. Quid obsecras me? SCEL. Inscitiæ
Meæ et stultitiæ ignoscas. Nunc demum scio
Me fuisse excordem, cæcum, incogitabilem.
Nam Philocomasium eccam intus. PER. Quid nunc, furcifer,
Vidistin' ambas? SCEL. Vidi. PER. Herum exhibeas volo.
SCEL. Meruisse equidem me maxumum fateor malum,
Et tuæ fecisse me hospitæ aio injuriam:
Sed meam esse herilem concubinam censui,
Quoi me custodem herus addidit Miles meus.
Nam ex uno puteo similior nunquam potest
Aqua aquæ sumi, quam hæc est, atque ista hospita.
Et me despexe ad te per impluvium tuum
Fateor. PER. Quidni fateare, ego quod viderim?
SCEL. Sed Philocomasium me vidisse censui.
PER. Ratusne me isteic hominem esse omnium minumi preti,
Si ego me sciente paterer vicino meo
Eam fieri apud me tam insignite injuriam?
SCEL. Nunc demum a me insipienter factum esse arbitror,

pe glossemate. Et *licet* in sequentem versum protrahitur sic hypermetrum. LINDEM. — *Licet*. Cf. Baech. I, 1, 1. N.

56. *Ad te exib. foras*, postquam domi videro. N.

63. *Excordem*, stultum, insipientem. N.

65. *Exhibeas*, evoces et ad me adducas. N.

71. *Sumi*, id est, bibi. « Simpulum, ait Varro, a sumendo », i. e. bibendo : « unde sumi pote puteus », i. e. unde bibi potest. Cic. « si sumpserit meracius ». SCALIG.

73. *Quidni fateare*, etc. Quum ultro confessus veniam impetrare Sceledrus tentat, senex confessionem illius non acceptam esse sibi declarat, siquidem ille confiteatur quod negare non possit, utpote manifestum. N.

Quom rem congnosco : at non malitiose tamen
Feci. PER. Imo indigne : namque hominem servom suos
Domitos habere oportet oculos et manus
Orationemque. SCEL. Egone? si post hunc diem
Mutivero, etiam quod egomet certo sciam,
Dato excruciatum me : egomet dedam me tibi.
Nunc hoc mihi ingnoscas quæso. PE. Vincam animum meum,
Ne malitiose factum id esse abs te arbitrer.
Ingnoscam tibi istuc. SCEL. At tibi di faciant bene.
PER. Næ tu, hercle, si te dii ament, linguam conprimes
Posthac; etiam illud, quod scies, nesciveris;
Ne videris, quod videris. SCEL. Bene me mones.
Ita facere certum 'st. Sed satine oratu's? PER. Abi.
SCEL. Numquid nunc aliud me vis? PER. Ne me gnoveris.
SCEL. (aversus ad spectatores.) Dedit hic mihi verba, quam benigne gratiam

82. *Egone* feci indigne?

83. *Mutivero. Mu* canum est, inquit Charis. unde dicunt *mutire :* γρῦ porcorum : unde *grunnire*. SCAL. — *Mutiunt* canes, quum incipiunt irritari : ab eo, quod *m*, vel μῦ videntur edere. Translate, « labris clausis aliquid submurmurare ». Vid. Menæchm. V, 1, 11. TAUBM.

84. *Dato excruciatum me.* Scilicet tortoribus, quorum erat hoc munus et officium, etiam ubi dominus ipse excruciare dicebatur. GRONOV. — *Excruciatum*, supinum videtur, pro « ad excruciandum ». Hic in verbo *dare* notio subest locomotionis, quasi « fac inde abducar ad supplicium ». N.

89. *Etiam illud, quod scies, nesciveris.* Terent. Eun. IV, 4 : « tu, pol, si sapis, Quod scis, nescis », et Heautont. « Tu nescis id, quod scis ». ERN.

91. *Satine oratu's?* Exoratus es, nulla ira recondita? Vulgatæ, « oratus abis », claudicante versu. Acidalius restituit, dispuncto diverbio, et *oratu's* rescripto, quod *es* apud Plautum produci solet. N.

92. *Numquid nunc*, etc. Conf. Amph. I, 3, 44. — *Ne me gnov.* Ferociter respondet comiter valedicenti : « volo te uti me quasi prorsus ignoto, ne me adeas molestus unquam ». Sensus hic est, vulgatam, ut feci, si retinueris. Nonne sit melius, « satin' oratu's? PERIPL. Abi. Numquid nunc aliud me vis? SCEL. Ne me gnoveris ». Tum Periplectomenes gratiose alloquetur Sceledrum discedens; quod videtur comprobare sequens versus : « quam benigne gratiam, etc. » respondet Sceledrus : « volo te mei oblivisci, quasi nunquam gnoveris ». N.

93. *Quam benigne.* Quanta beni-

Fecit, ne iratus esset. Scio quam rem gerat :
Ut miles, quom extemplo a foro adveniat domum,
Domi conprehendat : una hic et Palæstrio
Me habent venalem; sensi, et jamdudum scio.
Nunquam, hercle, ex ista nassa ego hodie escam petam.
Nam jam aliquo abfugiam, et me obcultabo aliquot dies,
Dum hæ consilescunt turbæ, atquæ iræ leniunt.
Nam jam nunc satis et plus nimio merui mali.
Verumtamen de me quidquid est, ibo hinc domum.
PER. Illic hinc abscessit : sat, edepol, certo scio,
Obcisam sæpe sapere plus multo suem,
Quom manducatur, ne id, quod vidit, viderit!

gnitate gratiam fecit mihi, et quanta facilitate iram deposuit, tanto mihi suspectior est ne verba dederit mihi. N.

96. *Conprehendat*, me inopinantem et securum.

97. *Me habent venalem.* Conf. Bacch. IV, 7, 16-18.

98. *Nunquam, hercle*, etc. « Nassa, ait Festus, est piscatorii vasis genus, quo quum intravit piscis, exire non potest ». TAUBM. — Eodem verbo tralate usus est Cic. ad Att. lib. XV, ep. 20 : « Hac nassa exire constitui non ad fugam, sed ad spem mortis melioris ». GRON.

100. *Iræ leniunt.* Gell. XVIII, 12, id quoque habitum in oratione facienda elegantiæ genus, ut pro verbis habentibus patiendi figuram, agentia ponerent : ac deinde vice versa hæc inter se mutua verterent. Cicero, « terra movet », patiendi significatu, pro *movetur*. Cf. Amph. I, 1, 77. ERN.

101. *Nam jam nunc satis.* Tò *jam* interposuit Gruterus. Non habent nec Camerarii, nec Lambini, nec Sambuci, nec Douzæ, nec priores Taubmanni editiones. Et ex MSS edit ipse : « Nam nunc satis ». Scribendum ergo, « Jam nunc satis », ut habent quædam edd. vett. Tò *jam* enim videtur omnino requirere oratio : τῷ *nam* minime indiget. At inquiunt, sic ruit versus. At melius est, ut ruat ille, quam stet fultus centonibus. Deinde si in secunda regione iambi dactylo et spondæo usus est Plautus, potuit et uti pyrrhichio. Aut τò *jam* dissyllabon posuit, ut et alibi. GRON.

104. *Obcisam sæpe sapere*, etc. Festivus senex ludit in ambigua notione verbi *sapere* : ex eo, quod sapidissima omnium quadrupedum æstimetur vulgo suilla caro. ERN.

105. *Quom manducatur.* Longe aliter MSS alter : « Quod in adimitatur » : alter, « quod in adimatur » : correctumque postea : « Quod ei adimatur ». Inde conjecturæ. Sed videtur scribendum : « plus multo suem. Quoine adimatur, ne id, quod vidit, viderit ». Quippe ni? qui patiatur sibi eripi,

Nam illius oculi atque aureis atque opinio
Transfugere ad nos : usque adhuc actum'st probe.
Nimium festivam mulier operam præbuit.
Redeo in senatum rursus : nam Palæstrio
Domi nunc apud me : Sceledrus nunc autem foras.
Frequens senatus poterit nunc haberier.
Ibo intro; ne, dum absum, illei insortito siem.

atque extorqueri, ut id, quod vidit, non viderit. Sic Tacit. « plerisque mortalium non eximi ». Hoc est, non potest adimi, vel eripi ista opinio. GRON.

106. *Illius oculi atque.* Sceledrus nihil videt, nihil audit, nihil opinatur, nisi quod volumus eum videre, audire, etc. LAMB.

107. *Transfugere*, transfugerunt. Aliquid simile hac locutione : fugit te ratio. Amph. I, 1, 230. N.

109. *In senatum.* Curia scilicet Periplectomenis domus; senatores, ipse et Pleusides, et Palæstrio, et Philocomasium. N.

112. *Illei insortito siem.* Sic veteres libri. Vulgata exhibetur « illis sortito fuam », nullo sensu, quam ut sanarent alii alia somniarunt. *Illei*, ibi, scilicet in senatu. Vide Amph. prol. 133. *Insortito*, adverbium, e verbo *sortire* ortum. Cf. Casin. II, 6, 43. *Insortito esse*, i. q. sortitionis participem non fieri. In comico enim illo senatu provincias sortientur, quam quisque habebit ludificandi Militis. N.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

PALÆSTRIO, PLEUSIDES, PERIPLECTOMENES.

PAL. COHIBETE intra limen etiam vos parumper, Pleusides.
Sinite me prius prospectare, ne uspiam insidiæ sient,
Concilium quod habere volumus : nam opus est nunc tuto loco,
Unde inimicus ne quis nostra spolia capiat auribus.
Nam bene consultum, inconsultum 'st, si inimicis sit usui :
Neque potest, quin, si id inimicis usui est, obsit mihi.
Nam bonum consilium subripitur sæpissume,
Si minus cum cura aut κατὰ λόγον locus loquendi lectus est.
Quippe si resciverint inimici consilium tuum,
Tuopte tibi consilio obcludunt linguam, et constringunt manus :
Atque eadem, quæ illis voluisti facere, faciunt tibi.

3. *Concilium quod habere.* Hoc scripti editique antiqui : Camerar. *concilio :* nec mutandum erat. Hic est sensus : ne, quod concilium habere volumus, ei uspiam insidiæ sint. Id nimirum pronomen reticetur, ut centies alibi. GRON.

4. *Unde inimicus*, etc. Hic versus in vulgatis geminatur iisdem pæne verbis, nisi quod in altera lectione pro *auribus*, clausula est *consiliis*, librariorum oscitantia. « Nost. spol. cap. aur. » i. e. de nobis spolia capiat, nostras copias armaque, scilic. astutias, capiat auscultando. N.

7. *Nam bonum consilium*, etc. Pede uno deficit hic versus. Lindemann. supplevit, « Nam bene consultum consilium, etc. » Videtur geminata lectio vs. 5. N.

9. *Aut* κατὰ λόγον. Vulgo vel *catalogo*, vel *cate locus*. Salmasius a vero proxime stetit, quum censuit rescribendum *cata logon*. At græcam scripturam restituimus Plautinis exemplis freti. Cf. Captiv. IV, 2 ; Pseud. I, 5 ; Casin. III, 6. N.

11. *Eadem.* Bacch. I, 1, 15. N.

Sed speculabor, ne quis aut hinc a læva, aut a dextera
Nostro consilio venator adsit cum auritis plagis.
Sterilis hinc prospectus usque ad ultimam plateam est probe.
Evocabo: heus Periplectomene et Pleusides, progredimini.
PER. Ecce nos tibi obedienteis. PAL. Facile 'st inperium in bonis.
Sed volo scire, eodem consilio, quod intus meditati sumus,
Si gerimus rem. PER. Magis ad rem esse non potest utibilius.
PAL. Imo quid tibi, Pleusides? PLEUS. Quodne vobis placeat displiceat mihi?
Quis homo sit magis meus, quam tu es? PER. Loquere lepide et conmode.
PAL. Pol, ita decet hunc facere. PLEUS. At hoc me facinus miserum macerat,
Meumque cor corpusque cruciat. PER. Quid id est, quod cruciat? cedo.
PLEUS. Me tibi istuc ætatis homini facinora puerilia
Objicere, neque te decora, neque tuis virtutibus;
Ea te expetere ex opibus summis mei honoris gratia,
Mihique amanti ire opitulatum, atque ea te facere facinora,

13. *Auritis plagis. Auritæ plagæ* sunt aures. Virg. Æn. IV: « Retia rara, plagæ ». TAUBM.

14. *Sterilis*, vacuus, ut campus, ubi segès nulla. N.

16. *In bonis*. Acidalius mutat *in bonos*, supervacaneum; nam *in* hoc loco est pro *apud*, *inter*. Dissaldæus interpretatur in bonis rebus, perperam. N.

18. *Utibilius*. Vulgo, *utibile*, versu imperfecto. « Magis utibilius » Plautinum Bothius recte vidit. N.

20. *Meus*, e re mea, utilis. N.

22. *Cedo*, da, i. q. narra. N.

23. *Istuc ætatis*, per istud spatium æt. ista ætate. N.

24. *Objicere*, afferre. Cf. Curcul. II, 3, 4. N. — *Te decora*. Per hypallagen, pro *te digna*: quum dictum oportuerit, *tibi decora*. LAMB. — Sic « haud me par est » Pers. V, 2, 53. Vide Aulul. II, 2, 43. N.

25. *Expetere*, obire. Mostell. IV, 1, 4. — *Ex opibus summis*. Id est, summa contentione. Merc. I, 2, 1. ERN. — *Mei hon. grat*. Cf. Amphit. I, 2, 24. N.

Quæ istæc ætas fugere facta magis quam sectari solet.
Eam pudet me tibi in senecta objicere solicitudinem.
PER. Novo modo tu homo amas; siquidem te quidquam, quod faxis, pudet,
Nihil amas; umbra es amantum magis, quam amator, Pleusides.
PLEUS. Hanccine ætatem exercere me mei amoris gratia?
PER. Quid ais tu? itane tibi ego videor oppido Acherunticus,
Tam capularis? Tamne tibi diu videor vita vivere?
Nam equidem haud sum annos gnatus præter quinquaginta et quatuor:
Clare oculis video, pernix sum manibus, sum pedes mobilis.
PAL. Si albus capillus hic videtur, neutiquam ab ingenio est senex.
Inest in hoc amussitata sua sibi ingenua indoles.
PLEUS. Pol, id quidem experior ita esse, ut prædicas, Palæstrio,
Nam benignitas quidem hujus oppido ut adulescentuli est!
PER. Imo, hospes, magis quom periculum facies, magis gnosces meam

29. *Novo modo*, etc. Novam profecto urbanitatis ac bene vivendi disciplinam senex ille profert, quæ cum censoriis edictis haud mire congruebat; et multa edisserit, quæ non græco fonte cadant. N.— *Quod faxis pudet.* Nam qui serio amat, eum nullius rei pudet. LAMB.

31. *Hanccine ætatem.* Tene hac ætate gravem exercebo. N.

32. *Quid ais?* Cf. Aulul. IV, 9, 7. N.

35. *Pernix sum*, etc. « Manibus pernix » proprie dictum. Est enim *pernix* a pernitendo, quod manuum magis quam pedum est. *Pedes mobilis*, ut πόδας ὠκύς. DISSALD.

36. *Capillus.* Lindem. *capillis.*

37. *Amussitata.* I. e. *ad amussim facta*, Festus: *examinata*, Nonius, qui *amussim* esse regulam fabrorum ait, quam, quum opus probant, rubrica illinunt. — *Sua sibi ingenua indoles.* Sua propria et a natura insita. SCAL. — *Sua sibi.* Capt. prol. 5. N.

40. *Benignitas*, liberalitas; nam maligna, parce parca esse solet senectus. N.

41. *Magis quom... magis.* I. q. quo magis... eo magis... *Gnoscere*, eo differt a novisse, quod qui gnoscit, discit, qui autem novit, didicit. N.

Comitatem erga te amantem. PLEUS. Quid opus gnota gnoscere?
PER. Ut apud te exemplum experiundi habeas, ne petas foris.
Nam qui ipse haud amavit, ægre amantis ingenium inspicit.
Et ego amoris aliquantulum habeo humorisque meo etiam in corpore;
Neque dum exarui ex amœnis rebus et voluptariis.
Vel cavillator facetus, vel conviva conmodus
Item ero; neque ego unquam oblocutor sum alteri in convivio.
Inconmoditate abstinere me apud convivas conmode
Conmemini, et meæ orationis justam partem persequi,
Et meam partem itidem tacere, quom aliena 'st oratio.
Minume sputator, screator sum, itidem minume muccidus.
Post, Ephesi sum gnatus, non in Apulis, non sum in Umbria.
PLEUS. O lepidum senicem, si quas memorat, virtutes habet,
Atque equidem plane eductum in nutricatu Venerio!
PER. Plus dabo, quam prædicabo ex me venustatis tibi.
Neque ego ad mensam publicas res clamo, neque leges crepo:

43. *Apud te... ne... foris.* Cistell. II, 1, 2. — *Exemplum exper. hab.* expertus ipse argumentum habeas.

44. *Nam*, autem. Cist. IV, 1, 10.

49. *Inconmoditate. Incommoditatem* dixit τὴν ἀηδίαν: ita, *commodus* est qui opponitur τῷ ἀηδεῖ: cujusmodi hominis graphica in hac scena est descriptio. Is. CASAUB.

50. *Meæ orat. just. part.* Cf. Asin. III, 1, 13—15.

53. *Post, Ephesi sum gnatus, non in Apulis, non in Umbria.* Quod Ephesi natum se gloriatur, credo ideo esse, quod civitas ea elegantiis facetiisque in primis dedita, contra morem Umbrorum et Apulorum, qui rustici, illepidi, subidique habebantur. DOUZA. — Sarsinas haud semel suos ipse derisit. Catullus « pastos Umbros » vocat, epigr. 39. N.

54. PL. *O lepidum senicem.* Hanc lectionem et Prisc. probat. Non dissimile, quod apud Pompon. est, *senica* pro femina sene. LIPS.

Neque ego unquam alienum scortum subigito in convivio.
Neque præripio pulpamentum, neque prævorto poculum,
Neque per vinum unquam ex me exoritur dissidium in convivio.
Si quis ibi est odiosus, abeo domum, sermonem segrego.
Venerem, amorem, amœnitatemque adcubans exerceo.
PLEUS. Tui quidem, edepol, omneis mores ad venustatem valent.
Cedo treis mihi homines aurichalco contra cum istis moribus.
PAL. At quidem illuc ætatis qui sit, non invenies alterum
Lepidiorem ad omneis res, nec qui amicus amico sit magis.
PER. Tute me ut fateare faciam esse adulescentem moribus;
Ita apud omneis conparebo tibi res benefactis frequens.
Opusne erit tibi advocato tristi, iracundo? ecce me.
Opus leni? leniorem dices, quam mutum 'st mare,
Liquidiusculusque ero, quam ventus est favonius.
Vel hilarissumum convivam hinc indidem expromam tibi,
Vel primarium parasitum, atque opsonatorem optumum:
Tum ad saltandum non cinædus malacus æque est atque ego.

58. *Subigito.* Captiv. epil. 2. N.

59. *Præripio pulp.* Hor. Sat. I, 3, 90: « Aut positum ante mea quia pullum in parte catini Sustulit esuriens ». — *Prævorto poculum*, occupo poculum, qnod servus pincerna porrigit, vel rex convivii propinat. Scil. his abstinuisse Romæ fuit mira urbanitas. N.

60. *Per vinum*, ebrietatem. Hoc sæpissime fit apud Barbaros, ut a vino ad pugnam res perveniat. Vide leges Saliorum de occisione virorum in conviviis. N.

61. *Odiosus.* Curcul. I, 1, 45. — *Sermonem segrego.* Finem loquendi facio et discedo. LAMBIN.

62. *Adcubans*, in convivio. N.

64. *Cedo treis mihi hom.* Cf. Curcul. I, 3, 45, 46. N.

65. *Illuc ætatis.* Vid. vs. 24. *Qui sit*, etc. Hellenismus, i. e. non invenies alterum qui illa ætate sit lepidior, etc. N.

71. *Liquidiusculusque.* Aliquanto liquidior, serenior, quam ventus Favonius, qui est, ut et Boreas αἰθρηγενέτης, æthræ seu serenitatis genitor. LAMB.

73. *Parasitum... opson.* Cf. Capt. III, 1, 14.

74. *Tum*, dein, etiam. — *Ad*

PAL. Quid ad illas artes optassis, si optio eveniat tibi?
PLEUS. Hujus pro meritis ut referri pariter possit gratia,
Tibique, quibus nunc me esse experior summæ solicitudini.
At tibi tanto sumtui esse mihi molestum 'st. PER. Morus es.
Nam in mala uxore atque inimico si quid sumas, sumtus est;
In bono hospite atque amico, quæstus est, quod sumitur;
Et, quod in divinis rebus sumas, sapienti lucro est.
Deum virtute, ut transeuntem hospitio adcipiam, apud me est comitas.
Es, bibe, animo obsequere mecum, atque onera te hilaritudine.
Liberæ sunt ædeis; liber sum autem ego; me uti volo libere.
Nam mihi, deum virtute, dicam, propter divitias meas
Licuit uxorem dotatam genere summo ducere:
Sed nolo mihi oblatratricem in ædeis intromittere.
PLEUS. Cur non vis? nam procreare liberos lepidum 'st onus.
PER. Hercle vero, liberum esse, id multo est lepidius.
PAL. Tute homo et alteri sapienter potis es consulere, et tibi.
PER. Nam bona uxor, si ea deducta est usquam gentium,
Ubi eam possim invenire? verum egone eam ducam domum,

saltandum, etc. Credo, bac ridicula comitatis jactantia nonnullos comicos langebat, in quos censorie invehebantur Cato et Scipio. Macrob. Sat. II, 10. N. — *Malacus*. Bacch. I, 1, 38.

75. *Ad illas* addendum. — *Artes*, modos vivendi agendique. N.

76. *Hujus pro*, etc. Illud optem ut possim gratiam referre illi, etc.

79. *Sumas*, insumere, i. q. impendere. N.

81. *Et quod*, etc. Sic et lucro est sumptus sacrorum causa.

82. *Deum virtute*. Captiv. II, 2, 74. N.

84. *Me uti volo libere*. Cf. Capt. IV, 4, 12. Lindemannus censet hic passive positum « uti » ab velere « uto » quasi « usui esse », frustra, opinor. N.

88. *Procr.* Quis nescit solemnem formulam contrahendi matrimonii « liberum quæsendum causa »?

90. *Potis es*, is es qui scias. N.

91-92. *Deducta est usquam gentium*. Casina, 2, 8 : « sine prius deduci ». Terentius Hecyra, I, 2,

Quæ mihi nunquam hoc dicat : eme, mi vir, lanam, unde tibi pallium
Malacum et calidum conficiatur, tunicæque hibernæ bonæ,
Ne algeas hac hieme (hoc nunquam verbum ex uxore audias);
Verum priusquam galli cantent, quæ me somno suscitet,
Dicat : da mihi, vir, Calendis meam quod matrem juverit;
Da qui farciat, da qui condiat; da quod dem quinquatribus
Præcantatrici, conjectrici, hariolæ atque aruspicæ;

« uxorem deducit domum ». L. 13, π, 8, ad l. Jul. de Adulter. « minor duodecim annis in domum deducta ». Et passim. Cur ergo Lipsius *educta*? Gronov. — *Si... usquam*, etc. Cf. Aulul. II, 1, 16-20, et quæ ad Amph. II, 2, 206, adnotavimus. — *Bona uxor... ubi eam*, etc. Anacoluthum apud Plautum frequens. Conf. Aulul. V, 9, 10. — *Usquam gentium*. Scribit Danzius « usquam cuiquam gentium » complendi versus. N.

97. *Kalendis*. Sc. Martiis. kalendas omnes Junoni tributas, ut et idus omnes Jovi, docet Macrob. Saturn. I, 9. Hinc *Juno kalendaris* dicta. Sed martiis kalendis *Junoni* præcipue *matronæ* sacrificabant, unde *matronalia* dicebantur. Tum munera sibi invicem missitare solebant. Juvenalis kal. martias nominat femineas : « munera femineis tractat secreta kalendis ». Cf. Mitscherl. ad Horat. III, 8.

98. *Da qui farciat*, etc. Horum fartorum, conditorum artes, credo, a coquinaria differebant, et ad mundum muliebrem pertinebant. N. — *Quod dem quinquatr*. Diebus festis Minervæ junio mense, *Quinquatrus*, παναθηναῖα, Sosip. Inst. Grammat. I. Idem eodem : « Quinquatrus pluraliter, non, quinquatria : non enim dicti sunt quinque dies atri, sed quod quinquatrus antiqui dicebant, a quinquando, id est, lustrando : quod eo die arma ancilia lustrari sint solita ».

99. *Præcantatrici*. Varro apud Nonium : « ut faciunt pleræque, ut adhibeant præcantrices, nec medico ostendunt » : hæc in libro de liberis educandis. Vulgo in usu fuit ut morbis per incantamenta mederi tentarent. Vid. Cat. de Re Rust. 160. N. — *Conjectrix*, quæ interpretatur significationem somniorum. Et apparet viros conjectoribus, mulieres conjectricibus usas fuisse : ac sexibus officia artium distincta fuisse. Turn. — Veteres poetæ Romanos superstitionum vanitatis passim admonere non omiserunt; hæc præcipua Ennii ex Telamone notanda sunt : « Non habeo denique nauci Marsum augurem, Non vicanos haruspices, non de circo astrologos, Non Isiacos conjectores, non interpretes somnium. Non enim sunt ii aut scientia, aut arte divini, Sed superstitiosi vates, impudentesque harioli ... Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipsi petunt, etc. » Sic Attius Astyanacte « nihil credo

Flagitium 'st, si nihil mittetur; quo supercilio specit!
Tum piatricem clementer non potest quin munerem.
Jampridem, quia nihil abstulerit, subcenset ceraria.
Tum obstetrix expostulavit mecum, parum missum sibi.
Quid? nutrici non missurus quidquam, quæ vernas alit?
Hæc atque hujus similia alia damna multa mulierum
Me uxore prohibent, mihi quæ hujus simileis sermones serat.
PAL. Di tibi propitii sunt, hercle: nam si istam semel amiseris
Libertatem, haud facile te in eumdem rursus restitues locum.
PLEUS. At illæc laus est, magno in genere et in divitiis maxumis,
Liberos hominem educare, generi monumentum et sibi.
PER. Quando habeo multos congnatos, quid opus sit mihi liberis?

auguribus qui aures verbis divitant Alienas, suas ut auro locupletent domos ». — *Hariolæ*. Vid. Trucul. II, 7, 42, « frendit, icit femur : num obsecro nam hariolus qui ipsus se verberat? » Rud. II, 3, 46 : « capillum promittam, optumum 'st, obcipiamque hariolari ».

100. *Flagitium'st*, opprobrium. Casin. V, 2, 2. *Supercilio*. Irati supercilium, aspernantis labra notabantur. Hor. Od. III, 1, 7; Juven. Sat. X, 67. *Specit*, vetus, unde *species*, et composita. Irata est aruspica vel alia. N.

101. *Tum piatricem clementer non potest quin munerem*. Omnino *piatricem* probo cum meo *Colero*. Nam die infantis lustrico sive nominali, quo nomen illi indebatur (ὀνομαστήρια Gr. nominant), lustrandi partes proprie piatricum muliercularum, quæ anus recoctæ, fuerunt : dicebanturque ἀπομάκτριαι vel περιμάκτριαι. Festus : « Piatrix dicebatur sacerdos, quæ expiare erat solita, quam et sagam et simpulatricem vocant ». LAMB. — *Clementer non potest*, etc. sc. non potest res abire clementer, nisi, etc. ut mecum clementer utatur piatrix oportet, etc. N.

102. *Ceraria*. Alii aliud mutarunt « celaria, cellaria, geraria, geræria ». Retineo *cerariam*, quæ probe cæteris superstitionum ministris adnumeretur. Est ea, quæ cereos suppeditaret precantibus. Cic. Off. III, 20 : « omnibus vicis statuæ (Mario dedicatæ); ad eas thus et cerei ». N.

103. *Expostulavit*. Bacch. III, 3, 38. N.

105. *Hujus*, quam induxi loquentem. Malim « horum ». N.

111. *Quando habeo*, etc. Faceta hæc est moris romani illius notatio, qui eo pervenit, ut lex Pappia

Nunc bene vivo, et fortunate, atque ut volo, atque animo ut lubet.
Mea bona mea morte congnatis dicam, inter eos partiam.
Illi apud me edunt, me curant, visunt quid agam, ecquid velim.
Priusquam lucet, adsunt, rogitant, noctu ut somnum ceperim.
Eos pro liberis habeo; quin mihi mittunt munera.
Sacruficant? dant inde partem mihi majorem, quam sibi,
Abducunt ad exta; me ad se, ad prandium, ad cœnam vocant.
Ille miserrumum se retur, minumum qui misit mihi.
Illi inter se certant donis; ego hæc mecum mussito:
Bona mea inhiant; certatim dona mittunt et munera.
PAL. Nimis bona ratione, nimiumque ad te et tua tu multum vides.

Poppæa necessaria videretur, usu nulla foret, cœlibe utroque hujus legis auctore, et Horatius caneret : « Nil ait esse prius, melius nil cœlibe vita », et orbitas magno in honore esset. N.

113. *Dicam*, addicam.

114. *Quid agam*. Cf. Aulul. I, 2, 39. N.

118. *Abducunt ad exta*. Convivia rem sacram olim comitabantur. Aut si nollent convivium celebrare, e victima partes ad amicos mittebant. CASAUB. — Inde illud Epicuri apud Senec. epist. 19 : « sine amico visceratio leonis ac lupi vita est ». N.

120. *Certant donis*. Has artes Tiresias Ulyssem edocet hæredipetam futurum, apud Horat. Sat. II, 5. N.

122. *Nimiumque*, etc. Vult Gruter. « nimisque aperta tu multum », et h. l. erutum ex primariis edit. a Camerario, fœde contaminari ait reponendo : « nimiumque ad te et tua multum vides » : quod non negat in ambobus membranaceis apparere. Sermonem tanto viro indignissimum. Quomodo sanus, ubi tantum abeunt scripti? quæ illæ primariæ editiones optimis codicum et pæne solis tuto sequendis potiores? perturbatus his terriculis Parens præsidium deseruit, ut tanto facilius in aperto et plano caperetur : facit « nimioque et te et tua multo vides ». Sed non est recedendum a scripturæ veteris elegantia. *Nimis bona ratione* facinnt illi, vel tu, vel facitis utrimque. Vel si libet hoc quoque continuare cum sequentibus : nimis justa de causa, vel nimis bono modo « nimiumque multum vides ad te et tua », hoc est, in rebus ad te et

Et tibi sunt gemini, et trigemini, si te bene habes, filii.
PER. Pol, si habuissem, satis cepissem miseriarum liberis.
Censerem emori; cecidissetne ebrius, aut de equo uspiam:
Metuerem, ne ibi defregisset crura aut cervices sibi.
PAL. Huic homini dignum 'st divitias esse, et diu vitam dari,
Qui et rem servat, et qui bene habet, suisque amicis est volup.
PLEUS. O lepidum caput! ita me di deæque ament, æquom fuit
Deos paravisse, uno exemplo ne omneis vitam viverent,
Sicuti merci pretium statui, pro virtute ut veneat,

tua pertinentibus sapis plus quam opus est. Vide Observ. IV, 10. GRONOV.

124. *Miseriarum*, sollicitudinum quæ miserum vexant et angunt. — *Liberis*, per liberos. Post hunc versum recentiores editores inserunt hunc ab Angelo Maio e codice rescripto erutum, « Continuo excruciarer animi, sin forte fuisset febris ». N.

125. *Censerem emori*. Supra cæteras ineptas conjecturas et explicationes allitum est nuper: Censerem liberos meos, si haberem, continuo in mortis aut alio aliquo discrimine versari: quæ tamen fuerat Taubmanni olim. Sed vel ipse postea vel Gruterus: « Censerem me mori », hoc est, æque male me haberet, ac si ipse obirem, audito aliquo liberorum infortunio. Sed ne sic quidem verum attigit. *Censerem emori*, est, censerem me identidem mori, angorem morti similem sentire, assidue cogitans, cecidissetne ebrius aut de equo uspiam. Ut apud Ovid. Fastor. II, Lucretia: « Mens abit, et morior, quoties pugnantis imago Me subit ». Talis proponitur Micio apud Terentium in Adelphis, act. I, sc. 1: « Ego, quia non redit filius, quæ cogito? Quibus nunc sollicitor rebus? ne aut ille alserit, Aut uspiam ceciderit aut perfregerit aliquid ». Sic quotidie emoriuntur parentes. GRON.

126. *Metuerem*, etc. Post hunc versum duo addunt vulgo editores ex Festo, quos non dant MSS. « Tum ne uxor mihi insignitos pueros pariat postea, Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut broncum filium ». N.

129. *Æquom fuit Deos paravisse*. Æquum fuit, deos fecisse, ne omnes uno modo viverent: sed viri boni, comes, liberales, essent longævi, homines contra improbi, incommodi, et illiberales, essent brevis vitæ. VICTOR. — *Æquom fuit*, i. q. fuisset. Bacch. IV, 4, 107, « oportuit », p. oportuisset. Æn. II, 55, « impulerat », pro impulisset. N.

Quæ inproba 'st, pro mercis vitio dominum pretio pauperet;
Itidem divos dispertisse vitam humanam æquom fuit:
Qui lepide ingeniatus esset, vitam longinquam darent;
Qui inprobi essent et scelesti, iis adimerent animam cito.
Si hoc paravissent, homines essent minus multi mali,
Et minus audacter scelesta facerent facta; et postea
Qui probi homines essent, esset his annona vilior.
PER. Qui deorum consilia culpet, stultus inscitusque sit,
Quique eos vituperet. Nunc jam istis rebus desisti decet.
Nunc volo opsonare, ut, hospes, tua te ex virtute et mea
Meæ domi adcipiam benigne, lepide, et lepidis victibus.
PLEUS. Nihil me pœnitet jam quanto sumtui fuerim tibi.
Nam hospes nullus tam in amici hospitium devorti potest,
Quin, ubi triduum continuum fuerit, jam odiosus siet.
Verum ubi dies decem continuos [inmorabitur],

132. *Pr. pauperet.* Quæ non nisi vili pretio venalis faciat eum, qui illam possidet, pauperem. N.

134. *Qui lepide ingeniatus esset*, etc. Vulgo « ingenuatus », sed scribendum, « ingeniatus ». Gell. XII, 1 : « Corpusque et animum bene ingeniatis primordiis inchoatum, insitivo degenerique alimento lactis alieni corrumpere ». Rarum verbum, *ingeniari*, ab ingenio deductum : ut ab *auxilio*, *auxiliari*. J. GULIELM.

138. *Esset his annona vilior.* Quasi dicat : Si dii longam vitam viris bonis dedissent, brevem improbis, futurum fuisse, ut esset rerum ad victum necessariarum proventus vilior. Ita interpretatur Victorius. Quod probo. Plane autem huic geminum est illud adagium Belgarum : Si homines insulsi et insipidi pane non vescerentur, vilis esset annona. BOXH.

139. *Qui deorum*, etc. Conjunctivus in verbis « culpet... sit... vituperet » ponitur, ut rem universe dici, nec responsum pertinare ad Pleusidem, urbane significetur. Est enim pro eo quod dicere voluit : « si quis forte vituperet, etc. » LIND.

141. *Ex virtute*, ut decet, pro virili parte, tum excepti tum excipientis, quatenus et mihi et tibi debeo. N.

143. *Nihil me pœnitet.* Cf. Aul. II, 2, 20. N.

145. *Odiosus.* Curc. I, 1, 45. N.

146. *Decem continuos inmorabitur.* Verbum postremum a Camerario est. MSS et vett. edd. « continuos ite astodorum illas ». Saracenus : « iterasti domum illius », quod admisit Pareus : postea illi placuit *ititasti*. Sed de hospitio agit, cui verba ista non conveniunt. Academicus quoque : « continuos iti astodorum illas ». Forte verum

Tametsi dominus non invitus patitur, servi murmurant.
PER. Servienteis servitute ego servos introduxi mihi,
Hospes, non, qui mihi inperarent, quibus ego essem obnoxius.
Si illis ægre'st, mihi quod volupe'st, meo remigio rem gero.
Tamen id quod odio est, faciundum'st cum malo atque ingratiis.
Nunc, quod obcepi, opsonatum pergam. PLEUS. Si certum'st tibi,
Conmodulum opsona, ne magno sumtu; mihi quidvis sat est.
PER. Quin tu istanc orationem hinc veterem atque antiquam amoves?
Nam proletario sermone nunc quidem, hospes, utere.
Nam hi solent, quando adcubuere, ubi cœna adposita'st, dicere:
« Quid opus fuit hoc sumtu tanto nostra gratia?
« Insanivisti, hercle; nam idem hoc hominibus sat erat decem. »
Quod eorum causa opsonatum'st, culpant; et comedunt tamen.

est: « Verum ubi dies decem continuos usitas domum illius ». GRON.

148. *Servienteis*, etc. Versus laborat nimietate, quem ita Lindemannus sanavit: « Serv. serv. egomet introd. m. » N.

150. *Meo remigio*, i. e. quod ad meam voluntatem, non ad alienam, navem impellat.

151. *Faciundum 'st* illis. — *Cum malo* coercitionis. N.

153. *Conmodulum opsona*. Modeste. CAMER.

155. *Proletario sermone*. Id est, plebeio et vili. *Proletarii* erant, qui nihil reip. exhibebant, sed tantum prolem sufficiebant: iidemque tenuissimi in plebe romana: *assidui* contra. Gellius, XVI, 10. GRON. — *Proletarius*, opinor, non tam ad ordinem, quam ad multitudinem pertinet. Namque proletario haud res erat, præsertim convivalis, cum divite, neque dives proletarium tanto sumptu accepisset. At quod usu vulgatum erat, id dici potuit proletarium. N.

157. *Quid opus*, etc. Versum inconcinnum restituit Lindemannus, « Quid tibi hoc opus fuit, etc. » N.

PAL. Fit, pol, illud ad illud exemplum : ut docte et perspecte sapit!
PER. Sed iidem homines nunquam dicunt, quamquam adpositum 'st ampliter :
« Jube illud demi ; tolle hanc patinam ; remove pernam ; nihil moror.
« Abfer illam offam penitam; probus hic conger frigidus;
« Remove, abi, abfer »; neminem eorum hæc adseverare audias;
Sed procellunt se, et procumbunt dimidiati, dum adpetunt.
PAL. Bonus bene ut malos descripsit mores! PER. Haud centesimam
Partem dixi, atque, otium rei si sit, possim expromere.
PAL. Igitur id, quod agitur heic, [jam] primum prævorti decet.
Nunc huc animum advortite ambo. Mihi opus est opera tua,
Periplectomene: nam ego inveni lepidam sycophantiam,
Quî admutiletur Miles usque cæsariatus : atque uti
Huic amanti ac Philocomasio hanc ecficiamus copiam,

160. *Illud ad illud.* Res illa quam narras illo fit modo.

162. *Nil moror.* Gallice, *je n'en veux pas.* N.

163. *Offam penitam.* Festus : *penem*, caudam vocabant; unde et *offam penitam* dicebant « offam porcinam cum cauda ». GRON.

164. *Abi.* Asin. III, 3, 114. N.

165. *Procellunt se*, se projiciunt, promovent. — *Procumbunt* in mensa. *Dimidiati*, tota corporis parte superiore prona. — *Dum adpetunt.* Ita avide in remotiora pulpamenta protendunt manus. N.

167. *Atque*, ibi est p. *quantum*. Similia hujus vid. Ter. And. IV, 2, 15.

170. *Sycophantiam.* Asin. I, 1, 56. N.

171. *Quî admutiletur miles usque cæsariatus.* Qua sycophantia miles quantumvis bene capillatus usque ad cutem tondeatur. Significat, se fallaciam reperisse, qua miles probe decipiatur. TURN. — Cf. Capt. II, 2, 19. De significatione verbi tondere, vide Bacch. II, 3, 8. N.

172. *Huic amanti ac Philocomasio.* Vulgatæ, « de Philocomasio », credo ex Camerarianis. In membranis tamen et vetustissima editione reperio *ad Philocomasium.* Quod multo magis ad gustum meum : nam « copia ad aliquid » est copia alicujus. Sic infra : « Ut sese ad eum conciliarem ». Et in prologo Captiv. « operam detis ad nostrum gregem ». GRON.

Ut hic eam abducat, abeatque. PER. Dari istanc rationem volo.
PAL. At ego mi anulum dari istum tuom volo. PER. Quam ad rem usui'st?
PAL. Quando habebo, igitur rationem mearum fabricarum dabo.
PER. Utere, adcipe. PAL. Adcipe a me rursum rationem doli,
Quam instituì. PLEUS. Ambo perpurgatis tibi operam damus auribus.
PAL. Herus meus ita magnus mœchus mulierum'st, ut neminem
Fuisse adæque, neque futurum credam. PER. Credo ego istuc idem.
PAL. Itaque Alexandri præstare prædicat formam suam:
Itaque omneis se ultro sectari in Epheso memorat mulieres.
PER. Edepol, quid tu de isto multa? scio te non mentirier:
Sed ego ita esse, ut dicis, teneo polchre: proin, Palæstrio,
Quam potes, tam verba confer maxume ad conpendium.
PAL. Ecquam tu potes reperire forma lepida mulierem,
Quoi facetiarum cor corpusque sit plenum et doli?
PER. Ingenuamne, an libertinam? PAL. Æqui istuc facio, dummodo
Eam des, quæ sit quæstuosa, quæ alat corpus corpore:

173. *Dari ist. rat.* Cupio illam a te ordinatam rem enarrari. Conf. Amph. II, 2, 38, et infra 175, 176. N.

175. *Igitur*. Bacch. III, 4, 19. N.

176. *Rursum*. Captiv. III, 4, 98. N.

180. *Prædicat formam suam*. Silent hic omnes. Vix dubitem tamen, quin scripserit auctor: « Itaque Alexandri præstare prædicat formæ suam ». GRON.

182. *Quid tu*, etc. Vulgatæ, « Edepol, quin te de isto cupiunt non m. » nullo sensu. Emendatio est doctorum virorum, veteribus editis sic volentibus. N.

187. *Æqui facio*. Vulgatæ, *æquo*. Lambinus restituit lectionem e codicibus. I. e. sitne ingenua mulier, an libertina, nihil interesse opinor. N.

188. *Quæ sit quæstuosa*. Asin. III, 1, 9. N.

Quoique sapiat pectus : nam cor non potest, quod nulla habet.
PER. Lautam vis, an quæ nondum sit lauta? PAL. Siccam, succidam,
Quam lepidissumam potes, quamque adulescentem maxume.
PER. Habeo eccillam meam clientam, meretricem adulescentulam.
Sed quid ea usus est? PAL. Ut ad te eam jam deducas domum,
Utique eam huc ornatam adducas matronarum modo:
Capite comto, crines vittasque habeat, adsimuletque se
Tuam esse uxorem : ita præcipiundum 'st. PLEUS. Erro, quam insistas viam.
PAL. At scietis : sed ecqua ancilla est illi? PER. Est prime cata.

189. *Pectus*. Cor in pectore, sapientiam in corde positam rebantur Veteres. Itaque bifariam pectus accipiebatur corporeo et æsthetico sensu. Hic priore servus jocatur. Cf. Aulul. IV, 3, 4; Cistell. I, 1, 67. N. — *Nam cor non potest, quod nulla habet.* Quasi dicat : Recte dixi « cui sapiat pectus », non *cor* : quasi omnes mulieres sint excordes et amentes. *Cor* pro mente et sapientia usitatum : hinc *cordati* et *excordes* et *vecordes*. GRON.

190. *Lautam vis, an quæ nondum sit lauta?* Omnino *lauta* est Lucinam experta : nam a partu lavationibus multum utebantur. Ostendit Sosia Amph. II, 2, 37. PALM. — *Siccam*. Palæstrio vult scortum *siccum succidum* : *siccum*, non tamen succo carens et exhaustum : ideo *succidum*, ut Terent. *succi plenum*. Itaque *siccam*, minime sputatricem, etc. Alias *siccus* pro sobrio legitur apud Afranium, Plautum, Cicer. alios : sicut contra *madidus* et *madulsa*, pro ebrio. Ita etiam ξηρὸν græce. SCAL. — Lindemanno libentius ego adsentior, siccam succidam esse quæ et gracilis et solido sit corpore, eo habitu quem succulentam gracilitatem dixit Apul. Met. II, p. 115 Elm. et cf. Ter. Eunuch. II, 3, 26. N.

192. *Clientam meretricem*. Meretrices habere in clientela non pigebat vel summates viros, etiamque matronas. Vide, apud Livium, quo patrocinio Hispala usa fuerit. Cf. Cist. I, 1, 25-40; Enn. V, 9, 9. N.

195. *Capite*, etc. Curtati crines, curtata vestis, is meretricius habitus. Matronalis, decora cæsaries cum vittis, et stola defluens in pedes, palla superinjecta. Cf. Mostell. I, 1, 69; Ovid. Art. Am. I, 1, 31; Hor. Sat. I, 2, 99. N.

196. *Erro*, nescio. N.

197. *Ecqua*, an aliqua. Bacch. II, 3, 1. N. — *Prime cata*. Vulgatæ, « primaria ». Nos emendavimus ex MSS Camer. qui habebant « pri-

PA. Ea quoque opu'st: ita præcipito mulieri, atque ancillulæ,
Ut simulet se tuam esse uxorem, et deperire hunc militem;
Quasique hunc anulum faveæ suæ dederit, ea porro mihi,
Militi ut darem; quasique ego rei sim interpres. PER. Audio:
Ne me surdum verbera. PAL. Tu si audis, ego recte meis
Dabo: a tua mihi uxore dicam delatum et datum,
Ut sese ad eum conciliarem: ille ejusmodi est, cupiet miser.
Qui nisi adulterio, studiosus rei nullæ aliæ est, inprobus.
PER. Non potuit reperire, si ipsi Soli quærundas dares,
Lepidiores duas ad hancce rem, quam ego: habe animum bonum.
PAL. Ergo adcurato et properato opu'st: nunc tu ausculta, Pleusides.
PLEUS. Tibi sum obediens. PAL. Hoc facito; miles domum ubi advenerit,

micata; prime cata ». *Primi* autem pro *prime*, ut « peregri, peregre: fermi, ferme: præfiscini, præfiscine », et similia. *Prime* Latinis pro egregie: ut *prime proba*; apud Nævium in Acontizomeno: « Acontizomenos fabula est prime proba ». Ita fere Græci πρῶτον usurpant: ut πρῶτον εἶδος præcipua et primaria forma. SALM.

200. *Quasique hunc anulum faveæ*, etc. Lego: « Quasique hunc anulum faveæ suæ dederit, ea porro mihi ». Gloss. *fuvea*, παιδίσκη: *faveus*, παῖς. Juvenal. Sat. VI: « Et faveam, cui det mandata, puellam ». SCAL. — *Quasique hunc anulum*. Camerarius, « hoc anulum animo ancillæ ». MSS et edd. vett. *famesæ* aut *famescæ ancillæ*. Scalig. « faveæ suæ », Meursius *faniscæ*. Neutras ego fero, sed verum mostellum librarii esse existimo, scribendumque: « Quasique hæc anulum clam suæ ancillæ dederit ». Quod si in MSS fuit *hoc*, tolerem, ut sit, ob hoc: quia scilicet depereat militem. GRON. — Vulgatæ dant « suæ ancillæ » glossema τοῦ *faveæ*, onerato versu. — *Ea porro*, deinde ancilla. N.

202. *Verbera*. Verberare verbis aures. Amph. I, 1, 177. N.

203. *Recte meis Dabo*. Si probum est *recte*, erit: dicam (dabo. Bacch. II, 2, 132) astute (recte) militi, etc. Sin *recta* Bothius et cum eo Lindemannus bene rescripserint, sensus erit: « nulla mora rem nuntiabo ad meos sc. ad militem ». Pluralis pro singulari haud insolens. Vid. Stich. I, 2, 26. N.

204. *Sese ad eum conc.* ut illam cum milite conveniam et conciliatam facerem. *Miser*. Cas. II, 3, 58. N.

206. *Soli quærundas*. Quis enim melius quærat, quam oculus mundi? N.

208. *Ergo adcurato et properato*. MSS. « adcuras et properas ». Le-

Memineris nc Philocomasium nominęs. PLEUS. Quam nominem?

PAL. Glyceram. PLEUS. Nempe eamdem, quæ dudum constituta'st? PAL. Pax, abi.

PLEUS. Meminero, sed quid meminisse id refert ad hanc rem tamen?

PAL. Ego enim dicam tum, quando usus poscet : interea tace.

Ut nunc, etiam hic agit, actutum parteis defendas tuas.

PLEUS. Ego eo intro igitur. PAL. Et præcepta sobrie ut cures, face.

ge : « Ergo adcures et properes, opus est », vel *opu'st*, per intellectum conjunctionis. Mercat. V, 4 : » Nihil opu'st resciscat ». GRON.

211. *Quæ dudum constituta*. Supra II, 5, 26. N.—*Pax* interjectio comprimentis, et quasi cum verecundia silentium sibi aut alteri imponentis. Hesychius, πάξ, ἐπὶ τῷ τὸ τέλος ἔχειν. Pax, « græcum est, quando significat tantummodo », ait Priscian. lib. XV. Diphilus, πάξ τι πάξ. Satis constat, *pax* tum græcum esse, tum etiam silentii esse, non admirationis, quod volunt quidam. Dum enim sibi silentium imponebant, opposito ad os digito, tamquam ulterius sermonem producere vererentur, aut quum, quæ dicta erant, indicta vellent, aut quum ex sermone præsentes dimitterent, tum πάξ dicebant. SCAL.

212. *Ad hanc rem tamen?* Vulgatæ, « sed quid meminisse id refert? ego te tamen », auctore Gronovio, videlicet ut sit « ego te interrogo ». Sed vetus lectio Camerariana potior visa est. N.

214. *Ut nunc, etiam hic agit*. Sententiam comprehenderunt : Hic, Periplectomenes, nondum absolvit partes suas, sed etiamnum agit, quod ipsi mandatum est de invenienda muliere : id si expedierit, tunc tuæ erunt partes, nempe ut abducas Philocomasium. Addunt etiam recte ex media histrionum disciplina, atque adeo ex re præsenti sumptam similitudinem. Sed errant, quum eam sententiam quærendam putant emendatione, veluti : « Et nunc etiam hic agit » : vel « tace, ut nunc etiam hic agat ». Satis es colligitur ex integra veteri scriptura, modo distinguas : » Ut nunc, etiam hic agit », et τὸ *ut nunc* accipias pro eo quod dicere solent, *ut nunc est*. Cælius ad Ciceronem : » cum L. Domitio, ut nunc est, mihi inimicissimo homine ». Cicero ad Attic. VII, 4 : « Sed, ut nunc est, a. d. III nonas jam ad urbem cogito ». GRON.—Nonne posset esse » ut nunc hic Periplectomenes agit, sic i. e. bene mox partes tuas sustine » ? « Nunc etiam » i. q. adhuc, hoc tempore. Conf. Pœnul. I, 1, 61. N.

SCENA SECUNDA.

PALÆSTRIO, LUCRIO.

PAL. Quantas res turbo! quantas moveo machinas!
Eripiam ego hodie concubinam Militi,
Si centuriati bene sunt manipulareis mei.
Sed illum vocabo : heus, Sceledre, nisi negotium,
Progredere ante ædeis; te voco Palæstrio.
LUCR. Non operæ 'st Sceledro. PAL. Quid jam? LUCR. Sorbet dormiens.
PAL. Quid, sorbet? LUCR. Illud stertit volui dicere.
Sed quia consimile'st, quod stertas, quasi sorbeas.
PAL. Eho an dormit Sceledrus intus? LUCR. Non naso quidem:
Nam eo magnum clamat. Tetigit calicem clanculum.
Demisit nardini amphoram cellarius.

1. *Res turbo*, turbas concieo. N.

3. *Si centuriati bene sunt*, si probi et idonei sunt. Nam qui ignavi neque strenui forent milites, eos in centuriam haud recte allegisses. Eodem exemplo *male conciliati* servi audiunt, utpote nequam, Pseudol. I, 2, 1. N.

4. *Illum*. Cf. Captiv. III, 4, 1. Ita fere sermone proletario nostrates dicunt *cet autre*. N.

5. *Voco*. Vulgat. *vocat*, perperam. Camer. alter, *te voca*; alter, *te voco*. Quod haud dubie verum. Ut apud Livium : « Hannibal peto pacem » : apud Suetonium : « Tantis rebus gestis C. Cæsar condemnatus essem ». Gron.

6. *Non operæ 'st Scel*. Isti operæ non vacat Sceledro tempus. Cf. II, 2, 99. N.

7. *Quid, sorbet?* Sic Cælius *soporem sorbilem* vocat, in quo maximus stertor efficitur. Merc.

8. *Sed quia consimile*. Nihil hic mutandum, quod fecit Acidalius. Oratio est abrupta, interrumpente eam Palæstrione. Plena esset : « Sed quia consimile est quod stertas quasi sorbeas », idcirco dixi stertentem Sceledrum sorbere. Boxh. — Non interrupta oratio, at fit ellipsis; supple sed (aliter dixi), quia, etc. N.

9. *Non naso quidem*. Frigida scurrilitas; ipse dormit, at nasus non dormit qui magnum edit clamorem, scilicet ronchos. N.

10. *Tetigit*. Tangere i. q. furari, subripere. Terent. Adelph. II, 1, 24, « tetigin' tui quidquam? » N.

11. *Demisit*. Superne collocabantur amphoræ. Horat. Od. III, 2 : « O nata mecum... pia testa...

PAL. Eho, tu sceleste, qui illi subpromu's, eho!
LUCR. Quid vis? PAL. Quî lubitum'st illi condormiscere?
LUCR. Oculis, opinor. PAL. Non te istuc rogito, scelus.
Procede huc; periisti jam, nisi verum scio.
Promsisti tu illi vinum? LUCR. Non promsi. PAL. Negas?
LUCR. Nego, hercle, vero; nam ille me vetuit dicere.
Neque equidem heminas octo expromsi in urceum;
Neque ille hic calidum exbibit in prandium.
PAL. Neque tu bibisti? LUCR. Di me perdant, si bibi,
Si bibere potui. PAL. Quî jam? LUC. Quia enim obsorbui.
Nam nimis calebat, amburebat gutturem.
PAL. Alii ebrii sunt, alii poscam potitant.
Bono subpromo et promo cellam creditam!
LUCR. Tu, hercle, idem faceres, si tibi esset credita:
Quoniam æmulari non licet, nunc invides.
PAL. Eho an nunquam promsit antehac? responde, scelus.
Atque, ut tu scire possis, edico tibi,
Si falsa dixis, cocio excruciabere.

descende ». Cf. id. ibid. III, 8, 9, IV, 12, 18. Sed poterit esse h. l. *inclinavit;* vid. v. 37. N.—*N. amphoram*, etc. Vulgatæ, « nardini unam amphoram », versu impedito. *Nardinum* absolute, pro nardino vino, sive nardo condito: ut *murrhinum* pro murrha condito. SALMAS.

12. *Subpromu's*. Cellarii vicarius, sic atriensis vicarius in Asinaria, II, 4, 27. N.

13. *Quî*, ambiguum, ut gallice *comment?* nam vel quomodo vel quare, et anquirentis vel indignantis est. Ita scurriliter postea captatur jocus: *oculis*. N.

18. *Hemina*. Amphora seu quadrantal par congiis 8, sextariis 48, heminis 96. Teste Festo v. *Quadrantal*. Amphora nostrale mensura 26 *litr.* 39 *décil.* 9 *centil.* N.

19. *Neque ille hic calidum exbibit*. Calidum bibisse Veteres tam vinum quam aquam θερμοπώλια indicant. SALMAS. — Cf. Curcul. II, 3, 13, 15. N.

23. *Poscam*. Vinum acidum aquæ mixtum pro vili plebecula vænire solitum. Et sicut *esca* pro cibis, ita *posca* pro potibus est antiquitus usurpata: *posculenta* item pro potulentis leguntur. MERCUR. — Sententia est: alii servorum vino nardino ebrii sunt, alii miselli poscam bibunt, non ebrii. Nam quis posca ebrius? LIPS.

29. *Si falsa dixis, cocio*. MSS, *vocio* vel *nocio*, unde *cocio* Lipsius. Fortassis simplicissimum est: « Si falsa dixis, Lucrio, excruciabere ». Id autem nomen est pueri, quicum conservus loquitur. GRON.—

LUCR. Ita vero? ut tu ipse me dixisse delices,
Postea sagina ego ejiciar cellaria,
Ut tibi, si promtes, alium subpromum pares.
PAL. Non, edepol, faciam, age loquere audacter mihi.
LUCR. Nunquam, edepol, vidi promere: verum hoc erat:
Mihi inperabat, ego promebam postea.
PAL. Hui! illi crebro capite sistebant cadi.
LUCR. Non, hercle, tam istoc valide casabant cadi.

Lindemannus cum Bothio vult *otio*, i. e. quum otium erit. Vulgata haud enarrationem fugit. Nam ut « plostrum, Clodius », pro « plaustrum, Claudius », et sexcenta hujusmodi Antiqui scripserunt, ita *cocio*, pro *cautio*, i. q. fidejussor. N.

30. *Delices*. *Delices* legendum cum utroque MSS, quod idem esse cum *prodere*, *indicare*, duobus locis monuit Marcellus. In Glossario Papiæ: « delicare, deferre, pro quo et dilicare dicebant ». Ita enim ibi pro *deligare* est legendum. Boxh.

32. *Si promtes*. Vulgo, *qui promat*. Camerariani, *si promptis*. Scribe: *qui promptet*. Et est verbum Plauti, Bacch. III, 3: « Illum meum malum promptare malim quam peculium ». Pseud. II, 2: « Siquidem hercle etiam supremi promptes thesauros Jovis ». Gron. — Hermanni lectionem e Lindemanno recepimus. *Si promptes*, i. e. si cellarius fias, vel promus. N.

36. *Hui! illi crebro*, etc.. Vulgatæ, « Hui! illecebrose! capite, etc. » vel « Hui! illecebroso capite sistebas cadum ». Codd. « hic ille cebro », vel « hic illi cœlebro capite sistebas », vel « sistebat cadi ». Unde Salmasius, cui assentitur Gronovius: « hinc, illecebra, etc. » Sed *illecebra* audiunt meretrices, non bibendi adjutores. Recepimus, præeunte Lindemanno, scripturam maxime codicibus congruam. « Capite sistere », i. q. inverti sursum vorsum. Conf. Curcul. III, 3, 8; Capt. IV, 2, 13. Cadi fictiles erant, qui vergebantur, si quis inde vinum depromere vellet. N.

37. *Non, hercle, tam istoc valide casabant cadi*. *Istoc*, accipiendum δεικτικῶς: ut intelligamus, eum gestu aut manu ostendere, se cados haud magno admodum negotio loco movisse aut vertisse: quia sine vi in lubrico loco et levi impulsu casabant, id est, nutabant et inclinabantur. A cadendo, casare. Turn. — Vult Lindemannus « Non, hercle, tam isteic, etc. » ita enarrans: « illo quam dicis loco (isteic) tantopere (tam valide) cadi non casarent (casabant), nisi (sed) in cella erat bilibris, etc. » *Casabant* valet imperfectum conditionale, οὐκ ἂν οὕτως ἔπιπτον. Terent. Andr. I, 2, 4, « mirabor, si sic abiret ». *Sed* pro *nisi*, ut contra *nisi* p. *sed*. Ita Lindem. Mihi alia videtur esse hujus loci interpretatio: *tam valide istoc*, i. e. quam quod dicis, nempe eos capite sistere. *Tam* cum ablativo non minus conveniat quam *æque*. « Nullus est hoc meticulosus æque », Ampli. I, 1, 137. Sensus igitur:

Sed in cella 'st paulum nimis loculi lubrici,
Ibi erat bilibris aqualis, heic propter cados.
Ea sæpe decies complebatur; [de] die
Eam plenam atque inanem fieri maxumam
Vidi : aula bacchabatur, casabant cadi.
PAL. Abi, abi intro jam. Vos in cella vinaria
Bacchanal facitis, jam, hercle, ego herum abducam a foro.
LUCR. Perii, excruciabit me herus, domum si venerit,
Quom hæc facta scibit, quia sibi non dixerim.
Fugiam, hercle, aliquo, atque hoc in diem extollam malum.
Ne dixeritis, obsecro, huic, vostram fidem.
PAL. Quo tu agis? LUCR. Missus sum alio; jam huc revenero:
PAL. Quis misit? LUCR. Philocomasium. PAL. Abi, actutum
redi.
LUC. Quæso tamen, tu partem infortuni meam,
Si dividetur, me absente adcipito tamen. (abit.)
PAL. Modo intellexi, quam rem mulier gesserit;
Quia Sceledrus dormit, hunc subcustodem suum

« non adeo vehementer cadebant, sed loci lubrici non parum (paullum nimis) est, ubi lapsans ego paullulum impellebam ita cados, ut invergerentur, forte fortuna ibi posito aquali prope, in quem vinum defluebat ». N.

42. *Aula*, id est, *urceus*, sive *bilibris aqualis* illa (ita enim ex superioribus interpretor) propter cados astituta proxime, *bacchabatur*, id est, Baccharum ritu temetum in se avariter ingurgitantium, vino ex cadis mea comitate largiter defuso, decies sæpe in die complebatur. Quæ res casantes seu casabundos, id est, cernuum in morem nutantes ac pronos prorsus inclinatosque (proinde ac si ebrii forent) cados efficiebat. DOUZA. — Dant vulgo « bacchabatur hama », sed codd. dant « bacchabatur accia », jam olim monebat Scriverius restituendam *aula*. N.

47. *In diem*, futurum tempus.— *Extollam*, differam. Cf. Pœnul. II, 1, 52. N.

48. *Ne dixeritis... huic*, etc. Obsecro vestram fidem, ne dixeritis hero meo. Potest tamen et hic esse, obsecro vos per vestram fidem, ne dixeritis hero meo, ut subintelligatur præpositio *per*, quod minus probo. LAMB. — Pro more Plautino spectantes histrio alloquitur. Conf. Aulul. IV, 9. N.

51. *Infortuni*. I. e. mali, quod quale sit diximus Amph. prol. 31. Eadem sententia, « macto te infortunio ». Ibid. IV, 2, 14. N.

Foras ablegavit, dum eapse huc transiret : placet.
Sed Periplectomenes, quam ei mandavi, mulierem
Nimis lepida forma ducit : di, hercle, hanc rem adjuvant.
Quam digne ornata incedit, haud meretricie!
Lepide hoc subcedit sub manus negotium.

SCENA TERTIA.

PERIPLECTOMENES, MILPHIDIPPA, ACROTELEUTIUM, PALÆSTRIO.

PER. Rem omnem Acroteleutium tibi, tibique, mea Milphidippa,
Domi demonstravi ordine. Hanc fabricam fallaciasque
Minus si tenetis, denuo volo percipiatis plane.
Satis si intellegitis, aliud est quod potius fabulemur.
ACR. Stultitia atque insipientia insulsa atque maxuma hæc sit,
Me ire in opus alienum, aut tibi meam operam pollicitari,
Si ea in opificina nesciam aut mala esse aut fraudulenta.
PER. At melius est monerier. ACR. Meretricem conmoneri,
Quam sane magni referat, mihi clam est! quin ego me frustro,

55. *Eapse.* Vulgo *ab se*, id est, a domo sua, sed est domus militis, et Palæstrio diceret *a nobis*. Acidalius probe emendavit.

56. *Sed Periplectomenes*, etc. Hic Milphidippa et Acroteleutium, a Periplectomene subornatæ Palæstrionis mandatu, procedunt : quæ prospiciens Palæstrio hæc loquitur : Sed Periplectomenes, nimis lepida forma ducit mulierem, quam mulierem ei mandavi ut duceret. LAMB.

57. *Hanc rem*, meum consilium. De voce *hic* pro *meus*, vide Epid. III, 2, 2. N.

58. *Digne*, decore. — *Haud meretr.* Vide scen. præced. vs. 194. N.

2. *Ordine*. Capt. II, 3, 17. N.

7. *Mala*, vafra, astuta. Bacchid. IV, 9, 25. N.

9. *Quin ego me frustro*, etc. Miror quod hæc verba nonnullis videantur absona, et velint mutare, « quid? egone frustra... tibi dixi, etc. » Planus, ni fallor, sensus, « immo, tero mihi frustra tempus,

Postquam adhibere aureis meæ tuam moram orationis.
Tibi dixi, Miles quemadmodum potis esset deasciari.
PER. At nemo solus satis sapit: nam ego multos sæpe vidi
Regionem fugere consili, prius quam repertam habuere.
ACR. Si quid faciundum 'st mulieri male atque malitiose,
Ea sibi inmortalis memoria est meminisse et sempiterna;
Sin bene quid aut fideliter faciundum 'st, eo deveniunt,
Obliviosæ extempulo uti fiant, meminisse nequeunt.
PER. Ergo istuc metuo, quo venit vobis faciundum utrumque:
Nam id proderit mihi, militi male quod facietis ambæ.
ACR. Dum ne inscienteis quid bonum faciamus, ne formida;
Mala nulla meretrix est, ne pave, pejora ubi conveniunt.

quum orationem, quæ acturam moratur, audio ». N.

11. *Deasciari.* Deasciari, est ascia lævigari, quod tralationis virtute significat, ut verba « deruncinare, dedolare », et alia hujuscemodi, male mulcare.

12. *Nam ego multos vidi.* Nihil hic mutandum. Comparatio est deducta ab iis, qui per ignota loca iter faciunt. Sicut illi, si soli sint, si ductores non habeant, sæpius aberrant a recta via, priusquam repertam habeant; ita qui soli consilium capiunt, sæpius hæsitant, aberrant a recta consilii regione, priusquam veram inveniant. Boxu.

15. *Memoria est meminisse*, i. e. ad memorandum sibi, ut meminerit. Pleonasmus Plauto familiaris; et infinitivus modus pro gerundio, hellenismus frequens. N.

16. *Fideliter*, bona fide. N.

18. *Ergo istuc metuo, quo venit vobis.* Legendum est *quod*, ut vidit Acidalius: nihil præterea mutandum. Dixerat meretrix, mulierem, si male sit faciendum et malitiose, id meminisse satis; si bene quid aut fideliter, id facile oblivisci. Hoc postremum capiat: « Ergo istuc metuo », propterea sollicitus sum « quod venit vobis faciendum utrumque »: nempe et male malitioseque, et bene fideliterque. « Nam id proderit mihi », bene fideliterque factum erit, « militi male quod facietis ambæ ». Ita quoque recte Acidalius, cui subserviunt MSS, qui *militia* non *malitia*. GRONOV.— *Quo*, quia, ut *eo*, propterea. N.

20. *Dum ne*, etc. Cf. idem dicendi modus Captiv. III, 5, 24. Hic sensus: ne formida, nihil tibi formidandum est, dummodo non inscientes, i. e. probe admonitæ faciamus. Vett. edd. et codd. dant « dum nescientes », quod reddidit Lindemannus sic enarrans: « dummodo non norimus bonum esse ». Sed quomodo nunc ignorabunt, quod versu præced. Periplectomenes ipse dixit? Prætulimus Acidalianam lect. vulgo receptam. N.

21. *Pejora ubi conveniunt.* Undecumque sit (sed videtur esse a Pistorio, quam tamen ipse non intellexit), hæc lectio sola vera est.

PER. Ita vos decet : consequimini. PAL. Cesso ego illis obviam ire ?
Venire salvom gaudeo. Lepido, hercle, ornatu incedit.
PER. Bene obportuneque obviam es, Palæstrio : hem tibi adsunt,
Quas me jussisti adducere, et quo ornatu. PAL. Eu, noster esto.
Palæstrio Acroteleutium salutat. ACR. Quis hic, amabo, est,
Qui tam pro gnota me nominat? PER. Hic noster architectus est.
ACR. Salve, architecte. PAL. Salva sis : sed dic mihi, ecquid hic te
Oneravit præceptis? PER. Probe meditatam utramque duco.
PAL. Audire cupio, quemadmodum. Ne quid peccetis, paveo.
PER. At tua præcepta ; de meo nihil his novom adposivi.
ACR. Nempe ludificari Militem tuum herum vis? PAL. Elocuta es.
ACR. Lepide et sapienter, conmode et facete res parata est.
PAL. Atque hujus uxorem esse te volo adsimulare. ACR. Fiet.

Nam quod habent scripti : « pejoribus conveniunt », aut quod Acidalius conjicit, « pejora ibus conveniunt », patiuntur quidem sensum aliquem, si sola et extra viciniam suam consideres : sed si totum contextum orationis inspicias, illud unicum, quod primum posuimus, requiritur. GRONOV. — *Pejora ubi*, etc. Codd. *pejoribus*, unde Acidalius *pejora ibus*, i. e. illis meretricibus. Sensus : « meretrices sunt bonæ, ubi cum bono faciendo pejora conjuncta sunt, sicut istud negotium nunc erit ». N.

23. *Venire salvom gaudeo* te, Periplectomene. Formula salutandi solemnis. Cf. Bacch. II, 2, 7. N.

25. *Eu, noster esto.* Sic pro vulgato, *heus*, *n. e.* e codice Pal. recepimus. Nostrum esse jubemus aliquem, cui laudem et favorem nostrum significamus. Trucul. V, 1, 61; Bacch. III, 3, 39. LINDEM.— Sic nostras *Montaigne : C'est mon homme que Plutarque !* N.

26. *Amabo.* Casin. I, 1, 49. N.

27. *Architectus*, qui operis præsidet, atque regit cuncta. Amph. prol. 45. N.

28. *Ecquid.* Curcul. I, 2, 39. N.

29. *Meditatam*, instructam, græce μιλιτᾷν, curare, crebra mutatione λ in δ, et ε in ι. N.

PAL. Quasi militi animum adjeceris, simulare. ACR. Sic futurum 'st.

PAL. Quasique hæc res per me interpretem et tuam ancillam geratur.

ACR. Bonus vates poteras esse; nam quæ sunt futura, dicis.

PAL. Quasique anulum hunc ancillula tua abs te detulerit ad me,
Quem ego Militi darem tuis verbis. ACR. Vera dicis.

PER. Quid istis nunc memoratis opu'st, quæ conmeminere? ACR. Meliu'st.
Nam, mi patrone, hoc cogitato: ubi probus est architectus,
Bene lineatam si semel carinam conlocavit,
Facile esse navem facere, ubi fundata et constituta est.
Nunc hæc carina satis probe fundata et bene statuta est.
Adsunt fabri architectique a me, a te haud inperiti.
Si non nos materiarius remoratur, quod opu'st, qui det,
Gnovi indolem nostri ingenii; cito erit parata navis.

PAL. Nempe tu gnovisti Militem meum herum? ACR. Rogare mirum'st;
Populi odium quidni gnoverim? magnidicum, cincinnatum,

35. *Adjeceris*, applicaveris, dederis. N.

37. *Bonus vates*, etc. Idem sæpins alio verbo *hariolare*. Cist. II, 1, 31. *Poteras*, i. q. posses. N.

38. *Anulum*. Ut viris, sic matronis, symbolum præcipnnm annulus. Vide Casin. II, 1, 1. N.

39. *Tuis verbis*. Amph. III, 3, 12. N.

41. *Ubi probus est architectus*. Significatur per *navem* negotinm de decipiendo Milite: per *carinam* commentum et fallacia, totius denique fabricæ ratio et fundamentum: per *fabros*, Peripl. et meretrices: per *architect*. Palæstrio: per *materiarium*, Miles. LAMB.

45. *A me, a te.* Venientes a parte mea, tua. Sic fere dici posset gallice *de chez toi, de chez moi*. Locutio adfinis huic, *domi, domo*. Cist. II, 1, 2. N.

46. *Materiarius*. Is dicitur, qui materiam, id est, ligna ad fabricandum comparat. Etenim κατ' ἐξοχὴν Latinis *materia* pro ligno ad ædificandum. Gloss. ξύλα, *materia*. Pœnul. IV, 2, 93. Cæsar, de Gall. lib. V: « Erat eo tempore et materiari et frumentari, et munitiones fieri necesse ». GRON*.

47. *Indolem*, naturam, germen. Nativo themate, *indu*, i. q. *in*, et *olescere*. Cf. Trinum. II, 2, 47. N.

49. *Populi*. Casin. I, 1, 29. —

Mœchum unguentatum. PAL. Num ille nam te gnovit? ACR. Nunquam vidit.
Quî gnoverit me, quis ego sim? PAL. Nimis lepide fabulare.
Eo potuerit lepidius, pol, fieri. ACR. Potine ut hominem
Mihi des, quiescas cætera? ni lepide ludificata
Ero, culpam omnem in me inponito. PAL. Age igitur, intro abite,
Insistite hoc negotium sapienter. ACR. Alia cura.
PAL. Age, Periplectomene, has nunc jam duc intro, ego ad forum illum
Conveniam, atque illi hunc anulum dabo, atque prædicabo
A tua uxore mihi datum esse, eamque illum deperire.
Hanc ad nos, quom extemplo a foro veniemus, mittito tu;
Quasi clanculum ad me missa sit. PER. Faciemus: alia cura.
PAL. Vos modo curate: ego illum probe jam oneratum huc adcibo.
PER. Bene ambula, bene rem gere. At ego hoc si ecficiam plane,
Ut coucubinam Militis meus hospes habeat hodie,
Atque hinc Athenas avehat, si hodie hunc dolum dolamus,
Quid tibi ego mittam muneris? ACR. Datne eapse mulier operam?

Odium, id est, omnibus molestus. Asin. II, 4, 40. N.— *Cincinnatum*. Cincinnis, id est, capillis crispis et calamistratis comptum. Sic apud Cic. « Cincinnatus ganeo, et Cincinnatus consul ». TAUBM.

51. *Quis*. Conf. Aulul. II, 1, 16. N.

52. *Potine ut hominem Mihi des?* etc. Quasi dicat: Da mihi tantum hominem: quod ad cætera attinet, otiosus sis; ego curabo. LAMB. — Cf. Bacch. I, 1, 1. N.

54. *Age igitur*, etc. Vulgo *agite*, etc. nimio versu. Sæpe *age* forma immutabili sequente pluralis numeri imperativo ponitur. N.

55. *Cura*. Verbum imperantis. Idem alia figura quod vs. 53, *quiescas cætera*. Cf. Casin. III, 4, 23.

59. *Hanc*, Milphidippam. N.

60. *Missa sit*, ab uxore tua. N.

61. *Oneratum*, scilicet errore et frustatione ridicula. Cf. Most. II, 1, 83. N.

62. *Bene ambula*. Capt. III, 1, 12. — *Bene rem g*. Hæc locutio fausta precantis est, non jubentis recte rem agi. N.

65. *Quid*, quantum. — *Eapse*.

PAL. Lepidissume et comissume. ACR. Confido confuturum.
Ubi facta erit conlatio nostrarum malitiarum,
Haud vereor, ne nos subdola perfidia pervincamur.
PER. Abeamus ergo intro, hæc uti meditemur cogitate;
Ut adcurate et commode, hoc quod agendum'st, exsequamur.
Ne quid, ubi Miles venerit, titubetur. ACR. Tu morare.

Vulgo, *ab se*, unde sensum Gronovius vix eruit, rescribens, « deine ab se mulier mulieri operam ». Probabili restitutione Acidalius orationem expedit. — *Mulier*, Philocomasium. N.

66. *Comissume*, solertissime. Asinar. III, 2, 10. N. — *Confido confuturum*. Terentius, Andr. « Spero confore ». *Confieri*, Lucr. et Virgil. Glossæ Papiæ : *confieri*, *compleri*, *perfici*. Boxh.

67. *Conlatio*, conspiratio. N.

71. *Tu morare*. Ipse moram festinanti mihi affers. Formula qua se paratum quis affirmat. N.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

PYRGOPOLINICES, PALÆSTRIO.

PYRG. Volup' est, quod agas, si id procedit lepide et ex sententia.
Nam ego hodie ad Seleucum regem misi parasitum meum,
Ut latrones, quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret,
Qui ejus regnum tutarentur, mihi dum fieret otium.
PAL. Quin tu tuam rem cura potius, quam Seleuci; quæ tibi
Conditio nova et luculenta fertur per me interpretem.
PYRG. Imo, omneis res posteriores pono, atque operam do tibi.
Loquere; aureis meas profecto dedo in ditionem tuam.
PAL. Circumspicito dum, ne quis nostro heic auceps sermoni siet.
Nam hoc negoti clandestino ut agerem, mandatum 'st mihi.
PYRG. Nemo adest. PAL. (offert annulum.) Hunc arrhabonem amoris primum a me adcipe.
PYRG. Quid hic? unde est? PAL. A luculenta atque a festiva femina,

3. *Latrones.* Supra I, 1, 76. N.

5. *Quæ tibi*, etc. Cura rem tuam, scilicet conditionem quæ tibi fertur. N.

6. *Conditio.* Aulular. II, 2, 60; hoc nomen, ut *conjugium*, in rebus amatoriis, æque ac in legitimis nuptiis usurpatur. Cf. Tibullus passim. N.

7. *Operam do.* Curc. II, 2, 9. N.

9. *Circumspicito dum.* Mutavit Lindemannus, *Circumspice dum*, juvandi versus causa. At, credo, patitur ecthlipsin, tertia syllaba. N.

Quæ te amat, tuamque expetessit polchram polchritudinem;
Ejus nunc mihi anulum ad te ancilla porro ut deferrem, dedit.
PYR. Quid? ean' ingenua an festuca facta e serva libera est?
PAL. Vah, egone ut ad te ab libertina esse auderem internuncius,
Qui ingenuis satis respondere nequeas, quæ cupiunt tui!
PYRG. Nubta ea est, an vidua? PAL. Et nubta et vidua. PYRG. Quo pacto potis
Vidua et nubta esse eadem? PAL. Quia adulescens nubta est cum sene.
PYRG. Euge! PAL. Lepida et liberali forma est. PYRG. Cave mendacium.
PAL. Ad tuam formam illa una digna est. PYRG. Hercle, polchram prædicas.
Sed quis ea est? PAL. Senis hujus uxor Periplectomeni in proxumo;
Ea demoritur te, atque ab illo incipit abire; odit senem.
Nunc te orare atque obsecrare jussit, uti tui copiam
Sibi potestatemque facias. PYRG. Cupio, hercle, equidem, si illa volt.

13. *Polchr. polchritudinem.* Plautus amat hujusmodi tautologias. Cf. Asin. II, 1, 18. N.

15. *Festuca*, non virga prætoris, ut vulgo interpretantur, sed palea quam lictor in sinum manumissi jaciebat. Conf. Pers. Sat. V, 175; Plutarch. de sera numinum vindicta hanc appellat κάρφος. Et in lege Salica eadem manumittendi forma, tit. 48. N.

17. *Cupiunt tui*, pro *te*. Vid. sc. seq. vs. 58. N.

21. *Ad tuam.* Illa una digna est, cujus forma cum tua comparetur. *Ad* hic comparationem significat. Sic Terent. Eun. « At nihil ad nostram hanc ». LAMB.

22. *Quis.* Aulul. II, 1, 16. — *Periplectomeni.* Genitivus ut *Ulyxi*, *Achilli*, etc. Plautus hic sua usus est licentia in nominibus propriis. Vide Epidic. N.

23. *Demoritur. Demoritur te*, dictum ut *deperit te*, i. e. perdite amat. Sic infra IV, 2, 48, « Heram meam, quæ te demoritur ». GRONOV. — *Incipit*, jam relinquit, adeo tui cupida. Mutant *cupit*, vel *hinc cupit*. N.

24. *Obsecrare jussit, uti*, etc. Ab illa muliebri procacitate, si qualiter res eadem nostrate scena gere-

PAL. Quæ cupit! PYRG. Quid illa faciemus concubina, quæ domi est?

PAL. Quin tu illam jube abs te abire, quo lubet; sicut soror
Ejus huc gemina venit Ephesum et mater, arcessuntque eam.

PYRG. Ain' tu? advenit Ephesum mater ejus? PAL. Aiunt qui sciunt.

PYRG. Hercle, obcasionem lepidam, ut mulierem excludam foras.

PAL. Imo vin' tu lepide facere? PYRG. Loquere, et consilium cedo.

PAL. Vin' tu illam actutum amovere, a te ut abeat per gratiam?

PYRG. Cupio. PAL. Tum te hoc facere oportet: tibi divitiarum adfatim 'st:
Jube sibi aurum atque ornamenta, quæ illi instruxsti, mulierem
Dono habere, abferreque abs te quod lubeat sibi.

PYRG. Placet uti dicis: sed ne istanc amittam, et hæc mutet fidem,
Vide modo. PAL. Vah, delicatus! quæ te tamquam oculos amet.

retur, compares, disce quodnam morum apud Veteres decorum fuerit. N.

26. *Quæ cupit!* Sine interrogationis nota hæc legenda. Explet Palæstrio venuste orationem Pyrgopolinicis. Cupio hercle, dixerat ille, si illa cupit. Addit hic: Cupis illam certe quæ te cupit. Nihil ergo cum Acidalio mutandum. Boxur. — Bothius credit emendandum *Quin cupit.* At quanto elegantior ellipsis! « quid illa faciemus, etc. » Cf. Aulul. IV, 10, 46. — *Concubina.* Philocomasium, ingenua, concubinatus jure se tuebatur (cf. Epid. III, 4, 34), neque pro lubitu injuria dimitti poterat. N.

27. *Sicut.* Occasione se dante nunc, quum, etc. Cf. Epid. II, 2, 87. N.

31. *Cedo*, da. N.

32. *Per gratiam*, volens, gratanter. Inf. IV, 5, 1. N.

36. *Amittam.* Bacch. IV, 9, 40. — *Vah, delicatus!* Exquisitum blanditiarum genus, quo aliquem quum videaris increpare, laudes. Mollitudinem animi tanto viro exprobrat, qui non metuenda metuat. —

PYRG. Venus me amat. PAL. St, tace! aperiuntur foreis; concede huc clanculum.

Hæc celox illius est, quæ hinc egreditur internuncia.

PYRG. Quæ hæc celox? PAL. Ancillula illius est, quæ hinc egreditur foras,

Quæ anulum istunc adtulit, quem tibi dedi. PYRG. Edepol, hæc quidem

Bellula 'st. PAL. Pithecium hæc est præ illa et spinturnicium.

Viden' tu illam oculis venaturam facere, atque aucupium auribus?

SCENA SECUNDA.

MILPHIDIPPA, PYRGOPOLINICES, PALÆSTRIO.

M. Jam est ante ædeis circus, ubi sunt ludi faciundi mihi?

Tamquam oculos. Dixit alias *oculitus.* In Cornicularia: « Qui amant ancillam meam oculitus ». N.

39. *Celox.* Vide notas Asin. II, 1, 10. — *Celox* proprie erat navigium breve et celere, quod præire justam classem solebat, ut adventum hostium, vires, consilia indagaret ut nunciaret suis. Vide Scheffer. de Milit. naval. vett. p. 76. DANZ.

42. *Pithecium et spinturnicium.* Quis non videt hoc loco *spinturnicium* nomen esse quadrupedis, turpis figuræ; ut et *pithecium*, Græci πίθηκον et πιθήκιον, de homine et muliere deformi sæpe usurpant. *Spinturnicium* igitur hoc Plauti versu est, τὸ σφίγγιον, quod genus simiæ est turpicula facie, et liquet in græco fuisse, πιθήκιον καὶ σφίγγιον: « pithecium et spinturnicium ». Alibi *clurinum pecus* de turpiculæ formæ puella dixit, id est, simiam. Quod *spinturnicem* quæ sphinx est, de ave quidam Veterum interpretati sunt, ex eo factum videtur, quod Græci alatas sphinges ex fabula pingebant; quas Ægyptii sine alis, ut erant revera. SALMAS. — *Spinturnicium.* Salmasius vult esse quasi σφίγγιον, genus simiæ turpicula facie. At Festus: « Spintyrnix est avis genus, turpis figuræ, occursatrix artificum, perdita spinturnix; ea græce dicitur, ut ait Santra, σπινθάρις ». Plin. incendiariam avem dicit. N.

1. *Circus.* Theatri nomen adhuc infrequens, quippe quum ipsa constructio parum cognita. Nam Pompeio III consule tum demum lapidea theatri moles stetit. Apud Veteres quo loco circenses ludi spectabant, idem appositis sedilibus, mutata

Dissimulabo, hos quasi non videam, neque esse heic etiam dum sciam.

PYRG. Tace, subauscultemus, ecquid de me fiat mentio.

MILPH. Num quis nam heic prope adest, qui rem alienam potius curet quam suam?
Qui aucupet me quid agam? qui de vesperi vivat suo?
Eos nunc homines metuo mihi ne obsint, neve obstent uspiam,
Domo si ibit, ac dum huc transibit, quæ hujus cupiens corpori 'st,
Quæ amat hunc hominem nimium lepidum et nimia polchritudine
Militem Pyrgopolinicem. PY. Satin' hæc quoque me deperit?
Meam laudat speciem : edepol, hujus sermones haud cinerem quæritant.

paullum facie, scenicos, opinor, accipiebat. Unde fit ut sæpe histriones emoti cederent, populo funambulos, aut pugiles poscente. N.

3. *Ecquid.* Vide Curcul. I, 2, 39. N.

4. *Num quis heic.* Scande quasi sit : *numqui' heic.* Vulgatæ, *Num quis nam*, versu laborante. Fortasse fuit in codd. *nam quis* per anastrophen, et glossema irrepserit *nam* i. e. *quisnam.* His Alcestes misanthropus obloquatur : « De grâce, mêlez-vous, monsieur, de vos affaires ». N.

5. *Aucupet me quid*, etc. Hellenismus. Cf. Bacch. III, 6, 26. N. — *Qui de vesperi vivat suo?* Duæ sunt explicationes, Durantii, qui intelligit « grassatores nocturnos », et Lambini, qui « sua quadra viventes, quibus domi victus est, nec opes alienas exspectant » : quales plerumque sunt curiosi de rebus alienis, quum ventri non metuant, si sua in re sunt omissiores. Pejorem adoptarunt : nam verior haud dubie posterior. Sic Rudente, I, 2, 91 : « si tu de illarum cœnaturus vesperi es ». Huc facit in Truc. I, 2, 34 : « Nimis otiosum arbitror hominem esse te. DI. Quianam arbitrare? AS. Quia tuo vestimento et cibo alienis rebus curas ». Hieronymus ad Eustochium : « Inter hos sæpe sunt jurgia, qui suo viventes cibo, non patiuntur se alicui esse subjectos ». GRONOV.

7. *Ibit*, exibit illa. — *Hujus*, Militis, qui his in ædibus habitat. Nam ipsum militem simulat se non videre, qui alia parte stat sermoni insidiatus. N.

9. *Satin'.* Formula interrogandi qua quis iram, admirationem, vel animi motum quemvis exprimit. Quasi « satisne certum est » cum infinitivo, et valet idem quod hujusmodi vox *siccine*, *ergone.* Bacch. V, 2, 82. N.

10. *Haud cinerem quæritant*, quo.

PAL. Quo argumento? PYRG. Quia enim loquitur laute et minume sordide.
PAL. Quidquid istæc de te loquitur, nihil adtrectat sordidum.
PYRG. Tum autem illa ipsa est nimium lepida, nimisque nitida femina.
Hercle, vero jam adlubescit primulum, Palæstrio.
PAL. Priusne, quam illanc oculis? PYRG. Tuis video id, quod credo tibi.
Tum hæc locuta, illa autem absente, subigit me ut amem? PAL. Hercle, hanc quidem
Nil tu amassis, mi hæc desponsa'st; tibi si illa hodie nubserit,
Continuo hanc uxorem ego ducam. PYRG. Quid ergo hanc dubitas conloqui?
PAL. Sequere hac me ergo. PYRG. Pedisequos tibi sum. MILPH. Utinam, quojus causa
Foras sum egressa, conveniundi mi eveniat potestas!

tamquam eluantur et nitidentur, ut solent hodieque vasa ex orichalco et ex ære: quippe jam sic tersi et splendidi. Arnobius, VII: « Lavatio deum matris est hodie. Sordescunt enim divi, et ad sordes eluendas lavantibus aquis opus atque adjuncta habent cineris frictione ». Sed et capillos mulieres rutilabant cinere: unde *ciniflones* et *cinerarii*. Val. Max. II, 1. GRONOV.

12. *Quidquid istæc*, etc. Hunc versum e codice Pal. a Bothio retractum et transcriptum a Lindemanno recepimus. N.

15. *Oculis*, etc. Puto legendum: « PY. Video, idque credo tibi: Eccum hæc elocutam. PA. Illam autem absentem? PY. Subigit me ut amem, etc. » Decorum in libidinoso Milite servans Plautus, facit eum ad conspectum ancillulæ statim adhinnire: quem reprehendens quasi Palæstrio: minime gentium, inquit; tune ut huic te des, priusquam illam absentem videris? LIPS. — *Tuis video.* Lindemannus, monentibus jam doctis, adscribit *tuis* orationi Palæstrioni: potior visa mihi est vulgata; qua Miles se excusat: de altera quam prædicas, credo quidem tibi, sed tuis oculis eam vidi, non ipse: at hanc video et audio. N.

16. *Tum hæc*, etc. Vulg. « cum h. l. illam a. absentem s. m. u. a. » Lindemannus emendavit ex codd. quem sequuti sumus, nisi placeat « tum h. l., illam autem absentem subigis m. u. a. » N.

PAL. (eam adiens.) Erit, et tibi exoptatum obtinget; bonum habe animum, ne formida:

Homo quidam 'st, qui scit, quod quæris, ubi sit. MILPH. Quem ego heic audivi?

PA. Socium tuorum consiliorum, et participem consiliarium.

MILPH. Tum, pol, ego id, quod celo, haud celo. PAL. Imo, etiamsi non celas.

MILPH. Quo argumento? PAL. Infidos celas; ego sum tibi firme fidelis.

MILPH. Cedo signum, si harunc Baccharum es. PAL. Amat mulier quædam quemdam.

MILPH. Pol, istuc quidem multæ. PAL. At non multæ de digito donum mittunt.

MILPH. Enim congnovi nunc: fecisti modo mihi ex proclivo palam rem.

Sed heic numquis adest? PAL. Vel adest, vel non. MILPH. Cedo te mihi solæ solum.

PAL. Breven', an longinquo sermone? MILPH. Tribus verbis. PAL. Jam ad te redeo. (adit militem.)

23. *Participem consiliarium.* Trucul. II, 1, 6, « amicus consiliarius magis quam auxiliarius ». N.

24. *Tum, pol, ego*, etc. « Siccine quod celatum volui, non celavi? » — *Imo, etiamsi*, etc. Imo vero celas, etiamsi non celasti. Ego quidem scio, omnes ignorabunt. N.

25. *Firme fidelis.* Hæc Hermanniana ex cod. Lips. lectio; vulgata *firma fide*, minus concinna. Sic *fidele fidelis*.

26. *Cedo signum, si harunc Baccharum es.* Ritus observandus. Et est allegoria a sacris Bacchi, quæ erant reconditissima, neque ulli, nisi sacris ejusdem initiato, cognita. Sic Apul. in Apol. I: « Si qui forte adest eorumdem solemnium mihi particeps, signum dato ». Arnob. *symbola* appellat; Clem. Alexandrin. συνθήματα. Apuleius etiam *memoracula*. TAUBM. — Ex hoc ritu apud Min. Felic. Cæcil. ait de Christianis: « Occultis se notis et insignibus noscunt ». GRONOV. — *Harunc*, i. q. nostri.

28. *Ex proclivo.* Facile, eadem figura « ex abundanti, ex professo, ex commodo, etc. » — *Palam rem.* Sic vulgata ex MSS, *patrem*. Gulielmius emendaverat ingeniose *planum*, quod Lindemannus secundum Bothium recepit. N.

29. *Cedo te mihi*, etc Fac ut sola solum te alloquar. N.

30. *Breven'.* Ablativ. Vid. IV, 7, 26. — *Jam ad te redeo.* Qui hæc ver-

PYRG. Quid? ego heic adstabo tantisper cum hac forma et factis sic frustra?

PAL. Patere, atque adsta : tibi ego hanc do operam. PYRG. [Propere] properando excrucior.

PAL. Pedetentim : tu hæc scis, tractari ita solere hasce hujusmodi merceis.

PYRG. Age, age, ut tibi maxume concinnum 'st. PAL. (secum.) Nullum 'st hoc stolidius saxum.

(ad Milphidippam.) Redeo ad te : quid me voluisti? MILPH. Quo pacto hoc dudum adcepi,

Istuc fero ad te consilium. PAL. Quasi hunc depereat. MILPH. Teneo istuc.

PAL. Conlaudato formam et faciem, et virtutes conmemorato.

MILPH. Ad eam rem habeo omnem aciem, tibi ut dudum demonstravi.

PAL. Tu cætera cura et contempla, et de meis venator verbis.

PYRG. Aliquam mihi partem hodie operæ des denique; jam tandem ades ilico.

PAL. Adsum, inpera, si quid vis. PYRG. Quid illæc narrat tibi? PAL. Lamentari

Ait illam miseram, cruciari, et lacrumantem se adflictare,

ba Militi dicta volunt, Plantini moris non meminere, qun festinantis actus futurus præsenti cnm *jam* ennnciatur. Vid. vers. 35. N.

31. *Sic.* Δειχτιχῶς. Et nnts orationem Militi glorioso convenientem. TAUBM.

32. *Hanc do operam*, agn nunc tna causa. — [*Propere*] *properando.* Huc *propere* inserni, sed uncis inclusnm, ne genuina lectio videatur. Est Bothiana commentatio explendi versus, haud Plautino ingenio abhorrens. Idem voluit *properadum*, sed *properando* non absonum, quippe qnod significat moræ impatientem animnm, dum cupit et properat.

34. *Nullum 'st hoc*, scil. Milite. Cf. Merc. III, 4, 47. N.

36-39. *Istuc fero*, etc. Nunc ut edncuisti me consilium, en exsequutnra te convenio. — *Quasi*, etc. Simula illam hunc deperire. — *Teneo.* Cf. Captiv. III, 5, 39. — *Aciem* mentis. — *Venator.* Imperativus modus. A vs. 36 hactenus inter se ita colloquuntur, nt Miles non audiat. Vide 40. N.

Quia tis egeat, quia te careat; ob eam rem hæc ad te missa 'st.
PYRG. Jube adire. PAL. At scin', quid tu facias? face te fastidi plenum,
Quasi non lubeat; me inclamato, quia sic te volgo volgem.
PYR. Memini, et præceptis parebo. PAL. (alta voce.) Voco ergo hanc, quæ te quærit?
PYRG. Adeat, si quid volt. PAL. Si quid vis, adi mulier. MILPH. Polcher, salve.
PYRG. Meum congnomentum quis conmemoravit? di tibi dent quæ optes.
MILPH. Tecum ætatem exigere ut liceat. PYRG. Nimium optas. MILPH. Non me dico,
Sed heram meam, quæ te demoritur. PYRG. Multæ aliæ idem istuc cupiunt,
Quibus non copia 'st. MILPH. Ecastor, haud mirum, si te habes carum
Hominem tam polchrum, et præclara virtute, et forma, et factis.
Ecquis dignior fuit, homo qui esset? PAL. (submissa voce.) Non, hercle; humanum 'st ergo;

43. *Tis*, ut *mis*, genitivi antiqui. Cf. Priscian. XIII, 2. N.

49. *Non me dico.* Hujusmodi ambigue inceptæ orationis et in alium sensum explicando desinentis exempla haud infrequentia vid. Asin. I, 1, 29, 30; III, 2, 33-36. N.

53. *Ecquis dignior*, etc. An fuit homo dignior qui homo exsisteret: hoc est humanitatis speculum! N. — *Non, hercle, humanum 'st ergo; Nam volturio*, etc. Mihi omnis joci argutia in ambiguitate sententiæ videtur consistere. Ambiguitas vero in vocibus illis duabus: *est* et *volturio*. Nam quum videatur dicere: volturio plus humanitatis inesse, quam Glorioso huic; aliud longe diversum salse significat, primum in casu τοῦ *volturio* comice ludens, qui tametsi pro dativo positus existimari possit, tamen nominandi casus intelligendus; ut sit *volturio*, *volturionis*. (Sic *lanio* et *lanius*; sic *longurio* et *longurius*; aliaque multa.) Deinde *est* haud quidem pertractate aut simpliciter, verum pro *edit* positum accipere debemus: innuitque, « vulturium plus humani », id est, humanæ carnis (interim dum in cadaveribus depascen-

Nam volturio plus humani credo'st. PYRG. (Secum.) Magnum me faciam

Nunc, quoniam illæc me conlaudat. PAL. (clam.) Viden' ingnavum, ut sese inferat!

Quin tu huic responde. Hæc illæc est ab illa quam dudum...

PYRG. Quanam ab illarum? nam ita mi obcursant multæ; meminisse haud possum.

MILPH. Ab illa, quæ digitos despoliat suos, et tuos digitos decorat.

Nam hunc anulum ab tui cupiente huc detuli huic, hic porro.

PYRG. Quid nunc tibi vis, mulier? memora. MILPH. Ut, quæ te cupit, eam ne spernas.

Quæ per tuam nunc vitam vivit: sit, necne sit, spes in te uno est.

PYRG. Quid nunc volt? MILPH. Te conpellare, et conplecti, et contrectare.

Namnisi tu illi fers subpetias, jam illa animum despondebit.

Age, mi Achilles, fiat quod te oro: serva illam polchram polcher:

Exprome benignum ex tete ingenium, urbicape, obcisor regum.

dis deditus est) rostro vellicatim carpere, quam Pyrgopolinicem possidere: seotentia nimiæ verisimilitudinis ergo, quamvis urbana vel ridicula potius. DOUZA. — Miraretur Plaotus, opinor, si hæc legeret, quæ tamen præterire oon debui, utpote doctis probata. Sed trifido acumine sententiam suam, quum scriberet, micare noo viderat; et qoem lapidi modo, sotea elephanto similem dixerat, nonc comparabat avi stolidæ et immaui. N.

57. *Quanam ab illarum?* Illi et isti significant innominatos homines quos geoeraliter designamus. Cistell. I, 1, 26; Terent. Adelph. prol. 15, et I, 1, 18. N.

59. *Hic porro*, deiode ad te detolit. Sic Lindemannus. Vulgatæ, « detuli huic, qui porro », per aposiopesin minos Plautioam. Bothius « detuli huic. PYRG. Porro Quid, etc. » N.

61. *Tuam nunc vitam*, tuam, scilicet quæ a te pendet. N.

62. *Te conpellare*, etc. Cf. Asin. III, 1, 20. N.

PYRG. Heu, hercle, odiosas res! quotiens hoc tibi, verbero, ego interdixi,
Meam ne sic volgo polliciteris operam? PAL. Audin' tu, mulier?
Dixi hoc tibi dudum, et nunc dico: ni huic verri adfertur merces,
Non hic suo seminio quamquam porculenam impartituru'st.
MILPH. Dabitur quantum ipsus preti poscet. PAL. Talentum Philippum huic opus auri est.
Minus ab nemine adcipiet. MILPH. Heu, ecastor, nimis vile est tandem!
PYRG. Non mihi avaritia unquam ingnata est: satis est divitiarum.
Plus mi auri mille est modiorum Philippei. PAL. Præter thesaurum.
Tum argenti monteis, non massas, habet. Ætna mons non æque altus.
MILPH. Heu, ecastor, hominem perjurum. PAL. Ut ludo! MILPH. Quid ego? ut sublecto os! PAL. Scite.
MILPH. Sed, amabo, mitte me actutum. PAL. (ad militem.) Quin tu huic respondes aliquid,
Aut facturum, aut non facturum? Quid illam miseram animi excrucias,

68. *Huic verri.* Cui opponitur *maialis.*

69. *Porculenam.* Vulgata, *porculam*, inconcinne; in MSS *porculem* et edd. ant. *porculenam.* N.

70, 71. *Dabitur*, etc. Eximium hoc profecto exemplum noscendi quid honestum, quid inhonestum dictu visuque tunc Romæ fuerit. En vide trossuli jactantiam, mulierum blanditiolas! N.

72. *Mille est modiorum. Mille* vel pro substantivo per se genitivum ducit, vel intellecto quodam nomine, « quantitas, multitudo », aut quovis simili. Infra vers. 88. Trinum. IV, 2, 17. — *Præter thesaurum.* Præterea, quem non dicit, thesaurus est. Nam Philippei ad usum quotidianum. N.

74. *Argenti monteis.* Sic Terent. Phorm. I, 2, 18, *montes auri.* N.

75. *Perjurum*, mendacem. — *Quid ego? ut sublecto os!* Quam scite ei palpando os demulceo, et fallo? Vide Cas. V, 4. LAMB.

Quæ nunquam male de te merita est? PYRG. At jube eampse exire huc ad nos,

Dic me omnia quæ volt facturum. MILPH. Facis nunc ut facere æquom;

Quod quæ te volt, eamdem tu vis. PAL. Non hic insulsum habet ingenium.

MILPH. Quomque oratricem haud sprevisti, sistique exorare ex te.

(submissa voce.) Quid est? ut ludo! PAL. Nequeo, hercle, quidem risu me admoderari.

Ob eam causam huc abs te avorti. PYRG. Non, edepol, tu scis, mulier,

Quantum ego honorem nunc illi habeo. MILPH. Scio, et istuc illi dicam.

PAL. Contra auro alii hanc vendere potuit operam. MILPH. Istuc, pol, tibi credo.

PAL. Meri bellatores gignuntur, quas hic prægnateis fecit,

Et pueri annos octingentos vivont. MILPH. Væ tibi, nugator!

81. *Quomque orat.* etc. Hæc pendent a præcedentibus, « facis ut fac. æq. » i. q. bene facis, quæ est locutio gratias agentis. *Sisti*, sivisti. N.

83. *Huc abs te avorti.* Pro illis, « ob eam causam huc abs te avorti », una litera adjecta putem legendum : « ob eam causam hunc abs te avorti ». Id est, hunc militem, abs te avorti, ut possem tibi hæc dicere secreto. SALM. — *Abs te avorti.* Dicit Palæstrio se, quia risu temperare nequivisset, paulum se ab ancilla avertisse, nam quum illa cum milite loqueretur, poterat is ridentem videre. LINU.

85. *Contra auro.* Cf. III, 1, 64.

86. *Meri bellatores. Merum*, quid sit, aut eo ut Veteres usi, paucos reperias, qui intelligant; nullum, qui explicarit. Putant vulgo nihil esse aliud, quam *solus* : et errant. *Merus* igitur a linguæ latinæ auctoribus ponitur pro vero, præstanti; non ficto, aut simulato : pro insigni, vehementi. Ita *merum lac*, in Lucret. est recens, bonum, purum putumque. Cic. « scelera mera loquuntur ». Idem, « meras proscriptiones, meros Sullas attendere ». Idem, « meram bilem, mera monstra nunciare : meros principes e schola Isocratis exiisse », quem locum tentarunt scioli. *Meros bellatores* dixit Plautus. Hoc autem totum a Græcis sumptum est; apud quos admirabili venustate ἀκρατὴς ponitur : ἄκρατος ὀργὴ, ἄκρατον ψεῦδος, etc. GIFAN. — *Quas prægnateis*, etc. Præmitte *ex illis*. N.

PYRG. Quin mille annorum perpetuo vivont, ab seclo ad seclum.

PAL. Eo minus dixi, ne hæc censeret me advorsum se mentiri.

MILPH. Perii! Quot hic ipse annos vivet, quojus filii tam diu vivont?

PYRG. Postriduo gnatus sum ego, mulier, quam Jupiter ex Ope gnatu'st.

PAL. Si hic pridie gnatus foret, quam ille est, hic haberet regnum in cælo.

MILPH. Jam jam sat, amabo, est, sinite abeam, si possum, viva a vobis.

PAL. Quin ergo abis, quando responsum'st. MILPH. Ibo atque illam huc adducam,

Quam propter opera est mihi: numquid vis? PYRG. Ne magis sim polcher, quam sum:

Ita me mea forma sollicitum habet. PAL. (ad Milphidippam.) Quid heic nunc stas? quin abis? MILPH. Abeo.

PAL. Atque adeo, audin' tu? dicito docte et cordate. MILPH. Ut cor ei saliat.

PAL. (submissa voce.) Philocomasio dic, si est heic, domum ut transeat: hunc heic esse.

MILPH. Heic cum mea hera est, clam nostrum huuc sermonem sublegerunt.

89. *Advorsum se.* Cf. Bacch. IV, 4, 47. N.

93. *Viva.* ἰδιωτισμὸς hominis ab aliqua re abhorrentis. Quum enim molestam sibi fuisse alicujus garrulitatem volebant indicare, dicebant se adeo fuisse enectos. Sic Horatius metuit, ne a suo illo garrulo enecetur. Ita θάνατον sive *morbum* sibi esse dicebant rem auditu molestam. Sophocles, ὤμοι θάνατος μὲν τάδ' ἀκούειν. Cicero sæpe « mortis instar putare, etc. » CASAUBON. — Sic Theocrit. Idyll. E, 79: εἶα λέγ', εἴτι λέγεις, καὶ τὸν ξένον ἐς πόλιν αὖθις Ζῶντ' ἄφες. LAMB.

95. *Numquid vis?* Cf. Amph. I, 3, 44. N.

97. *Audin'.* Cf. Men. II, 2, 36. N. — *Ut cor ei saliat.* Id germanum censeo: ut alludat ancilla ad id, quod servus dixerat, *cordate;* in amore autem vehementi cor subsilire solet. LIPS.

99. *Sublegerunt*, subauscultarunt, occulte exceperunt. LAMB.

PAL. Lepide factum 'st : jam ex sermone hoc gubernabunt doctius porro
Rem. MILPH. Me morare. PAL. Abeo; neque te moror, neque te tango, neque te..., taceo.
PYRG. Jube maturate illam exire huc : jam isti rei prævortemur.

SCENA TERTIA.

PYRGOPOLINICES, PALÆSTRIO.

PYRG. Quid mihi nunc auctor, ut faciam, es, Palæstrio,
De concubina? nam nullo pacto potest
Prius hæc in ædeis recipi, quam illam amiserim.
PAL. Quid me consultas, quid agas? dixi equidem tibi,
Quo pacto id fieri possit clementissume.
Aurum atque vestem omnem muliebrem habeat sibi,
Quæ illi instruxisti; sumat, habeat, abferat.
Dicasque tempus maxumum esse, ut eat domum :
Sororem geminam adesse et matrem dicito,
Quibus concomitata recte deveniat domum.
PYRG. Quî tu scis eas adesse? PAL. Quia oculis meis
Vidi heic sororem esse ejus. PYRG. Convenitne eam?
PAL. Convenit. PYRG. Ecquid fortis visa est? PAL. Omnia

102. *Prævortemur.* Cf. Merc. II, 3, 40. N.

3. *Amiserim.* Bacch. IV, 9, 40. N.

7. *Sumat*, *habeat*, etc. Amplificata divortii formula. Cf. Amph. III, 2, 47. N.

8. *Tempus maximum.* Maxime opportunum, quod si prætermiseris, aliud postea tale non occurret. N.

13. *Ecquid fortis visa est?* Quare *pulcer* inspiretur, ratio declarat. Fuit enim græcum πολύχειρ, i. e. *fortis* : sic omnium doctissimus poeta, Æn. VII, 656 : « Satus Hercule pulchro Pulcher Aventinus ». Igitur Romani, qui omnia ponerent in fortitudine, eum demum bonum et formosum putarunt, qui esset fortis. Itaque *fortis* quoque pro pulchro positum est apud Plautum hoc loco, neque sine ratione : exemplo enim Græcorum factum est, qui καλὸν æque et *formosum* et *bonum* significarunt. At bonus, fortis est : malus autem κακὸς, imbellis : unde *Caculæ*, qui in numero militum

Vis obtinere. PYRG. Ubi matrem esse aibat soror?
PAL. Cubare in navi lippam atque oculis turgidis,
Nauclerus dixit, qui illas advexit, mihi.
Is ad hos nauclerus hospitio divortitur.
PYRG. Quid is? ecquid fortis? PAL. Abi, sis, hinc; nam tu quidem
Ad equas fuisti scitus admissarius,
Qui consectare qua mareis, qua feminas.
PYR. Hoc age nunc. PAL. Istuc. PYR. Quod das consilium mihi,
Te cum illa verba facere de ista re volo;
Nam cum illa sane congruus sermo tibi.
PAL. Quin potius, tute quom ades, tuam rem tute agas,
Dicas uxorem tibi necessum esse ducere,
Congnatos persuadere, amicos cogere?
PYRG. Itane tu censes? PAL. Quid ego ni ita censeam?
PYRG. Ibo igitur intro: tu heic ante ædeis interim
Speculare, ut ubi illæc prodeat, me provoces.
PAL. Tu modo istuc cura, quod agis. PYRG. Curatum id quidem 'st.

non essent, παρὰ τὸ χάζεσθαι, quod est cedere. Χάζεν Τυδείδης. SCALIG. — Vide etiam notas Bacch. II, 2.

17. *Adhos*, ap. Periplectomenem. *Divortitur*, habitat; hinc *diversorium*.

21. *Hoc age nunc*. PAL. *Istuc*. Id est, nunc omissis ridiculis, operam da mihi, quod nunc volo. PAL. Istuc ago, dedo operam. — *Quod das consilium*. De ista re, quam mihi consilio suasisti, volo te, etc. N.

24. *Tute*, tu ipse. — *Quom ades*. Vulgata, « quom tute ades ». Scioppius emendavit: qui (quomodo) potius (me cum illa colloqui), quam (hoc fieri ut) tute adeas (illam), tuam rem tute agas, etc. Sic interpretatus: « hortatur eum ut ipse concubinam expellat, ne posthac ille diceret se inscio et invito acta, quæ servi cum ea transegissent ». N.

26. *Congnatos* virginis ducendæ. — *Amicos cogere*. Quidquid magnum Veteres incipiebant, de consilio amicorum, quos convocaverant, demum perficiebant. Quæ debuit tum exolescere consuetudo, quum jurisconsultorum professio exsistere occœpit, et, auctis civitatibus, vita civilis instructior, ac officia minus gratuita, sed parata magis egenti cuique. N.

27. *Quid ego ni*. *Quidni*, affirmat. Gallice, *oui*. Curcul. III, 1, 53. N.

29. *Prodeat* e domo Periplectomenis. N.

30. *Tu modo*, etc. Sic Palæstrio

Quin, si voluntate nolet, vi extrudam foris.
PAL. Istuc cave faxis; quin, potius per gratiam
Bonam abeat abs te, atque illæc, quæ dixi, dato;
Aurum, ornamentaque, quæ illi instruxisti, ferat.
PYRG. Cupio, hercle, PAL. Credo te facile inpetrassere.
Sed abi intro, noli stare. PYRG. Tibi sum obediens. (abit intro.)
PAL. Numquid videtur demutare, atque uti ego
Dixi esse vobis dudum hunc mœchum Militem?
Nunc ad me ut veniat usu'st Acroteleutium,
Ancillula ejus et Pleusides: pro Jupiter,
Satin' ut conmoditas usquequaque me adjuvat!
Nam quos videre exoptabam me maxume,
Una exeunteis hinc video e proxumo.

SCENA QUARTA.

ACROTELEUTIUM, MILPHIDIPPA, PLEUSIDES, PALÆSTRIO.

ACROT. Sequimini, simul circumspicite, ne quis adsit arbiter.

MILPH. Neminem, pol, video, nisi hunc, quem volumus conventum. PAL. Et ego vos.

MILPH. Quid agis, noster architecte? PAL. Egone architectus? vah! MILPH. Quid est?

PAL. Quia enim non sum dignus præ te, ut figam palum in parietem.

assiduam promittit operam, quasi diceret: tuum negotium facesse, de eo, quod ad me pertinet, securus. N.

37. *Demutare.* Id est, alius esse quam qualem eum esse dudum dixi. LAMB. — *Demutare*, intransitive. — *Atque* verbo *demutare* subjungitur, ut adjectivo *alius*. Cf. Amph. I, 1, 118. N.

41. *Satin' ut.* I. q. *quantum.* Cf. supra IV, 2, 9. N.

3. *Quid agis.* Cf. Aulul. I, 2, 39. — *Architecte.* Sup. III, 3, 27. N.

4. *Quia enim non sum dignus.* Tantum abest, ut architecti nomen me-

ACR. Eia vero. PAL. Nimis facete, nimisque facunde mala est.
Ut lepide deruncinavit Militem! ACR. At etiam parum.
PAL. Bono animo es, negotium omne jam subcedit sub manus.
Vos modo porro, ut obcepistis, date operam adjutabilem.
Nam ipse Miles concubinam intro abiit oratum suam,
Ab se ut abeat cum sorore et matre Athenas. ACR. Eu, probe!
PAL. Quin etiam aurum atque ornamenta, quæ ipse instruxit mulieri,
Omnia dat dono, ab se ut abeat; ita ego consilium dedi.
PLEUS. Facile istuc quidem'st, si et illa volt, et ille autem cupit.
PAL. Non tu scis, quom ex alto puteo sursum ad summum escenderis,
Maxumum periculum inde esse, a summo ne rursum cadas?
Nunc hæc res apud summum puteum geritur; si prosenserit
Miles, nihil hinc ferri poterit hujus: nunc quam maxume
Opus est dolis. PLEUS. Domi esse ad rem video silvæ satis:
Mulieres treis; quartus tute es, quintus ego, sextus senex.
PAL. Quod apud nos fallaciarum est excisum, certo scio,

rear, tecum comparatus: ut dignus non sim, qui palum figam in parietem: quod tamen quivis potest, etiam architecturæ imperitus. LAMB.

6. *Deruncinavit*. Cf. Capt. III, 4, 108. — *Etiam*, adhuc.

17. *Poterit hujus*. Laudo judicium Jani Gul. qui ὑποστιγμὴν collocat post *hujus*. Nihil hujus rei, inquit, quam struimus, confici poterit, nihilque hujus auferri, si Miles dolos olfecerit: quare nunc quum maxime dolis utendum est caute. ACIDAL.

18. *Opus est dolis*, etc. Numerus innumerus, quem docti sic restituunt, « opus dolis. — Domi esse ad eam rem silvaï satis ». — *Silvæ*, materiæ ad fabricandum opus. N.

20, 21. *Quod*. Vulgatæ, « quot a. n. f. e. excisum l certo, etc. » Creberrima mutatio *t* pro *d*. Ordo orationis, opinor, vere Plautinus: (si spectes) quod (quantum) fallaciarum est excisum, oppidum his dolis potest expugnari. *Excisum*, i. e. cæsum e silviferis locis, metaphora e versu 18 producta. N.

Oppidum quodvis videtur posse expugnari dolis.
Date modo operam. ACR. Id nos ad te, si quid velles, venimus.
PAL. Lepide facitis: nunc hanc ego tibi inpero provinciam.
ACR. Inpetrabis, inperator, quod ego potero, quod voles.
PAL. Militem lepide et facete et laute ludificarier
Volo. ACR. Voluptatem, mecastor, mi inperas. PAL. Scin' quemadmodum?
ACR. Nempe ut adsimulem me amore istius disferri. PAL. Rem tenes.
ACR. Quasique istius causa amoris ex hoc matrimonio
Abierim, cupiens istius summe nubtiarum. PAL. Omni ordine;
Nisi modo unum hoc: hasce esse ædeis dicas dotaleis tuas;
Hinc senem abs te abiisse, postquam feceris divortium;
Ne ille mox vereatur introire in alienam domum.
ACR. Bene mones. PAL. Sed ubi ille exierit intus, isteic te procul
Ita volo adsimulare, præ illius forma, quasi spernas tuam,
Quasique ejus opulentitatem verearis; et simul
Formam amœnitatis illius, faciem, polchritudinem
Conlaudato: satin' præceptum'st? ACR. Teneo: satin' est, si tibi
Meum opus ita dabo expolitum, ut inprobare non queas?
PAL. Sat habeo. (ad Pleusidem.) Nunc tibi vicissimque inperabo. PLEUS. Dicito.

22. *Id.* Amph. III, 2, 28. N.

26. *Scin' quemadmodum?* Vulgatæ, « et scin' tu quemadmodum », versu omnem extra mensuram vagante. N.

28. *Istius causa amoris*, causa amoris erga istum. Figura simili Amph. I, 2, 24. — *Ex hoc matrimonio*, e conjugio hujus viri. Conf. Amph. II, 2, 222. N.

29. *Omni ordine.* Vulgata, *ordine is*, invitis codd. quos sequutus Bothius nobis præivit. I. e. recte dicis omnia. Cf. Capt. II, 3, 17. N.

30. *Nisi modo unum hoc*, scilicet addas velim. — *Ædeis dicas dotaleis tuas.* Ex quo factum, ut, soluto jam matrimonio, ad te reversæ fuerint. — Cf. Asin. I, 1, 72. N.

38. *Expolitum*, perfectum.

PAL. Quom extempulo hoc erit factum, ubi intro hæc abierit, tu inlico
Facito ut venias huc ornatu nauclerico,
Causiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam,
Palliolum habeas ferrugineum (nam is colos thalassicu'st),
Id connexum in humero lævo, expapillato brachio,
Præcinctusque aliquî; adsimulato quasi gubernator sies.
Atque apud hunc senem omnia hæc sunt; nam is piscatores habet.
PLEUS. Quid? ubi ero exornatus, quin tu dicis, quid facturus sim?
PAL. Huc venito, et matris verbis Philocomasium arcessito,
Ut, si itura jam est Athenas, eat tecum ad portum cito:
Atque ad jubeat ferri in navim, si quid inponi velit.

41. *Facito ut.* Captiv. prol. 65.

42. *Causiam. Causia*, pileus latas oras ac margines habens, ad prohibendum solis æstum: a καίω, *incendo*, *uro*. Val. Max lib. V, cap. 1: « Causea, qua velatum caput suum more Macedonum habebat, texit ». Suidas: Καυσία, εἶδος πίλου βαρβαρικοῦ. Et notetur habitus naucleri. — *Culcitam. Tomenta* proprie sunt ex ciliciis pilis: *borram* vulgo vocamus: iis igitur tomentis aut ciliciis pilis implebant culcitas. Tamen olim, ut etiam hodie, culcitæ infercicbantur acere, et glumis spicarum. Et quidquid omento inculcabant, vocabant *culcitam:* unde ei nomen. Itaque *centunculum*, quod Dioscorides πίκημα vocat, i. e. *pulvillum*, culcitam appellat hic Plautus. Scal. — Jubet ut oculi vitium simulet: nam id genus hominum laneum paniculum oculis prætendebat. Qui mos etiam hodie obtinet: dicebanturque *lunoculi*. Festus: « Lanoculus, qui lana tegit oculi vitium ». Meurs.

44. *Expapillato.* Hanc retinui lectionem, quamvis cum Bothio Lindemannus, ex codd. ubi *exaffilato*, *exfafilato*, jubeat mutari *exfibulato*, quod metro convenientius. Sed numeros Plautinos si ad normam exigere nimia diligentia velis, Plautum ipse deseras. Et me, fateor, subigit, ut *expapillato* tuear, Nonii, Marcelli et Festi consensus, qui hanc nonnullorum codd. lectionem laudant et explicant: « brachio quasi usque ad papillam renudato. Plautus Milite glorioso ». N.

45. *Præcinctus*, tunicis alte cinctis ut ad iter paratus. — *Aliqui.* Aulul. prol. 24. N.

48. *Matris verbis.* Amph. III, 3, 12. N.

50. *Ad jubeat ferri.* Tmesis pro *jubeat adferri*. Curcul. I, 1, 85, « super illi fuerit »; Trinum. IV, 1, 14, *disque tulisset*. N.

Nisi eat, te soluturum esse navim; ventum operam dare.

PLEUS. Satis placet pictura, perge. PAL. Ille extemplo illam hortabitur

Ut eat, ut properet, ne moræ sit matri. PLEUS. Multimodis sapis.

PAL. Ego illi dicam, ut me adjutorem, qui onus feram ad portum, roget.

Ille jubebit me ire cum illa ad portum: adeo ego, ut tu scias,

Prorsum Athenas protinam abibo tecum. PLEUS. Atque ubi illo veneris,

Triduum servire nunquam te, quin liber sis, sinam.

PAL. Abi cito, atque orna te. PLEUS. Numquid aliud? PAL. Hæc ut memineris.

PLEUS. Abeo. PAL. Et vos abite hinc intro actutum, nam illum hinc sat scio

Jam exiturum esse intus. ACR. Celebre apud nos inperium tuum 'st.

PAL. Agite, abscedite ergo : ecce autem conmodo aperitur foris.

Hilarus exit, inpetravit; inhiat, quod nusquam'st, miser.

51. *Operam dare.* Curcul. II, 2, 9. N.

52. *Pictura.* Fallaciæ in Militem struendæ descriptio. LAMB.

53. *Ut eat*, etc. Metri causa Lindemanus scribit, *ut eat, properet*, etc, oratione minus vivida. Fortasse monosyllabum *eat* pronuntiandum. — *Multimodis.* Bacch. III, 2, 1. N.

54. *Illi dicam*, illam præmouebo. N.

58. *Numquid aliud?* Amph. I, 3, 44. N.

59. *Sat scio.* Capt. III, 4, 55. N.

60. *Intus.* Sup. 33. N. — *Celebre apud nos. Celeber* in nonnullis veteribus glossis exponitur, *prior, primus.* Vult ergo, primo loco sibi esse imperium Palæstrionis. Sed an male legeretur, *celere?* Quasi dicat: Nos tibi imperanti nequaquam in mora futuri sumus: celeriter tuum præcipientis imperium exsequemur. Cogitent eruditi. BOXH. — Ut infrequens miles dicitur, qui abest abfuitque signis, auctore Festo, sic imperium celebre erit, cui milites adsunt gnaviter et assidue perficiendo. Pseudol. I, 2, 35, « abite atque hæc celebrate ». N.

61. *Conmodo*, cf. Casin. III, 4, 3. N.

62. *Inpetravit.* A Philocomasio, quod suasi ut postularet vide sc.

SCENA QUINTA.

PYRGOPOLINICES, PALÆSTRIO.

PYRG. Quod volui, ut volo, inpetravi per amicitiam et gratiam
A Philocomasio. PAL. Quidnam tam intus fuisse te dicam diu?
PYRG. Nunquam ego me tam sensi amari, quam nunc ab illa muliere.
PAL. Quid jam? PYRG. Ut multa verba fecit! ut lenta materies fuit!
Verum postremo inpetravi ut volui, donavique ei
Quæ voluit, quæ postulavit; te quoque ei dono dedi.
PAL. Etiam me? quomodo ego vivam sine te? PYRG. Age, es animo bono:
Itidem te ego liberabo; nam si possem ullo modo
Inpetrare ut abiret, nec te abduceret, operam dedi;
Verum obpressit. PAL. Deos sperabo, teque postremo; tamen
Etsi istuc mi acerbum 'st, quia hero te carendum 'st optumo,
Saltem id volupe'st, quom ex virtute formæ evenit tibi

præced.—*Inhiat.* Cupit voluptatem qua frustrabitur. — *Miser.* Hoc junge eum *inhiat.* Cf. Casin. II, 7, 9. N.

4. *Ut lenta materies fuit!* Verum quidem est, *lentum* latine nonnumquam dici, quod flexibile et sequax est. Recte Papias in glossis: « Lentum, molle, tenue, et quidquid flexibile est ». Sed nemo facile verum esse credat, quod tamen est verissimum, postremos Plauti interpretes *lenta* ea significatione hic accepisse. Miseret me ἀϐλεψίας. Quanto rectius Lambinus: Ut longum negotium fuit? Nec aliud voluisse Plautum, versiculus proximus satis ostendit. BOXHORN. — *Ut lenta materies fuit! Lenta materias*, est quæ tarde expeditur. Sic Cicer. « Teucris illa lentum negotium ». Quod recte adhibuerant interpretes. Sed adjecerant alia quæ parum huc faciunt. GRONOV.

10. *Obpressit.* Pervicit, ut te secum abduceret. — *Tamen.* Conjunge versibus distracta *tamenetsi.* N.

11. *Quia*, post *istuc*, i. e. illud quod, hellenismus, τοῦθ' ὅτι. N.

Mea opera super hac vicina, quam ego nunc concilio tibi.
PYRG. Quid opu'st verbis? libertatem tibi ego et divitias dabo,
Si inpetras. PAL. Reddam inpetratum. PYRG. At gestio. PAL. At modice decet;
Moderare animo; ne sis cupidus: sed eccam ipsam, egreditur foras.

SCENA SEXTA.

MILPHIDIPPA, ACROTELEUTIUM, PYRGOPOLINICES, PALÆSTRIO.

MILPH. Hera, eccum præsto Militem. ACR. Ubi 'st? MILPH. Ad lævam, videto,
Adspicito limis oculis, ne ille nos se sentiat videre.
ACR. Video: edepol, nunc nos tempus est malas pejores fieri.
MILPH. Tuum 'st principium. ACR. (alta voce.) Obsecro, tute ipsum convenisti?
(clam milite.) Ne parce voci, ut audiat. MILPH. Cum ipso, pol, sum secuta

13. *Super*, ut græce ὑπὲρ, significat rem cujus causa vincere velis. N.

1. *Præsto*. Adverb. N.

3. *Malas*. Sup. III, 3, 7. N.

4. *Tuum 'st principium*. Incipere a te rem oportet. Hucusque inter se voce submissa colloquutæ. N.

5. *Secuta*. *Locuta* temere interpolatum a doctis viris, quum alterum sit probissimum. Nam, *seco*, et *sequor*, antiqui pro *dicere* usurpabant: hinc *sequester* et *insequa*. Livius Andronic. « Inseque musa virum versutum ». Ovid. Met. XIII, 749: « ... refer, o carissima, dixit: Neve tui causam tege, sum tibi fida, doloris. Nereis his contra resequuta Cratæide natam ». Dixit *resequi*, ut Sabini, *reloqui*. MEURS. — Sic etiam Livius de Cicerone: « Vir acer, magnus, memorabilis fuit, ut in ejus laudes sequendas Cicerone laudatore opus fuerit ». Et Ovid. Metam. lib. VIII, 862: « Illa dei munus bene cedere sensit, et a se Se quæri gaudens, his est resequuta rogantem ». Id est, respondit. Hoc a græco ἔσπετέ μοι

Placide ipsa, dum lubitum 'st mi, otiosc, meo arbitratu, ut volui.

PYRG. Audin' quæ loquitur? PAL. Audio, quam læta 'st, quia adit ad te.

ACR. O fortunata mulier es! PYRG. Ut amari videor! PAL. Dignus.

ACR. Permirum, ecastor, prædicas, te adisse atque cxorasse.
Per epistolam, aut per nuncium, quasi regem, adiri eum aiunt.

MILPH. Namque, edepol, vix copia fuit adeundi atque inpetrandi.

PAL. Ut tu inclutus apud mulieres! PYRG. Patiar, quando ita Venus volt.

ACR. Veneri, pol, habeo gratiam, eamdemque et oro et quæso,
Ut ejus mihi sit copia quem amo, quemque expetesso;
Benignusque erga me ut siet; quod cupiam, ne gravetur.

MILPH. Spero ita futurum, quamquam illum multæ sibi expetessunt;
Ille illas spernit segregatque ab se omneis, extra te unam.

ACR. Ergo iste metus me macerat, quod ille fastidiosu'st,
Oculi ejus ne sententiam mutent, ubi viderit me,

μοῦσαι. Dicitur autem poetice ἵσπομαι pro ἕπομαι, et ἕπω vel ἵσπω, *facio aliquem sequi*, quod faciunt qui præeunt sequentibus; sic qui alicui verbis præeunt, quasi dictantes ἔπειν dicuntur. Latini veteres *insequere* dixerunt. Vide Gellium, XVIII, 9. GRON.*

6. *Placide*, non raptim. Asin. II, 2, 60.— *Ipsa*. Vide vs. 10.—*Meo arbitratu*. Bacch. V, 2, 8. N.

8. *Mulier es*. Vulgatæ transferunt *es* post *dignus*, turbatis numeris. N.

10. *Per epistolam, aut per nuncium*. Nescio cur viri eruditi *regem* hic dici veliut κατ' ἐξοχὴν regem Persarum. Reges, aut regia potestate omnes per epistolam, aut per fere nuncium adibantur. Tacit. Annal. IV, de Tiberio: «Moris quippe tum erat, quamquam præsentem, scripto adire». Apuleius de deo Socratis: «Inter homines, qui fortunæ munere opulentia elatus, et usque ad regni mutabilem suggestum, et pendulum tribunal evectus est, raro aditur, et longe remotis arbitris in quibusdam dignitatis suæ penetralibus degit». Sic et majestati et securitati consuli credebatur. BOXH.

Atque ejus elegantia meam extemplo speciem spernat.
MILPH. Non faciet, bonum animum habe. PYRG. Ut ipsa se contemnit!
AC. Metuo, ne prædicatio tua nunc meam formam exsuperet.
MILPH. Istuc curavi, ut opinione illius polchrior sis.
ACR. Si, pol, me nolet ducere uxorem, genua amplectar,
Atque obsecrabo aliquo modo. Si non quibo inpetrare,
Consciscam letum : vivere sine illo scio me non posse.
PYRG. Prohibendam mortem video mulieri : adibon'? PAL. Minume.
Nam tu te vilem feceris, si te ultro largiere.
Sine ultro veniat, quæritet, desideret, exspectet.
Submovere istam vis gloriam quam habes? cave, sis, faxis.
Nam nulli mortali scio obtigisse hoc, nisi duobus,
Tibi et Phaoni Lesbio, tam misere ut amarentur.
ACR. Eo intro: abi tu, illum evocato foras, mea Milphidippa.
MILPH. Imo obperiamur, dum exeat aliquis. ACR. Durare nequeo,
Quin eam intro. MILPH. Obclusæ sunt foreis. ACR. Ecfrangam. MILPH. Sana non es.
ACR. Si amavit unquam, aut si parem sapientiam hic habet ac formam,

20. *Elegantia.* Merc. prol. 19. N.

29. *Exspectet. Exspectare aliquem* est ad alienum arbitrinm se componere, sua tempora ex temporibus alterins disponere. Sic Mostell. I, 3, 31; infra IV, 9, 9; Pœn. I, 2, 149. Nec secus Terent. Eunuch. I, 2 : « Me somnies, me exspectes, de me cogites ». GRON.*— Bothius emendavit *expetessat*, metro, at non sententia, nt credit, poscente. N.

30. *Submovere*, etc. Hic inter iambicos trochaicns doctos offendit qui fecerunt iambicum ita « Si non vis perdere gloriam istam quam, etc. » *quam* non liquescente, sed correpta. Sed pravis fultus talis sic quoque procedit. N.

33. *Eo intro.* Loquitur non ut quæ introit, sed quæ gestit introire. Ita snpra dixit Miles : *properando excrucior*, non quod properaret reapse, sed quod vellet. Non ipsa Acroteleutium it, sed ire ancillam jubet, ipsa interim ire gestit. Acidalium ergo vulgatam lectionem incnsantem mntantemque « eho, intro abi tu, illum, etc. » non andio. BOTH.

36. *Parem sapientiam*, etc. Ali-

Per amorem si quid fecero, clementi animo ignoscet.
PAL. Ut, quæso, amore perdita'st hæc misera! PYRG. Mutuum fit.
PAL. Tace, ne audiat. MILPH. Quid adstitisti obstupida? cur non pultas?
ACR. Quia non est intus, quem ego volo. PAL. Quî scis? ACR. Scio, edepol, scio.
Nam odore nasum sentiat, si intus siet. PYRG. Hariolatur.
Quia me amat, propterea Venus fecit eam ut divinaret.
ACR. Nescio, ubi hic prope adest, quem expeto videre; olet profecto.
PYRG. Naso, pol, jam hæc quidem videt plus, quam oculis. PAL. Cæca amore'st.
ACR. Tene me, obsecro. MILPH. Cur? ACR. Ne cadam. MILPH. Quid ita? ACR. Quia stare
Nequeo, ita animus per oculos meos defit. MILPH. Pol, militem tu
Adspexisti. ACR. Ita. MILPH. Non video, ubi est. ACR. Videres, pol, si amares.
MILPH. Non, edepol, tu illum magis amas, quam egomet, si per te liceat.
PAL. Omneis profecto mulieres te amant, ut quæque adspexit.
PYRG. Nescio tun'ex me hoc audieris, an non: nepos sum Veneris.

quid simile in Elogio Scipionis Barbati: « quojus forma virtutei parisuma (i. e. parissima) fuit ». N.

37. *Per amorem.* Vid. Pœn. I, 1, 12. — *Ignoscet.* Hæc dicens, vadit quasi foreis Militis pulsatura; at subito resistit. Vide vs. 39. N.

40. *Scio, edepol, scio.* Bothius emendavit, *scio, edepol, facile*, ex codd. *facio*, vel *olfacio*. N.

41. *Nasum.* Amph. I, 1, 288. — *Hariolatur.* Cist. II, 1, 31. N.

43. *Olet profecto.* Amphit. I, 1, 165. N.

45. *Tene me*, sustine. Cf. Casin. III, 5, 12. N.

50. *Nepos sum Veneris.* Hæc enim formosos et fortunatos atque adeo venustos facit amatores. Vide infra act. V, 1, 20; Ter. Andr. I, 5, 10.

ACR. Mea Milphidippa, adi, obsecro, et congredere. PYRG. Ut me veretur!
PAL. Illa ad nos pergit. MILPH. Vos volo. PYRG. Et nos te. MILPH. Ut jussisti,
Heram meam eduxi foras. PYRG. Video. MILPH. Jube ergo adire.
PYRG. Induxi in animum ne oderim, item ut alias, quando hoc orasti.
MILPH. Verbum, hercle, facere non potis, si adcesserit prope ad te.
Dum te obtuetur, interim linguam oculi præciderunt.
PYRG. Levandum morbum mulieri video. MILPH. Ut tremit atque extimuit,
Postquam te aspexit! PYRG. Viri quoque armati idem istuc faciunt;
Ne tu mirere plus mulierem. Sed quid volt me agere?
MILPH. Ad se ut eas; tecum vivere volt atque ætatem exigere.
PYRG. Egon' ad illam eam, quæ nubta sit? vir ejus est metuendus.
MILPH. Quin tua causa exegit virum a se. PYRG. Quid? quî id facere potuit?
MILPH. Quia ædeis dotaleis hujus sunt. PYRG. Itane? MILPH. Ita, pol. PYRG. Jube eam domum ire.
Jam ego illeic ero. MILPH. Vide ne sis in exspectatione,

52. *Vos volo.* Capt. V, 2, 24. N.

55. *Non potis* esset. N.

56. *Linguam oculi præciderunt.* Eleganter. Nam in amore, quum oculi cupide, quod amant, intuentur; non solum mens, sed etiam lingua obmutescit: ita fit, ut quasi præcipi et præcidi verba ab adspectu videantur. LIPS.

57. *Morbum.* Quod quis patitur miseriæ vel ab animo, vel etiam a rebus, morbus vulgo dicitur. Cf. Asin. I, 1, 50 seq. N.

60. *Ad se*, domum suam. N.

63. *Quia ædeis*, etc. Potuit hoc dolo decipi fatuus ille, et saxo stolidior. Nam quivis alius nuntium remitti ita viro ab uxore, ut uxori ab viro, nunquam credidisset. N.

64. *In exspectatione*, exspectatus, ut Captiv. II, 2, 3, *quæstioni* est quæsitus. N.

Ne illam animi excrucies. PYRG. Non ero profecto : abite.
MILPH. Abimus. (abeunt.)
PYRG. Sed quid ego video ? PAL. Quid vides ? PYRG. Nescio quis, eccum, incedit
Ornatu quidem thalassico. PAL. Jam nos volt hic profecto:
Nauclerus hic quidem 'st. PYRG. Videlicet arcessit hanc hinc. PAL. Credo.

SCENA SEPTIMA.

PLEUSIDES, PALÆSTRIO, PYRGOPOLINICES.

PLEUS. (secum.) Alium alio pacto propter amorem ni sciam
Fecisse multa nequiter, verear magis
Me amoris causa [cum] hoc ornatu incedere.
Verum quom multos multa admisse acceperim
Inhonesta, propter amorem, atque aliena a bonis :
Mitto jam, ut obcidi Achilles civeis passus est.....
Sed eccum Palæstrionem, stat cum milite :
Oratio alio mi demutanda'st mea.
(alta voce) Mulier profecto gnata'st ex ipsa mora.
Nam quævis alia, quæ mora est æque, mora
Minor ea videtur, quam quæ propter mulierem'st.

1 et seqq. *Alium*, etc. Multos videas in Plautinis fabulis nequiter facientes, sapienter eloquutos, quasi vellet poeta verborum documentis periculum exempli prævortere. Vide Mercat. prol. Most. prol. N.

4. *Admisse*, admisisse. N.

5. *Alien. a bon.* contra decorum.

6. *Mitto jam.* Ita restituo e MSS. Objicit Achilli, quod desidens apud naves Græcorum, civium perniciem non averteret. GRUTER. — *Mitto*, omitto, figura præteritionis. Asin. I, 1, 64. N.

8. *Alio demutanda*, ad alias res vertenda. N.

10. *Quæ mora est æque mora.* Mirum sane postremis Plauti interpretibus placuisse Palmerii sententiam, tradentis hic medio versu *mora* longa priore poni, idemque significare quod *stulta*. Morum illud plane et stolidum est. *Mora* vocabulum identidem hic repetitum, idem significat. Sententia venustissima est. Mulier, dum moratur semper, ex ipsa mora nata videtur. Si quæ mulieris causa mora sit, ma-

Hoc adeo fieri credo consuetudine.
Nam ego hanc arcesso Philocomasium : sed foreis
Pultabo : heus, ecquis heic est? PAL. Adulescens, quid est?
Quid tu ais? quid pultas? PLEUS. Philocomasium quærito,
A matre illius venio : si itura'st, eat :
Omneis moratur; navim cupimus solvere.
PYRG. Jam dudum res parata 'st : heus, Palæstrio,
Aurum, ornamenta, vestem, pretiosa omnia
Duc adjutores tecum ad navim qui ferant.
Omnia composita sunt, quæ donavi, ut ferat.
PAL. Eo. PLEUS. Quæso, hercle, propera. PYRG. Non morabitur.
Quid istuc, quæso, quid oculo factum'st tuo?
PLEUS. Habeo equidem, hercle, oculum. PYRG. At lævum dico. PLEUS. Eloquar.
Maris causa, hercle, istoc ego oculo utor minus.
Nam si abstinuissem amare, tamquam hoc uterer.
Sed nimis morantur me diu. PYRG. Eccos, exeunt.

jor vulgo creditur, quam quæ, licet non sit minor, viri, aut alterius alicujus rei gratia affertur. BOXH.

12. *Hoc adeo*, etc. Hoc, scil. ut mora, quæ propter mulierem sit, longior videatur, adeo (sic) fieri credo consuetudine, i. e. quod consueverunt homines moram pati, quidquid mulieres acturæ sunt. N.

13. *Nam*, autem. Amph. prolog. 104. N.

15. *Quid tu ais?* Aulul. IV, 9, 7. N.

16. *Si itura 'st, eat. Ire* pro *venire*, sæpe. Nota locutionem festinantis. Sic Casin. IV, 1, 10 : « Quin datis, si quid datis ». N.

19. *Pretiosa omnia.* Sic Lindemannus. Vulgatæ « pretiosum omne ut ferat », versu molem non ferente, et *ut ferat* ex versu 21 repetito ab oscitantibus librariis. N.

23. *Oculo.* Ablativum. Cf. Aul. IV, 10, 46. N.

24. *Habeo oculum.* Captat ambiguitatem; nam oculum habet aut habere videtur dextrum vegetum et videntem, de quo respondet, quum de altero sit interrogatus. N.

26. *Nam si abstinuissem amare.* Jocus elegantissimus et Plautino dignissimus ingenio. Nam quum Pleusides oculum sibi lævum, ne agnosceretur, obligasset; interrogatus a Milite, cur id faceret, urbanissime respondet, se id maris causa facere. Nam, inquit, si a mare abstinuissem, eo æque atque altero uterer. Ludit autem Militem

SCENA OCTAVA.

PALÆSTRIO, PHILOCOMASIUM, PLEUSIDES, PYRGOPOLINICES.

PAL. Quid modi flendo, quæso, hodie facies? PHIL. Quid ego ni fleam?
Ubi polcherrume egi ætatem, inde abeo. PAL. Viden' hominem tibi
Qui a matre et sorore venit? PHIL. Video. PYRG. Audin', Palæstrio?
PAL. Quid vis? PYRG. Quin tu intus jubes ecferri omnia, quæ isti dedi?
PLEUS. Philocomasium, salve. PHIL. Et tu salve. PLEUS. Materque et soror
Dicere jusserunt salutem [me] tibi. PHIL. Salvæ sient.
PLEUS. Orant te ut eas, ventus operam dum dat, ut velum explicent.
Nam matri oculi si valerent, mecum venisset simul.
PHIL. Ibo, quamquam invita facio: pietas sic cohibet. PLEUS. Sapis.
PYRG. Si non mecum ætatem egisset, hodie stulta viveret?
PHIL. Istuc crucior, a viro me tali abalienarier.
Nam tu quamvis potis es facere ut fluat facetiis:

ambiguitate vocabuli: quum enim dicere videatur duabus vocibus: Si *a mare* abstinuissem; non id dicit; sed si *amare* abstinuissem: revera enim amor ipsi in causa fuerat, ut eo oculo minus uteretur: aut saltem ita fingeret. *Mare* autem sexto casu usitatum. Ovidius, Fast. III, 200: «... Libyco de mare carpat aquam». Idem, Trist. III, 2: «Exiguum pleno de mare carpat aquæ». Et de Ponto, IV, 5: «... Euxino de mare vertet iter». MURET.

3. *Audin'?* Menæch. II, 2, 36. N.

7. *Ventus operam dum dat.* Supra.

10. *Stulta viveret.* Postquam nauclerus eam laudavit quod sit sapiens, Miles sibi gloriatur quod mentem illi acuerit suis exemplis. *Vivere*, i. q. esse. Cf. Casin. II, 8, 53. N.

12. *Nam tu*, etc. Facere potes,

Et quia tecum eram, propterea animo eram ferocior.
Eam nobilitatem amittundam video. PYRG. Nimium hæc flet. PHIL. Nequeo,
Te quom video. PAL. Habe bonum animum; scio ego, et quid doleat mihi.
Nam nil miror, si lubenter, Philocomasium, heic eras.
Forma hujus, mores, virtus, animum adtinuere heic tuum.
Quin ego servos, quando adspicio hunc, lacrumem, quia dijungimur.
PHIL. Obsecro, licet conplecti, priusquam proficisco? PYRG. Licet.
PHIL. O mei oculi, o mi anime! PAL. Obsecro, tene mulierem;
Ne adfligatur. PYRG. Quid istuc? PAL. Postquam abs te abit, animo male
Factum est huic repente miseræ. PYRG. Adcurrite intro, atque adferte aquam.
PAL. Nihil aquam moror. PYRG. Cur? PAL. Malo.... ne interveneris,

ut quævis mulier, quæ tecum erit, abundet facetiis, leporibus et elegantia. N.

14. *Nequeo.* Quum diceret Miles, nimis eam flere, illa hoc ait, non posse nimis se flere, ubi illum talem virum videat ultimo; et cogitet amplius non videndum. ACID.

18. *Lacrumem.* Vulgo *fleo.* Sed codd. et vett. edd. *lacrumum*, unde Bothius dedit, quod etiam metrum postulabat. Conjunctivum (ne quis a conjunctione *quin* pendere putet) posuit, quia non vere lacrimat, sed lacrimas prope esse ait; gallice, *je suis près de pleurer.* LIND.

20. *Tene mulierem.* Quum enim Philocomasium se exanimatam esse simularet, Palæstrio hortatur Pleusidem, ut eam retineat, ne ad terram gravi casu allidatur. LAMB.

23. *Malo.* Vulg. « m. merum : ne interv. quæso, dum resipiscit ». Non video, quomodo τὸ *merum* hic locum habere possit. Itaque ejiciendum censeo, ut spurium; præsertim quia Gruterus affirmat vocis *meri* nullum exstare vestigium in libris MSS; habent illi: « malo ne interveneris quæso dum resipiscit ». Quæ haud dubie vera est lectio. Sententia est: quum Philocomasium tua causa animi deliquium passa sit, ne intervenias, dum malo, dum a deliquio resipiscit, et ad se redit: ne te conspecto iterum animo linquatur. BOXH. — In MSS neque *merum* est, neque *ipse*, quæ in vulga-

Quæso, dum resipiscit. PYRG. Capita inter se nimis nexa hice habent.
Non placet: labra labellis ferruminant. PLEUS. Acre 'st malum;
Tentabam spiraret, an non. PYRG. Aurem admotam oportuit.
PLEUS. Sin' magis vis, ambos mittam. PYRG. Nolo; retineat. PAL. Fleo miser.
PYRG. Exite, atque adferte huc intus omnia, isti quæ dedi.
PAL. Etiam nunc saluto te, [lar] Familiaris, priusquam eo.
Conservi conservæque omneis, bene valete et vivite.
Bene, quæso, inter vos dicatis et mihi absenti tamen.
PYRG. Age, Palæstrio, bono animo es. PAL. Eheu! nequeo, quin fleam,
Quom abs te abeam. PYRG. Æquo fer animo. PAL. Scio ego, quid doleat mihi.
PHIL. Sed quid hoc? quæ res? quid video? lux, salve.

tia. Et facile admitto scripturam veterem: sed tam « malo intervenire », quam « malo resipiscere » displicet. Fingit servus, quum nescio quid se malle vellet dicere, interrumpi orationem suam, dum accedit Miles, et ipse eum properat monere, ne quia conspectus ejus mulierem exanimarit dolore discidii, rursus illi se offerat Miles, priusquam ad se redierit, ne prorsus moriatur: revera antem sentit, malle abesse Militem, ne mimus patefiat. GRON.

24. *Capita inter se*, etc. Dum Philocomasium pseudo-nauclerus exceptam amplexu detineret, non potuit quin vel coram Milite illam oscularetur.

25. *Labra labellis ferruminant.* Quum ratio trochaici longam nomini *labellis* præire jubeat, Lindemannus scripsit *labra a labellis*. *Ferruminare* est conglutinare ferrumine, i. e. ramentis ferri igne mollitis. — *Acre 'st malum.* Vulgo, *acre malum*, metro deficiente. Danzius, *arcte admodum*, quod orationi Militis adjungit. N.

27. *Ambos mittam*, Philocomasium et Palæstrionem tibi relinquam.—*Retineat.* Hoc dicit secum, vel scribendum *retineas*, vel, ut Lindemannus, « retine. PA. At fleo ». N.

29. [*Lar.*] Hoc nomen quod sensus et metrum poscunt simul, videlicet librariorum oscitantia elapsum fuerit. — *Eo*, abeo. N.

31. *Tamen.* Ita bonis verbis inter vos utimini, ut velitis mihi quoque licet absenti benedicere. Cf. Casin. I, 1, 17. N.

34. *Lux, salve.* Philocomasium, tamquam ad se rediens, et lucem diei, cujus usuram videbatur amisisse, revisens, hæc loquitur; quod

PLEUS. Jam resipisti? PHIL. Obsecro, quem amplexa sum
Hominem? perii! sumne ego apud me? PLEUS. Ne time, voluptas mea.
PYRG. Quid istuc est negoti? PAL. Animus hanc modo heic reliquerat.
Metuoque et timeo, ne hoc tandem propalam fiat nimis.
PYRG. Quid id est? PAL. Nos secundum ferre nunc per urbem hæc omnia,
Ne quis tibi hoc vitio vortat. PYRG. Mea, non illorum, dedi;
Parvi ergo illos facio; agite, ite cum dis benevolentibus.
PAL. Tua ego hoc causa dico. PYRG. Credo. PAL. Jam vale. PYRG. Et tu bene vale.
PAL. Ite cito, jam ego adsequar vos; cum hero pauca etiam loquar.
Quamquam alios fideliores semper habuisti tibi
Quam me, tamen tibi habeo magnam gratiam rerum omnium;
Et, si ita sententia esset, tibi servire mavelim
Multo, quam alii libertus esse. PYRG. Habe bonum animum. PAL. Heu mihi!

solemne iis, qui ex deliquio animi sibi restituuntur. LAMB.

36. *Voluptas mea.* Nimins amoris impetus Pleusidem proderet, qnippe quem Miles, lnscum navitam, miraretnr, qnomodo tam blande mulierem appellaret. Sed alio devortere snspicacem animnm Palæstrio occupat. N.

37. *Animus hanc*, etc. Respondet aliud aliud interroganti? Quid enim negotii ageret Nanclerus, postquam miles quæsiit, Palæstrio assimnlat quasi crederet quæsitum, quid Philocomasio accidisset. N.

38. *Hoc.* Ad sequentia, vs. 39, non ad præcedentia hoc attinet. N.

39. *Nos secundum ferre. Secundum ferri* dicuntur, quæ a servis sectatoribus feruntur: ipsique pueri a pedibus, *secundum ire*, Amph. II, I. PALMER.—Sententia: « Metuo ne quis vitio vortat τὸ nos hæc omnia ferre quasi pompam Philocomasii ». Hellenismus. N.

40. *Non illorum*, qni vituperabnnt. N.

42. *Tua causa.* Locntio ingratum quid excnsantis.

44. *Habuisti*, existimasti. N.

46. *Sententia esset* tua, si velles. N.

Quom venit mihi in mentem, ut mores mutandi sient!
Muliebreis mores discendi, obliviscendi stratiotici.
PYRG. Fac sis frugi. PAL. Jam non possum, amisi omnem lubidinem.
PYRG. I, sequere illos, ne morere. PAL. Bene vale. PYRG. Et tu bene vale.
PAL. Quæso, ut memineris, si forte liber fieri obceperim,
Mittam nuncium ad te, ne me deseras. PYRG. Non est meum.
PAL. Cogitato idemtidem, tibi quam fidelis fuerim.
Si id facies, tum demum scibis, tibi qui bonus sit, qui malus.
PYRG. Scio et perspexi sæpe; verum quom antidhac, tum hodie maxume.
PAL. Scies; imo hodie verum factum, faxo, post dices magis.

50. *Amisi omnem lubidinem.* Ridicule voluntatem aut rationem dixit *libidinem:* nam *libido* est rationis expers voluntas. LAMB. — Latet hic jocus a nemine animadversus. Miles hortabatur Palæstrionem, postquam cum scorto Philocomasio abiret, ut bene se gereret, prout deceret frugi servum: ille nequiter ludit, tanquam de Venere loqueretur, respondetque, non posse se: amisisse enim omnem libidinem. Fuit autem Romæ *Venus Frugi*, cujus templum *Frucinal* sive *Fruginal*, apud Festum, etc. *Venus* vero *Frugi* ea est, quam Veteres honestis amoribus præsidere credebant: quam σώφρονα Græci nominabant. MEURS.

51. *Ne morere*, ne moram facias. N.

53. *Ne me deseras.* Ut mihi victum et cultum præbeas. LAMB.— *Non est meum.* Scilicet, bene meritos deserere. LAMB. — Cf. Asin. I, 3, 38. N.

57. *Scies; imo*, etc. Non aliud puto mutandum in hoc versu, nisi quod interrogatione scribendum: « Scis? imo hodie verum factis faxo post dices magis ». Quem hodie verum esse comperisti, faxo magis postea ita esse factis dices. *Verum*, id est, veriloquum et veracem. Atque ita accipiendum etiam in præcedente versu: « Scio, et perspexi sæpe verum, quum antehac, tum hodie magis ». Ut apud Terentium, « verum scias ». SALM. — *Scies; imo hodie.* Nihil mutari velim. Primum *scies*, inquit, scilicet cum tempore, quam tibi fidelis fuerim. Postea hoc quasi corrigens: « imo hodie », vel hoc ipso die, id « verum factum » esse « post dices magis ». Et plane contrarium

PYRG. Vix reprimor, quin te manere jubeam. PAL. Cave istuc feceris.
Dicant te mendacem, nec verum esse, fide nulla esse te;
Dicant servorum præter me esse fidelem neminem.
Nam si honeste censeam te facere posse, suadeam;
Verum non potest; cave faxis. PYRG. Abi, jam patiar quidquid est.
PAL. Bene vale igitur. PYRG. Ire meliu'st strenue. PAL. Etiam nunc vale. (abit.)
PYRG. Ante hoc factum hunc sum arbitratus semper servom pessumum;
Eum fidelem mi esse invenio: quom egomet mecum cogito,
Stulte feci, qui hunc amisi. Ibo hinc intro nunc jam
Ad amores meos: et, sensi, hinc sonitum fecerunt foreis.

SCENA NONA.

PUER, PYRGOPOLINICES.

PUER. Ne me moneatis; memini ego opficium meum.
Ego jam conveniam illunc: ubiubi est gentium,
Investigabo; operæ non parcam meæ.
PYRG. Me quærit illic, ibo huic puero obviam.
PUER. Ehem, te quæro: salve, vir lepidissume,
Cumulate conmoditate, præter cæteros
Duo di quem curant. PYRG. Qui duo? PUER. Mars et Venus.
PYRG. Facetum puerum. PUER. Intro te ut eas obsecrat.

sentit servus ei, quod miles putat. Experietur enim nihil infidelius illo sibi servo fuisse. GRON.

59. *Nec verum.* Terent. Andr. II, 5, 12: « sum verus ».

63. *Ire meliu'st strenue*, te abire propere oportet. N.

66. *Qui hunc amisi.* Cf. Bacch. IV, 9, 40.

1. *Ne me moneatis.* Hæc ad eos qui intus apud Periplectomenem dant monita. — *Memini.* Cf. Asin. III, 2, 38. N.

6. *Cumulate conmod.* in quo quidquid commodi est, felicis et jucundi, cumulatur. — *Præter cæteros* homines. N.

8. *Facetum.* Asin. II, 2, 84.

Te volt, te quærit, teque exspectans deperit:
Amanti fer opem: quid stas? quin intro? PYRG. Eo.
PUER. Ipsus sese illic jam inpedivit in plagas.
Paratæ insidiæ sunt: in statu stat senex,
Ut adoriatur mœchum, qui forma est ferox,
Qui omneis se amare credit, quæque adspexerit,
Mulieres; eum odere qua viri, qua mulieres.
Nunc in tumultum ibo; intus clamorem audio.

12. *In statu stat senex.* Facete alludit ad modum, quo gladiatores se componebant, et colligebant in arma, insigni cura sui defendendi, alterius petendi. Quam ex arte posituram, vocabant *statum.* Sic Petron. de anu: « statum præliantis componit »: hinc illud, « Stare in statu: stare in gradu ». Petron. « ego intorto circa brachium pallio, composui ad prœliandum gradum ». Allusit Div. Hieronymus ad Demetr. « Quasi in procinctu et acie stemus semper ad pugnam. Vult nos loco movere hostis, et de gradu decedere: sed solidanda sunt vestigia ». Lucifer. Caralit. « Vovimus Christiani, nec prosperis nec adversis de gradu dimoveri ». LIPS.

14. *Quæque.* Supra II, 2, 1.

15. *Odere.* Cf. Aulul. II, 1, 4, et Curc. I, 1, 45.

ACTUS QUINTUS.

PERIPLECTOMENES, PYRGOPOLINICES,
CARIO, SCELEDRUS.

PER. Ducite istum; si non sequitur, rapite sublimem foras;
Facite inter terram atque cælum ut siet : discindite.
PYRG. Obsecro, hercle, Periplectomene, te. PER. Nequidquam, hercle, obsecras.
Vide ut istic tibi sit acutus, Cario, culter probe.
CAR. Quin jamdudum gestit mœcho abdomen adimere,
Ut faciam quasi puero in collo pendeant crepundia.
PYRG. Perii! CAR. Haud etiam, numero hoc dicis. (ad Periplectomenem.) Jam in hominem involo?

1. *Rapite sublimem.* Sic Terent. Andr. V, 2, 20.

2. *Ut siet.* Vulgo, « ut medius sit ». Sed *medius* abest omnibus scriptis et melioribus edd. appositum fortasse ab eo qui versui metueret. Sed ultima in voce *cælum* non eliditur. LINDEM. — *Discindite*, virgis, verberibus. Non solum non bella erat fama in mœchimonio deprehensorum, at corpus crudelia patiebatur. Multos debuit continere metus raphani. Ridet Horatius multorum mœchorum casus haud sane ridendos illis quidem. Sat. I, 2, 35-46, 64-67. Sallustius, ille sæculi censor gravissimus, olim apud Milonem flagris cæsus et nummos dedit, si fides est Gellio, XVII, 18. N.

6. *Ut faciam.* Ut faciam ei pendere abdomen, seu caudam salacem (nam hanc forte, quæ stat in imo ventre, per abdomen significat), quemadmodum pendent puero in collo crepundia. VICTOR. — *Crepundia.* Phalli quoque inter crepundia puerorum collo nonnunquam appendebantur. N.

7. CAR. *Haud etiam, numero.* Pessime hoc vulgo interpungitur. Ait, nondum periisti : numero hoc dicis : præmature periisse te dicis, præ ut peribis. ACIDAL. — Lindemannus Acidalio adversatur, eumque prava interpretatione Nonii,

PER. Imo etiam prius verberetur fustibus. CAR. Multum quidem.

PER. Cur es ausus subagitare alienam uxorem, inpudens?

PYRG. Ita me di ament, ultro ventum 'st ad me. PER. Mentitur; feri.

PYRG. Mane, dum narro. PER. Quid cessatis? PYRG. Non licet mihi dicere?

PER. Dic. PYRG. Oratus sum ad te venire huc. PER. Quare ausus? hem tibi.

PYRG. Oh, hei! sum satis verberatus, obsecro. CAR. Quam mox seco?

PER. Ubi lubet: distendite hominem divorsum, et dispennite.

PYRG. Obsecro, hercle, te, ut mea verba audias, priusquam secat.

PER. Loquere, nondum nihili factus. PYRG. Viduam esse censui,

Itaque ancilla, conciliatrix quæ erat, dicebat mihi.

PER. Jura, te nociturum esse homini nunc hac de re nemini,

Quod tu hodie heic verberatus, aut quod verberabere,

Si te salvom hinc amittemus Venereum nepotulum.

Festi, Macrobii, in errorem deductum censet; et *numero* esse « apposite, accommodate, opportune », utpote verbum a ratione musica translatum, non ab arithmetica: itaque hoc loco scribendum: « haud etiam (i. e. nondum) numero dicis », sublato inciso. Sed multis ipsius Plauti locis grammaticos non errasse revincitur. Conf. Casin. III, 5, 21; Menæchm. II, 2, 13; Merc. IV, 3, 38; Pœnul. V, 4, 102: quamvis alias oratio faciat, ut credam sensum, quem Lindemannus velit, non abhorrentem fuisse ab illa voce. Cf. Amph. I, 1, 26 (quod tamen de sententia grammaticorum interpretor), et Nævius apud Festum, « neminem vidi qui numero sciret quod scitu 'st opus ». N.

9. *Subagitare*. Capt. epilog. 2.

10. *Ita me di am*. Conf. Bacch. I, 2, 3. N.

11. *Mane*, exspecta.

12. *Hem tibi* jubet eum cædi. Cf. Asin. II, 4, 25.

14. *Dispennite*. Nonius: « dispennere est expandere, tractum a pennis et volatu avium ». Quid vero, si *dispenite* scribendum? Si qua causa est cur conjectura omittatur,

PYRG. Juro per Dionam et Martem, me nociturum nemini,
Quod ego heic hodie vapulo, sed mihi id æque factum arbitror.
Et si intestatus non abeo, bene agitur pro noxia.
PER. Quid, si id non faxis? PYRG. Ut vivam semper intestabilis.
CAR. Verberetur etiam, postibi amittundum censeo.
PYRG. Di tibi benefaciant semper, quom advocatus mihi bene es.
CAR. Ergo des minam auri nobis.. PYRG. Quamobrem? CAR. Salvis testiqus
Ut te hodie hinc amittamus Venereum nepotulum:
Aliter hinc a nobis, ne sis frustra... PYRG. Dabitur. CAR. Magis sapis.
De tunica, et chlamyde, et machæra ne quid speres, non feres.
(ad Periplectomenem.) Verberone etiam, antequam amittis? PYRG. Mitis sum equidem fustibus.
Obsecro vos. PER. Solvite istum. PYRG. Gratiam habeo tibi.
PER. Si posthac prehendero ego te heic, arcebo testibus.

Plauti verecundia profecto non est. N.

21. *Dionam.* Vulg. *Dianam.* Sed quid cum impurissimo illo castissimæ deæ esset? Vid. IV, 9, 7. N.

23. *Et si intestatus*, etc. Ludit in ambiguo significatu verbi *intestatus* et *intestabilis.* Potest enim accipi, pro eo, qui testiculis privatus est; et qui propter fraudem aliquam capitalem, quam admisit, neque testis alteri esse, neque testes in sua re adhibere, neque testamentum facere potest. Sic *intestabilis* alibi in Plauto est ἀτελής· ut contra τέλειος, ἔνορχος. LAMB. — Cf. Curc. I, 1, 30. — *Bene agitur pro noxia.* Magnam gratiam feceritis pro culpa quam admisi. LAMB.

26. *Advocatus mihi bene es*, non mihi defuisti advocatus, quum culter immineret. Lepida sane gratiarum actio.

29. *Aliter hinc a nobis.* Oratio inter minas imperfecta: intelligetur autem: « Non abibis ». CAM.

31. *Antequam amittis?* Visne, Periplectomene, ut etiam vapulet, priusquam eum missum facis? Et est venusta allusio in *mittis* et *mitis*: quod hic positum, pro eo, quem Græci dicunt πέπονα. CAM.

33. *Arcebo testibus.* Ridicula ambiguitas. N.

PYRG. Causam haud dico. PER. Eamus intro, Cario. (abeunt.)
PYRG. Servos meos
Eccos video. Philocomasium jam profecta est? dic mihi.
SCEL. Jam dudum. PYRG. Hei mihi! SCEL. Magis id dicas, si scias, quod ego scio:
Namque illic, qui lanam ob oculum habebat, nauta non erat.
PYRG. Quis erat igitur? SCEL. Philocomasio amator. PYRG. Quî tu scis? SCEL. Scio.
Nam postquam exierunt porta, nihil cessarunt inlico
Osculari atque amplexari inter se. PYRG. Væ misero mihi!
Verba mihi data esse video; scelus viri Palæstrio!
Is me in hanc inlexit fraudem. Jure factum judico.
Si sic aliis mœchis fiat, minus heic mœchorum siet;
Magis metuant, minus has res studeant: eamus ad me. Plaudite.

34. *Causam haud dico*, cur istud nou fiat, i. e. nou recuso. Couf. Aulul. II, 2, 84. N.

41. *Scelus viri.* Curcul. V, 2, 16.

42. *Fraudem*, insidias. — *Jure factum*, etc. Hoc et versus sequentes Liudemanuus Sceledro adscribit, videlicet quia non decorum videbatur militem de se ipsum ita loqui. At Plautus uon semel nebuloues fecit morem suum damuautes (vid. Mercat. Mostell.). Immo hoc loco, persoua jam fere deposita, ille potuit sapiens et frugi documeutum, quasi poetæ interuuntius ad spectatores, ex modo actis proferre, ridiculus antea satis. Ea Veterum opiuio. N.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

MOSTELLARIA

DRAMATIS PERSONAE.

TRANIO, servus Philolachis.
GRUMIO, villicus.
PHILOLACHES, adolescens.
PHILEMATIUM, meretrix.
SCAPHA, ancilla.
CALLIDAMATES, adolescens.
DELPHIUM, meretrix.
THEUROPIDES, pater Philolachis.
SIMO, vicinus illius.
DANISTA.
PHANISCUS, advorsitor Callidamatis.
SERVUS alius.
PUER.

RES AGITUR ATHENIS.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*M*ANUMISIT emtos suos amores Philolaches,
*O*mnemque absente rem suo absumit patre.
*S*enem, ut revenit, ludificatur Tranio;
*T*errifica monstra ait videri in ædibus,
*E*t inde primum emigratum : intervenit
*L*ucripeta fœnus fœnerator postulans.
*L*udusque rursum fit senex : nam mutuum
*A*dceptum dicit pignus emtis ædibus.
*R*equirit quæ sint. Ait vicini proxumi.
*I*nspectat illas : post, se derisum dolet;
*A*b sui sodale gnati exoratur tamen.

1. *Amores*. Dicitur pro amica, quam quis amat, una et sola. Curc. II, 3, 78; Mil. IV, 8, 67; Pœn. V, 3, 46. Catull. Carm. X, 2 : « Varus me meus ad suos amores Visum duxerat e foro otiosum ». GRON.*

8. *Dicit* Tranio.

9. *Requirit* senex. — *Quæ sint* ædes emptæ. — *Ait* Tranio. N.

10. *Inspectat* senex.

ALIUD ARGUMENTUM

CAMERARII.

Hæc fabula hilaritatis et festivitatis plena est, etiam multis bonis sententiis insignis. Et proponitur exemplum in hac consiliorum malorum et fraudulentorum; quæ quia firma esse non possunt, requirunt novas semper machinas, quibus fulciantur: donec tandem ruunt omnia deprehensis dolis. Nomen fabulæ inditum est a *monstris.* Nam senex a servo quasi manium monstris exterretur. Mentio fit φάσματος Menandri; sed et Plauti *Phasma* memoratur: quod nomen et ipsum monstri talis habet significationem. Est autem *mostrum*, *mostellum* : sicut, *castrum*, *castellum;* in pronunciando *n* litera liquescente. Inque hac, sene quodam mercatore absente, filius illius implicatur libidinoso et sumptuoso sodalitio: et amicam redimit triginta minis: quam pecuniam, et insuper in sumptum decem minas, fœnore sumpserat a Danista, mina una in decem. Redit tandem senex post triennium, quum forte potatio esset in ædibus ipsius : servus autem, qui hoc resciverat, quum in Piræum abiisset piscium causa, statim herili filio indicium facit. Sed erat unus in sodalitate ebrius, qui discedere non volebat. Ne igitur inter turbas superveniret, capit hoc consilium servulus; occludit foris ædes, et obviam procedit seni, et persuadet ei, ædes esse infestas monstris mortuorum. Et quum Danista debitam

pecuniam peteret, ait illam arrhaboni datam vicino, cujus domum filius emerit. Sed mox de servis adversitoribus et vicinis rem omnem senex cognoscit, et iratus ac in primis dolens se ad illum modum ludibrio a servo fuisse habitum, tandem a superveniente sodali filii exoratur, ut et filio veniam det, et ignoscat servo. Hæc fabula non solum mendose edita est plurimis in locis, quemadmodum et aliæ omnes : sed dissipatis etiam versibus, et distractis scenis, ut saltem in reponendis quibusque in suum locum operam navasse videri debeamus.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

MOSTELLARIA.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

GRUMIO, TRANIO.

GRUM. Exi e culina, sis, foras, mastigia,
Qui mi inter patinas exhibes argutias.
Egredere, herilis pernicies, ex ædibus.
Ego, pol, te ruri, si vivam, ulciscar probe.
Exi, inquam, nidor, e culina : quid lates?
TRAN. Quid tibi, malum, heic ante ædcis clamitatio'st?
An ruri censes te esse? abscede ab ædibus.

1. *Sis.* Cf. Amph. I, 1, 130.
2. *Exhibes argutias*, qui circumvallatus patinis, argutaris, neque recte mihi respondes. N.
4. *Te ruri.* Vid. vs. 18. — *Si vivam.* Cf. Bacchid. IV, 5, 16. N.
5. *Nidor, e culina.* Quum vellet appellare servum, qui fructum herilis filii corrupti maximum habebat una pergræcari, obsonare pollucibiliter, atque ob id nullam domus partem magis quam culinam colere ac frequentare, vocat eum *nidorem.* Quasi diceret : Tu non homo, sed nidor, exi e culina, quam semper habitas, velut nidor. GRONOV.
5. *Quid lates?* latere verbum probrosum.
6. *Malum.* Cf. Amph. I, 1, 247.

Abi rus, abi, dierecte, abscede ab janua.
Hem. (cum verberat.) Hoccine volebas? GRUM. Perii! cur me verberas?
TRAN. Quia tu vis. GRUM. Patiar : sine modo adveniat senex.
Sine modo venire salvom, quem absentem comes.
TRAN. Nec verisimile loquere, nec verum, frutex,
Comesse quemquam ut quisquam absentem possiet.
GRUM. Tu urbanus vero scurra, deliciæ popli,
Rus mihi tu objectas? sane credo, Tranio,
Quod te in pistrinum scis actutum tradier,
Cis, hercle, paucas tempestates, Tranio.
Augebis ruri numerum, genus ferratile.

8. *Abi, dierecte.* Conf. Bacch. IV, 1, 7. N.

9. *Hem.* Conf. Asin. act. II, 4, 25. N.

10. *Sine modo.* Conf. Curcul. V, 2, 55. N.

11. *Quem absentem comes. Comedi* videtur, cujus bona comeduntur. Sic Sueton. ait : « Claudium venalem pependisse », i. e. prædia ejus pendente titulo et libello proscripta. TURN.

12. *Frutex.* Inter contumeliæ verba fuit et *frutex* : convitium nimirum in stupidos et insulsæ mentis homines. Proprie et signate rusticani agrestesque ista insigniti voce. SCIPIO GENTIL. — Eadem sententia *stipes*, *lapis*, et alia hujuscemodi proferuntur. Nempe Rustico apposite objectum probrum. Sane, Tranio, idcirco mihi objectas, quod te in pistrinum scis mox traditum iri. LAMB.

17. *Cis, hercle, paucas tempestates.* Intra breve tempus. Idem Trucul. « Cis paucos dies ». TURN. — Proprie *cis* et *uls*, quomodo loquebantur Veteres pro *citra* et *ultra*, locum designant : sed transferuntur eleganter ad tempus : et sic *citerior* etiam ponitur pro propior, non tantum loco, sed et tempore. GRON.*

18. *Numerum, genus ferratile.* Qui aiunt mira hic comminisci interpretes, ipsi mira comminiscuntur, quum « genus ferratile » accipiunt vocandi casu. Etsi autem simplicissimum est *numero* cum Pistorii explicatione : tamen elegans et non obscura est et vetus lectio, ut eam interpretatur Tauhmanns : nempe ut « genus ferratile » sit adjectum per epexegesin. Augebis ruri numerum, genus ferratile significo, intelligo, dictum volo : ne tu de alio numero me loquutum censeas. GRON. — In pistrinum servi nequam pœnæ causa rus ablegabantur. Conf. Asin. II, 2, 75. *Genus ferratile*, vinctum ferreis compedibus. Conf. Asin. I, 1, 21, « ferricrepinas insulas ». N.

Nunc, dum tibi lubet licetque, pota, perde rem,
Conrumpe herilem filium, adulescentem optumum.
Dies nocteisque bibite, pergræcamini,
Amicas emite, liberate, pascite
Parasitos, opsonate pollucibiliter.
Hæccine mandavit tibi, quom peregre hinc iit, senex?
Hoccine modo hic rem curatam obfendet suam?
Hoccine boni esse opficium servi existumas,
Ut heri sui conrumpat et rem et filium?
Nam ego illum conruptum duco, quom his factis studet,
Quo nemo adæque juventute ex omni Attica
Antehac est habitus parcus, nec magis continens:
Is nunc in aliam partem palmam possidet.
Virtute id factum tua et magisterio tuo.
TRAN. Quid tibi, malum, me, aut quid ego agam, curatio'st?
An ruri quæso non sunt, quos cures, boves?
Lubet potare, amare, scorta ducere.
Mei tergi facio hæc, non tui, fiducia.
GRUM. Quam confidenter loquitur! fue! TRAN. At te Jupiter
Dique omneis perduint, oboluisti allium.
Germana inluvies, rusticus, hircus, hara suis,

21. *Pergræcamini.* Horat. Sat. II, 2, 10, « si romana fatigat Militia assuetum græcari ». Conf. Bacch. V, 4, 91. N.

22. *Amicas emite, liberate.* Hanc juvenum amantium prodigentiam Epidico taxavit. N.

23. *Pollucibiliter.* Parate obsonia opipare et sumptuose: nam de esculentis Herculi decimam dabant: idque *polluceri*, et consecratum quod fuerat, *polluctum* dicebatur. CAMER.

24. *Hæccine mandavit*, etc. Videlicet Tranioni demandata erat adolescentis custodia, ut pædagogo, et rei familiaris procuratio, ut atriensi. N.

29. *Quo... adæque.* Conf. Epid. II, 2, 103. N.

32. *Virtute.* De hac solemni voce, vid. Anlul. II, 1, 44; Captiv. II, 2, 74. N.

33. *Me curatio 'st.* Conf. Amph. I, 2, 21. N.

35. *Ducere.* Bacch. IV, 10, 6.

36. *Fiducia.* Bacch. IV, 4, 100.

38. *Oboluisti.* Nempe Grumio dicens *fue*, halitum objecit.

39. *Germana inluvies.* Quantus quantus es, nil nisi illuvies et fœtor es. Immundi sunt rustici: quod

Canes capro commista. GRUM. Quid tu vis fieri?
Non omneis possunt olere unguenta exotica,
Si tu oles; neque superior adcumbere,
Neque tam facetis, quam tu vivis, victibus.
Tu tibi istos habeas turtures, pisceis, aveis:
Sine me alliato fungi fortunas meas.
Tu fortunatus, ego miser: patiunda sunt.
Meum bonum me, te tuum maneat malum.
TRAN. Quasi invidere mihi hoc videre, Grumio.
Quia mihi bene est, et tibi male est; dignissumum 'st.
Decet me amare, et te bubulcitarier:
Me victitare polchre, et te miseris modis.

in immundo opere facinndo plerumque versentur: ideo servus rusticus appellatur *illuvies* ab urbano. Bosius.

40. *Canes.* Vetus i. q. canis. Canem vocat, sive oblatrantem, sive fœtidum. Fortasse utrumque, ut cujus gravis odor cum caprino, hircino commixtus præcipue notetur. N.

41. *Unguenta exotica.* Plin. Hist. Nat. XIII, 5: « Certum est Antiocho rege Asiaque devictis, Urbis anno DLXV, P. Licinium Crassum L. Julium censores edixisse ne quis venderet unguenta exotica; sic enim appellavere ». N.

42. *Neque superior adcumbere*, pro, *superiores.* Mutat enim numerum, suo more. LAMB. — Hoc loco res consequentiæ grammaticæ vim infert. Nempe Grumio quum omnes dixit, ad se respiciebat. Cæterum enallage numeri perquam familiaris nostro et aliis. Cf. Captiv. IV, 2, 18; Menæchm. V, 7, 1, 2. Terent. Eun. II, 1, 19, « adeon' homines immutarier ex amore, ut non cognoscas eumdem esse ». Catull. LXIV, 144: « Nulla viri speret sermones esse fideles, Qui..... nil metuunt jurare ». *Superior adcumbere.* Vid. Asin. V, 2, 41. N.

43. *Facetis*, elegantibus. N.

45. *Sine me alliato. Alliatum* interpretor *moretum*, cui allium admixtum est: atque adeo de cibis omnibus intelligo, quibus allium intritum est: ad quod Terent. Phorm. II, 2, respexerat: « Tute hoc intristi: tibi est omne exedendum », auctore Donato. Quasi dicat Grumio: Sine me fortunis meis, quæ in cibo seu pane allio peruncto sitæ sunt, patienter fungi et contentum esse. TURN. — *Sine me alliato.* Nec pejus foret, si deleremus τὸ *me. Sine fortunas meas*, id est, me tenui fortuna præditum, *fungi*, id est, defungi, pati, contentum esse, *alliato.* GRON. — Lambinus protulit *alliatum*, quicum oratio recte procedit. *Alliatum* i. q. allio infectum. Tunc adjectum erit.

47. *Meum bonum me*, etc. Eadem sententia, quæ Menæchmi servo, act. V, sc. 6. N.

GRUM. O carnuficum cribrum, quod credo fore :
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, si huc reveniat senex.
TRAN. Quî scis an tibi istuc prius eveniat quam mihi ?
GRUM. Quia nunquam merui; tu meruisti, et nunc meres.
TRAN. Orationis operam conpendiface,
Nisi te mala re magna mactari cupis.
GRUM. Ervom daturin' estis, bubus quod feram ?
Date æs, si non estis : agite porro, pergite
Quomodo obcœpistis; bibite, pergræcamini,
Este, ecfercite vos, saginam cædite.
TRAN. Tace, atque rus abi : ego ire in Piræum volo,
In vesperum parare piscatum mihi.
Ervom tibi aliquis cras faxo ad villam adferat.

52. *O carnuficum cribrum*, etc. Significat corium et tergum ejus *stimulis* (quos oblongos, sive e sudibus præacutis, sive et ferro præfixis gestabant ad hunc usum) ita crebro puuclo perforatum iri, ut cribrum repræsentet. Quod autem « patibulatum eum per vias fore », ait, significat *furcam* sive patibulum laturum : unde *furciferi* dicuntur hac contumelia affecti. *Furca* autem et *patibulum* eadem, aut non longe dissita videntur : atque hoc a *cruce* distinguitur : ut *patibulum* sit pars crucis, nimirum patens illa et transversa : *crux* autem inferior defixusque stipes proprie dicatur. LIPS. — Cf. Casin. II, 6, 37. — *Per vias*, nempe verberando mastigias exagitabant coram populo. Plut. vit. Coriol. N.

54. *Reveniat*. Nisi contra legem et morem secundam produxerit poeta, oporteat, metri causa, conjicias *revenerit*. N.

55. *An*, i. e. an non.

58. *Mala re mactari*. Cf. Casin. II, 3, 12; Aulul. III, 5, 6.

60. *Si non estis*. Scil. ervum daturi. Date igitur pecuniam, unde alibi emam pabulum, si dare ipsi recusatis. CAMER.

62. *Este* i. q. edite, ut *es* p. ede. — *Saginam cædite*. Alii aliter interpretantur, vel « manducate, nam qui manducat, dentibus frangit, cædit escam », vel « cibos parate; translatum a bobus et pecudibus aliis qui cæsis frondibus vescuntur », vel « saginam tendite pinguedine turgentes », vel denique (hæc nobis videtur potissima explanatio), « saginam, per metonymiam pro animalibus saginatis, conficite »: nam *cædere* verbum lanienæ proprium est, ut videre est Aulul. III, 6, 31; Captiv. IV, 2, 39. N.

63. *In Piræum*. Nam rerum venalium ibi magnus proventus, ac velut δεῖγμα. Scholiastes Aristoph. in Equit. ERN.

64. *In vesperum*, in cœnam.

Quid est? quid tu me nunc obtuere, furcifer?
GRUM. Pol, tibi istuc credo nomen actutum fore.
TRAN. Dum interea sic sit, istuc actutum sino.
GRUM. Ita est : sed unum hoc scito, nimio celerius
Venire quod molestum 'st, quam id quod cupide petas.
TRAN. Molestus ne sis : nunc jam i rus, teque amove.
Ne tu erres, hercle, præterhac mihi non facies moram.
(abiit.)
GRUM. Satin' abiit, neque quod dixi flocci existumat!
Pro Di inmortaleis, obsecro vostram fidem;
Facite huc ut redeat noster quam primum senex,
Triennium qui jam hinc abest, priusquam omnia
Periere, et ædeis, et ager : qui nisi huc redit,
Paucorum mensium sunt relictæ reliquiæ.
Nunc rus abibo : nam eccum herilem filium
Video conruptum heic ex adulescente optumo.

SCENA SECUNDA.

PHILOLACHES.

Recordatus multum et diu cogitavi,

68. *Dum interea sic sit.* Oratio est hominis præsentia tantum spectantis, futura negligentis. Dum, inquit, interea sic sit, ut nunc est : hoc est, laute opipareque vivatur, quid actutum futurum sit, non admodum laboro. MUR. — *Istuc actutum*, illud quod tu mihi imminere actutum prædicas, sino, facile patior. N.

70. *Petas.* Sententia generalis sub figura secundæ personæ. N.

73. *Satin' abiit.* Qui corrigit *Satin' sapit*, ignorat et corrumpit genus loquendi frequentissimum Plauto. Sic Amph. II, 2 : « Satin' parva res est voluptatum in vita ». Adeone parum est voluptatis præ dolorum numero in vita. Trin. IV, 3 : « Satin' in Thermopolio condalium es oblitus? » Itane es oblitus. Mil. II, 6 : « Satin' abiit ille, neque herile negotium plus curat ». Et sic innumeris locis. GRON.

1. *Recordatus* sum, in mente versavi. Notandum hoc canticum, quod, priusquam voluptates illecebrosæ exponantur, pudorem commendare occupat, et sententiis loquendique genere magis ad probitatem edocendam quam ad actum comicum accommodatis, spectatores monet ne vitiorum lenociniis decipiantur, aut eos offendat hi-

Argumentaque in pectus multa institui
Ego, atque in meo corde, si est quod mihi cor,
Eam rem volutavi et diu disputavi,
Hominem quojus rei, quando gnatus est,
Similem esse arbitrarer simulacrumque habere.
Id reperi jam exemplum.
Novarum ædium esse arbitror similem ego hominem,
Quando hic gnatus est : ei rei argumenta dicam,
Atque hoc haud videtur verisimile vobis :
At ego id faciam esse ita ut credatis.
Profecto ita esse, ut prædico, vero vincam.
Atque hoc vosmetipsi, scio,
Proinde uti nunc ego esse autumo, quando
Dicta audietis mea, haud aliter id dicetis.
Auscultate argumenta dum dico ad hanc rem :
Simul gnarureis vos volo esse hanc rem mecum.
Ædeis quom extemplo sunt paratæ, expolitæ,
Factæ probe, examussim,
Laudant fabrum, atque ædeis probant.
Inde exemplum expetunt sibi quisque simile,
Suo usque sumtu : operæ ne parcunt suæ.
Atque ubi illo inmigrat nequam homo indiligensque,

strionici lusus licentia. Haud semel in scenam Plautinam personæ inducuntur, quæ non pro more et consilio suo videantur loqui, sed partes censoris ad tempus tueantur, et professoria lingua edisserant. Conf. Trin. II, 1, et Amph. II, 1. N.

2. *Argumenta,* capita ratiocinandi.—*In pectus.* Aulul. IV, 3, 4.

3. *Si est quod cor mihi.* Cf. Cist. I, 1, 68. N.

10. *Atque* pro *atqui* LAMB. — *Atque* i. q. autem.

12. *Vero vincam.* Mil. II, 2, 32.

17. *Gnarureis*, i. e. gnaros. *Gnarures* autem *hanc rem*, pro hujus rei dicit, ut, « doctus hanc rem ».

18. *Quom extemplo.* Cf. Amph. III, 1, 5. N.

20. *Laudant* vulgo homines.

22. *Ne parcunt. Ne* antique pro *non :* ut Trin. V, 2 : « Nisi tu ne vis ». Terent. Eun. II, 3 : « Quid ne es alacris? » pro, cur non es alacris? Turneb. lib. V, 5, et lib. XIX, cap. 13, ad III de Legg. Cic. ERN.

Cum pigra familia, immundus, instrenuus,
Heic jam ædibus vitium additur,
Bonæ quom curantur male.
Atque illud sæpe fit, tempestas venit,
Confringit tegulas imbricesque : ibi
Dominus indiligens reddere alias nevolt.
Venit imber, lavit parietes, perpluunt
Tigna, putrefacit aer operam fabri.
Nequior factus jam est usus ædium;
Atque haud est fabri culpa : sed magna pars
Moram hanc induxerunt, si quid numo sarciri potest,
Usque mantant, neque id faciunt, donicum
Parietes ruunt : ædificantur ædeis totæ denuo.
Hæc argumenta ego ædificiis dixi : nunc etiam volo
Dicere, ut homines ædium esse simileis arbitremini.
Primumdum, parenteis fabri liberum sunt,
Et fundamentum substruunt liberorum,
Extollunt, parant sedulo in firmitatem,
Ut et in usum boni, et in speciem populo

25. *Heic*, tum. — *Additur*, affertur, in iis gignitur. N.

28. *Tegulas imbricesque*. Conf. Mil. II, 6, 24.

29. *Reddere*, reficere, supplere.

30. *P. tigna*. Perpluere dicuntur quæ pluviam non arceut, sed transmittunt. Quint. lib. VI, 3, 64 : « Galba penulam rogaoti, non possum, inqoit, commodare, domi maneo; quum cœnaculum ejus perplueret ». Gron.*

35. *Mantant*, desidiosi exspectsnt. — *Donicum*, donec.

36. *Ædificantur ædeis*. Non utique semper ædificantur, sed reædificari oportet, si quis uti velit. Puto scribendum esse : « ædificandum 'st ædes totas denoo ». Syntaxis antiqua : ædificandum est ædes, pro, ædificandæ suut ædes. Gron.

42. *Et in usum boni, et in speciem*. Malle se cum Acidalio *specimen* aonotaot, nisi Nonius *speciem* pro *specimen* subinde Veteres dixisse observaret. At si MSS haberent *specimen*, ego corrigerem *speciem*. Vult enim Plautus, ut et siot et appareaut boni. Sed loquitur de illis, ut de ædibus. Cic. de Offic. lib. I : « dicendnm est etiam qualem hominis honorati et principis domum placeat esse : cujos finis est usus, ad quem sccommodaoda est ædificandi disciplina : et tamen adhibenda commoditatis dignitatisqne diligentia ». Hanc *dignitatem*

Sint; sibique aut materiæ ne parcunt,
Nec sumtus sibi sumtui esse ducunt;
Expoliunt, docent literas, jura, leges,
Sumtu suo et labore nituntur, ut
Alii sibi esse illorum simileis expetant.
Ad legionem quom itant, adminiculum eis danunt
Tum jam aliquem congnatum suum.
Eatenus abeunt a fabris.
Unum ubi emeritum 'st stipendium, igitur tum
Specimen cernitur, quo eveniat ædificatio.
Nam ego ad illud frugi usque et probus fui,
In fabrorum potestate dum fui.
Posteaquam iumigravi in ingenium meum,

ipse paullo post *speciem* appellat: « tertium est ut caveamus, ut ea quæ pertinent ad liberalem speciem et dignitatem, moderata sint ». Tacit. Annal. II: « augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem ». In vita Agricolæ: « Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat ». Gr.

43. *Sibique aut materiæ ne parcunt.* Parentes neque labori, neque pecuniæ parcunt: nec putant sumptus esse, qui impenduntur institutioni liberorum. Taubm.

45. *Literas, jura, leges.* Hæc est romana institutio. Primo in ludum literarium itabant pueri (cf. Merc. II, 2, 32; Bacch. l. c.); postea *jus* civile rei suæ aut clientium ad prætorem tuendæ causa, tum *leges* reipublicæ, ob petendos gerendosque magistratus a parente vel propinquo edocebantur. Alia Græcorum disciplina fuit. Vid. Aristoph. Nub. vv. 950 seq. N.

48. *Ad legionem*, etc. Referenda sunt hæc ad morem Romanorum, quo adolescentibus militaturis primo stipendii anno custodes dari soliti. Turn. lib. VII, cap. 3, et lib. XXVI, cap. 22. — *Legionem* i. q. exercitum. Conf. Captiv. II, 3, 91. N.

50. *Abeunt a fabris*, e tutela parentum, continuata allegoria v. 39.

51. *Unum ubi emeritum 'st stipendium.* Ubi tempus militiæ primæ finitum est, tunc specimen apparet, quo evadat ædificatio. *Stipendiorum* vox etiam annos significat, quibus milites merent: quomodo et Servius interpretatur, Æn. VIII. Gron. — *Igitur.* Conf. Bacch. III, 4, 19.

52. *Specimen cernitur.* Cf. Casin. III, 1, 2.

53. *Ad illud*, i. e. per illud tempus, quod attinet ad illud vitæ spatium, dum, etc. N.

55. *Posteaquam inmigravi in ingenium meum.* Posteaquam ex magisterio pædagogi excessi, et meo arbitratu cœpi vivere. Postquam mihi relictus sum. Lamb.

Perdidi operam fabrorum illico oppido.
Venit ignavia, ea mihi tempestas fuit,
Ea mihi adventu suo grandinem imbremque adtulit;
Hæc verecundiam mihi et virtutis modum
Deturbavit, texit detexitque a me illico.
Postilla obtegere eam neglegens fui:
Continuo pro imbre amor adveuit in cor meum.
Is usque in pectus permanavit, permadefecit
Cor meum : nunc simul res, fides, virtus,
Decusque deseruerunt : ego sum in usu
Factus nimio nequior : atque, edepol, ita
Hæc tigna humide putent : non videor mihi
Sarcire posse ædeis meas, quin totæ
Perpetuæ ruant, quin cum fundamento
Perierint, nec quisquam esse auxilio queat.
Cor dolet, quom scio ut nunc sum, atque ut fui:
Quo neque industrior de juventute erat

59. *Virtutis modum deturbavit.* Virtutem, quæ instar modi et mensuræ est, quæque ipsa modus et mediocritas est : vel modestiam, quam κοσμιότητα vocant, et σωφροσύνην. LAMB.

60. *Texit detexitque.* Sic MSS. Lege: « dejecit detexitque ». GRON. — At explicant *texit* grandine, imbre, i. e. illuvie vitiorum, postea eripuit quasi procellæ impetu tectum virtutis. Cf. sc. 3, vs. 7. N.

61. *Postilla* i. q. postea.

63. *Usque in pectus.* Primo cor, sapientiam, consilium impulit, dein pectus, intimam affectuum sedem, invasit. N. — *Pro imbre*, id est, tanquam imber : ut Men. « pro sano loqueris ». GRON. — *Permadefecit Cor meum.* Itaque corrupit, demolita est cor meum, ut imber ædes. N.

64. *Fides*, qua quis aliis fidentibus utitur.

65. *Decusque*, i. e. cura decoris. — *Ego sum in usu.* Douza legit uno verbo *inusu*, pro ignavia, incultu. Ego nihil mutandum puto. Respondet ei quod dixerat vs. 42 : « Ut et in usu boni, et in speciem populo sint ». Sic Bacch. I, 1, 29 : « Eadem in usu, atque ubi periculum facias, aculeata sunt ». DISS.

67. *Hæc*, mea. Cf. Cistell. I, 2, 2. Scilicet contignatio et machina animi. N.

69. *Perpetuæ*, nulla servata parte. Sic Virg. Æn. VIII, 183, « perpetui tergo bovis ». LAMB.

71. *Scio*, reputo. Cf. Capt. III, 4, 55. *Quel il m'a vu jadis, et quel il me retrouve!* N.

72. *De juventute*, nemo inter adolescentes. N.

Arte gymnastica, disco, hastis, pila,
Cursu, armis, equo : victitabam volupe :
Parsimonia et duritia disciplinæ aliis eram :
Optumi quique expetebant a me doctrinam sibi.
Nunc postquam nihili sum, id vero meopte ingenio reperi.

SCENA TERTIA.

PHILEMATIUM, SCAPHA, PHILOLACHES.

PHILEM. Jampridem, ecastor, frigida non lavi magis lubenter,
Nec quom me melius, mea Scapha, rear esse defœcatam.

73. *Arte gymnastica.* Cur ars gymnastica pueris sit addiscenda, Plato docet in Protag. Mil. p. 199, et de Philosophia, pag. 5, et vide Fabrum Agonist. et Mercurial. Scaliger. Poet. lib. I, cap. 12. ERN.— *Arte gymnastica*, etc. Cf. Bacchid. III, 3, 20-25. Hujus pœnitentiæ similis effigies apud Lucret. IV, 1119, « medio de fonte leporum Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat, Aut quom conscius ipse animus se forte remordet, Desidiose agere ætatem, lustrisque perire ». N.

74. *Vict. vol.* beatus eram.

75. *Duritia disciplinæ*, etc. Duri homines sunt ex h. l. καρτερόθυμοι, tolerantes, patientes : quales memorantur prisci Lacedæmones, quorum institutio omnis erat in patientiæ disciplina, inque victus atque cultus parsimonia. — *Disciplinæ*, documento atque exemplo. TAUBM. — Scilic. ea Romanorum indoles, ea disciplina, parce, laboriose vivere. Sic Virg. Æn. III, 94, IX, 468, duros laudat Æneadas, unde gens romana. Sic Horat. Od. III, 3, « Angustam amice pauperiem pati, etc. » N.

76. *Nihili.* Cf. Bacch. IV, 8, 63. — *Id vero meopte ingenio.* Non sum vero talis factus, alicujus culpa, non indulgentia patris, aut magistri negligentia, sed meo ingenio, mea voluntate. Sic Tullius ad Atticum de Quinti filio, X, ep. 4. LAMB.

1. *Frigida non lavi.* Tres ædes seu cellæ in balneis. Prima est *caldaria*, τὸ Λακωνικόν· Dioni πυριατήριον· Senecæ *sudatorium* : nam sicco calore sudorem in eo eliciebant. Secunda est *media*, quæ et *tepidaria*. Tertia est *frigidaria*. Plin. Epist. : « Post solem frigida lavabatur ». Senec. Epist. 84 : « Ab hac fatigatione in frigidam descendi ». WOUWER.

2. *Nec quom me melius.* Quid opus præter illud, quod editum est, facere, *qua*, *quam*, *quumde*? « Nec lavi, inquit, jam pridem, quum, quo tempore, quaque lavatione me rear sic esse purgatam ». GA.

SCAPH. Eventus rebus omnibus, velut horno messis magna
Fuit. PHILEM. Quid ea messis adtinet ad meam lavationem?
SCAPH. Nihilo plus, quam lavatio tua ad messim? PHILOL.
Oh, Venus venusta!
Hæc illa est tempestas mea, mihi quæ modestiam omnem
Detexit, tectus qua fui, quam mihi amor et Cupido
In pectus perpluit meum, neque jam unquam obtegere
possum.
Madent jam in corde parietes: periere hæ oppido ædeis.
PHILEM. Contempla, amabo, mea Scapha, satin' hæc me
vestis deceat?
Volo meo placere Philolachi, meo ocello, meo patrono.
SCAPH. Quin tu te exornas moribus lepidis, quom lepida
tota es?
Non vestem amatores mulieris amant, sed vestis fartum.

4. *Velut horno messis.* Camerarius *horno* adverbialiter accipit, ut sit hoc anno. Lambinus ut sit dandi casus, hac sententia: Quemadmodum messis magna frugibus vel annonæ hujus anni respondit: ita eventus rebus nostris omnibus fuit secundus. TAUBM. — Ecce tibi, qui et *horna* facit: et laborat, ut *hornus* epitheton mobile esse demonstret, quasi quis de eo dubitaret. Sed mutandum nihil est. *Hornum* dicitur simpliciter, ut « vernum, æstivum, autumnum, hibernum », de quibus Observ. III, 24: in quibus omnibus intelligitur *tempus*: et ut illa ver, æstatem, autumnum, hiemem significant, ita istud hunc annum. Quumque *annus* Veteribus sæpe pro annona vel proventu annuo ponatur, eodem modo et *hornum* pro hujus anni proventu. Nescio quomodo nunc omnia bene eveniunt, ut lætæ provenere fruges. Et videtur proverbium fuisse. GRON. — Edit. Aldina *horreo* dativo casu, i. e. ut messis major quam caperet horreum. Virgiliana sententia: « Ruperunt horrea messes ». N.

5. *Ad messim.* Forte alludit ad messem quam puella in fundo Philolachis metet. N.

6. *Hæc illa est*, etc. Terent. Eun. I, 1, 34, « ecca ipsa egreditur nostri fundi calamitas ». N.

8. *Perpluit.* Nota verbo esse vim agendi hoc loco, i. e. insinuat quasi pluviam. — *Neque jam*, anacoluthum. Explanandum « ita ut non possim me tueri ». Cf. Amph. I, 1, 269; Captiv. I, 1, 21. N.

11. *Ocello.* Curcul. I, 3, 47; Asin. III, 3, 74. N.

13. *Vestis fartum.* Fartum vestis est corpus, id est, ipsa mulier quæ vestem farcit impletque. Ita Columella, V, 10: « Ea res efficit uberiorem fructum, et fartum fici pleniorem et meliorem ». TURN.

PHILOL. Ita me di ament, lepida est Scapha! sapit scelesta multum!
Ut lepide res omneis tenet, sententiasque amantum!
PHILEM. Quid nunc? SCAPH. Quid est? PHILEM. Quin me adspice et contempla, ut hæc me decet.
SCAPH. Virtute formæ id evenit, te ut deceat, quidquid habeas.
PHILOL. Ergo hoc ob verbum te, Scapha, donabo ego profecto hodie aliquî:
Neque patiar te istanc gratiis laudasse, quæ placet mihi.
PHILEM. Nolo ego te adsentari mihi. SCAPH. Nimis tu quidem stulta es mulier.
Eho mavis vituperari falso, quam vero extolli?
Equidem, pol, vel falso tamen laudari multo malo,
Quam vero culpari, aut alios meam speciem inridere.
PHILEM. Ego verum amo, verum volo dici mihi, mendacem odi.
SCAPH. Ita tu me ames, ita Philolaches tuus te amet, ut venusta es!
PHILOL. (seorsum.) Quid ais, scelesta? quomodo adjurasti? ita ego istam amarem!
Quid istæc me? Id cur non additum 'st? infecta dona facio.
Periisti! quod promiseram tibi donum, perdidisti.
SCAPH. Equidem, pol, miror tam catam, tam doctam te, et bene eductam,

17. *Virtute formæ.* Est per formam, formæ gratia. Sic *virtute deum*, est quod vulgo deum gratia. Sic et *virtute tua*, aut illius, significat, tua opera in utramque partem. GRON.*

18. *Aliquî.* Cf. Aulul. prol. 24.

25. *Ita tu*, etc. Formula jurandi. Conf. Bacch. I, 2, 3, et Curc. II, 3, 47. N.

26. *Quid ais?* Cf. Aul. IV, 9, 7.

27. *Quid istæc me?* Indignatur juvenis, quod adjuraret Scapha dominam his verbis: « Ita te Philolaches amet »: nec adderet: « Ita tu Philolachem ames »: hoc additum cupiebat. GRUT.

28. *Periisti!* quoad pertinet ad dona. Vide seq. orationem.

29. *Catam.* Cf. Epid. II, 2, 73. — *Bene eductam.* Scilicet artibus meretriciis. N.

Non stultam stulte facere. PHILEM. Quin mone, quæso, si quid erro.
SCAPH. Tu, ecastor, erras, quæ quidem illum exspectes unum, atque illi
Morem præcipue sic geras, atque alios asperneris.
Matronæ, non meretricium 'st, unum inservire amantem.
PHILOL. Pro Jupiter! nam quod malum vorsatur meæ domi illud?
Di deæque omneis me pessumis exemplis interficiant,
Nisi ego illam anum interfecero siti, fameque, atque algu.
PHILEM. Nolo ego mihi male te, Scapha, præcipere. SCAPH. Stulta es plane, quæ
Illum tibi æternum putes fore amicum et benevolentem.
Moneo ego te: te deseret ille ætate et satietate.
PHILEM. Non spero. SCAPH. Insperata adcidunt magis sæpe quam quæ speres.
Postremo, si dictis nequis perduci, ut vera hæc credas,
Mea dicta ex factis gnosce: rem vides, quæ sim, et quæ fui ante.

31. *Tu, ecastar, erras*, etc. Audi ejusdem ordinis annm talia præcipientem, Hecyr. I, 1. N. — *Illum exspectes unum.* Nec nnptum verbum et prætextatum est *exspectare*, et tamen significationem habet huic rei dicatam et propriam. Terent. Eun. I, 2: « Me desideres, me somnies, me exspectes ». Milite noster, IV, 6: « Sine ultro venial, quæritet, desideret, te exspectet ». Et in castioribus Amph. II, 2: « Certe euim me illi exspectatum optato ventnrum scio ». Rutilius Lupus ex Lysia: « fer fortiter demum laborem: jam brevi domnm venies exspectatus: excipiet te defatigatum diligens atque amans uxor ». Frustra igitur alii *exspectare* volunt esse positum pro *spectare*: alii *expetas*, alii *exoptes*. GRON.

32. *Marem geras*, i. q. inf. vs. 47, « esse obsequentem ». N.

33. *Matronæ*, etc. Cf. Cistell. I, 1, 80. — *Inservire amantem.* Casum accusandi hic et infra vs. 59 verbum *inservire* regit. N.

35. *Exemplis.* Cf. Captiv. III, 5, 33. Similis sententia prolixius editnr Heaut. II, 3, 8-15. N.

39. *Ætate*, quaudo senectus veniet. Vid. vs. 44. N.

40. *Non spero.* Virgil. Æn. IV, 419, « tantum sperare dolorem ».

42. *Ex factis*, exemplo. — *Rem vides*, i. e. rem ipsam, non verba.

Nihilo ego, quam nunc tu, amata sum, atque uni modo gessi morem,
Qui, pol, me, ubi ætate hoc caput colorem conmutavit,
Reliquit, deseruitque me : tibi idem futurum crede.
PHILOL. Vix conprimor, quin involem illi in oculos stimulatrici.
PHILEM. Solam illi me soli censeo esse oportere obsequentem.
Solam ille me soli sibi suo liberavit.
PHILOL. Pro di inmortaleis, mulierem lepidam, et pudico ingenio!
Bene, hercle, factum, et gaudeo mihi nihil esse hujus causa.
SCAPH. Inscita, ecastor, tu quidem es. PHILEM. Quapropter? SCAPH. Quæ istuc cures,
Ut te ille amet. PHILEM. Cur, obsecro, non curem? SCAPH. Libera es jam.
Tu jam quod quærebas habes; ille, te nisi amabit ultro,
Id pro capite tuo quod dedit, perdiderit tantum argenti.
PHILOL. Perii, hercle, ni ego illam pessumis exemplis enicasso.
Illa hanc conrumpit mulierem malesuada vitilena.
PHILEM. Nunquam ego illi possum gratiam referre, ut meritu'st de me.
Scapha, id tu mihi ne suadeas, ut illum minoris pendam.

43. *Nihilo* minus.

46. *Stimulatrici.* Quæ Philematium stimulat et urget, ut se multis prostituat. Meurs. legit *simulatrici*, et *simulatrices* ait appellatas sagas et veneficas. TAUBM.

5n. *Mihi nihil esse.* Me ad egestatis terminos esse redactum : ut loquitur Asin. I, 2, 13. GRON.

53. *Ultro*, nbviam ibit tibi amando. N.

54. *Pro capite tuo*, scilicet ut liberali conditinne potita pars civitatis esses, capite censa; antea res tautum eras. Quod gallice dicitur *cent mille personnes*, *cent mille âmes*, latine fit « capita centum millia », Tit. Liv. III, 3. Cf. Pœn. prol. 24; Rud. IV, 2, 23. Senec. epist. 8, « peculium suum quod comparaverunt ventre fraudato, pro capite numerant ». N.

55. *Perii*, hoc locu nnu ejulantis vox, sed jurantis. I. e. periero, me perditum velim, nisi, etc. N.

56. *Vitilena*, quæ vitium suadet.

SCAPH. At hoc unum facito cogites, si illum inservibis solum,
Dum tibi nunc hæc ætatula 'st, in senecta male querere.
PHILOL. In anginam ego nunc velim vorti, ut veneficæ illi
Fauceis prehendam, atque enicem scelestam stimulatricem.
PHILEM. Eumdem animum oportet nunc mihi esse gratum, ut inpetravi,
Atque olim, priusquam id extudi, quom illi subblandiebar.
PHILOL. Di me faciant quod volunt, ni ob istam orationem
Te liberasso denuo, et nisi Scapham enicasso.
SCAPH. Si tibi sat adceptum 'st, fore victum tibi sempiternum,
Atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita,
Soli gerundum censeo morem, et capiundos crineis.
PHILEM. Ut fama est homini, exin solet pecuniam invenire.
Ego si bonam famam mihi servasso, sat ero dives.

59. *Si illum inservibis.* Supra vs. 33. N.

60. *Male*, misere.

61. *In anginam.* Angina, inflammatio faucium est : κυνάγχη et λυκάγχη Græcis, quod canes ac lupos frequenter afficiat : item συνάγχη, vel a suspendii similitudine, quod non secus quam laqueus, præfocans enicet : ἀγχόνη enim laqueus est : vel a συνέχειν, quod spiritum continendo respirationem inhibeat, ut inquit Aurelianus. SCALIG.

63. *Ut inpetravi.* Postquam impetravi. Cf. Curc. V, 2, 46.

65. *Me faciant.* Conf. Aulul. IV, 10, 46. N.

67. *Si tibi sat adcept.* etc. Satis acceptum, valet certum et compertum et firmum, veluti datis fidejussoribus et sponsoribus. *Satis enim accipit*, cui prædes et sponsores dantur : unde hæc venusta tralatio est profecta. LAMB.

68. *Proprium.* Cf. Merc. II, 3, 3.

69. *Capiundos crineis.* Ego *capere crines*, non aliud esse puto, quam *nubere* et *matronam fieri* : nam ornatus matronarum, ut alia quædam propria habuit, exempli causa, duplicem vittam, stolam, etc. sic etiam crines peculiari quadam ratione formatos : itaque Plaut. Mil. III, 1, 195, quum instrui ancillam ornatu matronarum vult, ait : « matronarum modo, capite compto, crines vittasque habeat ». LIPS. — At cruciat se Gruterus, quoniam, etsi ea esset affectione Philematium, ut uni morem gereret Philolachi, non ideo continuo sequitur eamdem quoque mentem fuisse Philolachi, ut ipsam vellet uxorem. Cæterum nulla est, cur se cruciet, causa. Scapha enim non tam disserit, quid facere velit Philolaches, quam quid debeat Philematium. Hortatur interim ut id

PHILOL. Siquidem, hercle, vendundum'st, pater vænibit multo potius,
Quam te, me vivo, unquam sinam egere, aut mendicare.
SCAPH. Quid illis futurum'st cæteris, qui te amant? PHILEM. Magis amabunt,
Quom videbunt gratiam referri.
PHILOL. Utinam meus nunc mortuus pater ad me nuncietur!
Ut ego exhæredem meis bonis me faciam, atque hæc sit hæres.
SCAPH. Jam ista quidem absumta res erit: diesque nocteisque estur,
Bibitur, neque quisquam parsimoniam adhibet: sagina plane'st.
PHILOL. (seorsum.) In te, hercle, certum'st principium, ut sim parcus, experiri.
Nam neque edes quidquam, neque bibes apud me hisce diebus.
PHILEM. Si quid tu in illum bene voles loqui, id loqui licebit:

ageret, quoad matronæ instar caperet crines, et legitima uxor a Philolache agnosceretur. BOXH.

72. *Siquidem, hercle*, etc. Forsan « Si quid mi », quod librarii mutaverint in *Siquidem*. Sin minus, *vendundum 'st* absolute ponitur, i. e. si venditio facienda. N.

73. *Me vivo*. Hæc cum *te mendicare* procedunt.

74. *Illis*. Ablativo casu. Ennius edit. Hessel. pag. 51: « si quid me fuerit humanitus ». Aul. IV, 10, 46.

76. *Utinam meus*, etc. Hæc atque ejusdem modi impia vota passim apud comicos ostendunt aut poetas decori modum vehementer excessisse, aut mores feros corruptosque uno tempore fuisse. Jam noster, Asin. III, 1, 25, aliquid simile protulerat. Sed pejus insanit adolescens Trucul. III, 1, 14: « eradicare est certum patrem, post id locorum matrem ». Donatus ad Terent. Adelph. IV, 1, 6, illud Nævii Trisabelo recitat: « Deos quæso ut adimant et patrem, et matrem meos ». Quanto verecundius nostratis scenæ ingenium, quæ filium furias paternas Harpagonis eludentem vixvix sustinuit! N.

77. *Ut ego exhæredem*. Cf. Bacch. IV, 8, 8.

78. *Jam ista quidem*. *Jam*, id est, jamjam, statim, mox, brevi. BOXH.

79. *Sagina*. Ædes istæ sunt quasi vivaria, in quibus aluntur et saginantur homines. PAREUS.

Nec recte si illi dixeris, jam, ecastor, vapulabis.
PHILOL. Edepol, si summo Jovi vivo argento sacruficassem,
Pro illius capite quod dedi, nunquam æque id bene conlocassem.
Ut videas eam medullitus me amare! oh! probus homo sum.
Quæ pro me causam diceret, patronum liberavi.
SCAPH. Video te nihili pendere præ Philolache omneis homines.
Nunc, ne ejus causa vapulem, tibi potius adsentabor,
Si adceptum sat habes, tibi fore illum amicum sempiternum.
PHILEM. Cedo mihi speculum, et cum ornamentis arculam actutum, Scapha:
Ornata ut sim, quom huc veniat Philolaches, voluptas mea.
SCAPH. Mulier quæ se suamque ætatem spernit, speculo ei usus est.

83. *Nec recte si illi dixeris.* Bacch. IV, 4. Pseud. IV, 6: « Nec recte loqui » et « dicere nec recte », est maledicere. TURN.—Cf. Asin. I, 3, 3.

84. *Vivo argento.* Camerar. vult « illoc argento ». At interpretor *vivo* eo sensu quo dicitur « vivum sulphur, vivum saxum, vivus color », i. e. cui nativa sit indoles, adeoque puritas. N.

86. *Ut videas.* Quam facile videre est, quam facile quis videre possit, me usque a medullis amari. LAMB. — *Oh.* Interjectio, lætitiæ index. ERNEST.

87. *Quæ.* Vulgo, *Qui.* Vix est ut non scripserit Plautus: « Quæ pro me causam diceret, patronum liberavi ». Neque aliter Ciceronem loquutum credo lib. I ad Atticum, epist. 16: « Narra, inquam, patrono tuo, quæ Arpinates aquas concupivit ». Clodiam enim intelligit. Sic enim Fam. lib. I, ep. 9: « Primum illa furia muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam deam, quam tres sorores, impunitatem est illorum sententiis assequutus ». Sic optime Victorius frustra repugnante Manutio. Idem, lib. X, ep. 28: « Quod vero a te viro optimo seductus est, tuoque beneficio adhuc vivit hæc pestis, interdum, quod vix mihi fas est, tibi subirascor ». Qualia Terentiana: « scelus qui me perdidit », et, « senium qui me remoratus est ». GRON.—Fortasse *patronam* Plautus scripsit, ut Asin. II, 2, 27. N.

91. *Cedo*, præbe. — *Arculam*, pyxidem in qua aurum (*les bijoux*) servabatur. N.

93. *Spernit.* Quæ ætati suæ diffidit senescenti, et scit se deformem esse. L. — Item « se contemnere »

Quid opu'st speculo tibi, quæ tute speculo speculum es maxumum?

PHILOL. Ob istuc verbum, ne nequidquam, Scapha, tam lepide dixeris,

Dabo aliquid hodie tibi peculi, Philematium mea.

PHILEM. Suo quique loco viden' capillus satis compositu'st conmode?

SCAPH. Ubi tu conmoda es, capillum conmodum esse credito.

dicebatur, qui modeste, verecunde de se sentiebat, ut « sibi placere », qui magnanime. Conf. Trinum. II, 2, 40, 42. — *Ei usus est.* Hæc est clausula orationis quæ incepit a nominativo *mulier.* Vid. Aulul. IV, 1, 9. N.

94. *Quæ tute*, etc. Cujus nitor et splendor usum speculi præbere et speculo speculi maximi instar esse potest. LAMB. — Opinor *speculo* auferendi casu in adverbium abiisse, ut significaret « clare, splendide », siquidem specula argento (vide inf. vs. 111), vel stanno, vel alio metallo lævigato fiebant, et maxime nitebant. Itaque aliam atque Lambinus sententiam rimatus intelligo « speciatim, clare speculum » per pleonasmum, ut alibi dixit « nitidis nitoribus, venus venusta, lutum lutulentum ». Inf. III, 1, 109 reperiemus « speculo claras ». N.

96. *Peculi, Philematium mea.* Jocus est merus παρὰ προσδοκίαν. Exspectabant enim auditores, ut diceret: Scapha, cui videbatur reconciliatus : at ille quasi eodem momento revocatus in memoriam injuriæ, Philematium appellat : spectatores rident se deceptos esse. Vide Observat. IV, 13. Tale est Bacchid. III, 4 : « Næ illa illud, hercle, cum malo fecit meo. Nam mihi divini nunquam quisquam creduat, Ni ego illam exemplis plurimis planeque amo ». Prorsus enim contrarium exspectabatur. GRONOV.

97. *Capillus satis compositu'st.* Puellas habuerunt in ministerio tum *ornatrices*, tum quæ velut a consiliis formæ : edoctæ autem certis magistris ad hoc ministerium, velut ad artificium. Dicebantur *ornatrices* ab officio, ut et Græcis κοσμώτριαι, quæ crines disponebant. Sueton. Claud. c. 40 : « Hæc matris meæ ornatrix fuit ». Juvenalis *ornatrici* nomen *psecas* ab arte imposuit : nam ψεκάζειν Græci dicunt, quando minutum sive rarum pluit. Ornatrices igitur crinem componentes, rarum ac parvum aquæ solent mittere, ac velut ψεκάζειν : *ciniflones et cinerarii* eadem significatione apud Veteres dicebantur, ab officio calamistrorum, qui acus et veruta flando calefaciebant, quibus matronæ capillos crispabant. Ergo *ornatrices*, quæ composuere capillum, *ciniflones* et *cinerarii*, qui acus calefactas subministrarunt ornatricibus : quamvis glossæ pæne confundant. WOUWERIUS.

98. *Conm.* facie conciona, lepida.

PHILOL. Vah, quid illa pote pejus quidquam muliere memorarier?
Nunc adsentatrix scelesta est, dudum advorsatrix erat.
PHILEM. Cedo cerussam. SCAPH. Quid cerussa opus nam? PHILEM. Quî malas oblinam.
SCAPH. Una opera ebur atramento candefacere postules.
PHILOL. Lepide dictum de atramento atque ebore : euge, plaudo Scaphæ.
PHILEM. Tum tu igitur cedo purpurissum. SCAPH. Non do; scita es tu quidem :
Nova pictura interpolare vis opus lepidissumum.
Non istanc ætatem oportet pigmentum ullum adtingere:
Neque cerussam, neque melinum, neque ullam aliam obfuciam.
Cape igitur speculum. PHILOL. Hei mihi misero, savium speculo dedit.
Nimis velim lapidem, quî ego illi speculo diminuam caput.
SCAPH. Linteum cape, atque exterge tibi manus. PHILEM. Quid ita, obsecro?
SCAPH. Ut speculum tenuisti, metuo ne oleant argentum manus :

101. *Cerussa.* Ad fucandam faciem utebantur cerussa, et aliis offuciis. TAUBM.

102. *Ebur atramento.* Si malas cerussa tibi pingere vis, una eademque opera debeas ebur atramento candefacere velle. Utrumque enim æque absurdum. Nam tuæ malæ cerussa candidiores. L.

104. *Tum igitur.* Vid. sc. præc. vs. 51. N. — *Purpurissum* spuma est collecta effervescente purpura, quum ex ea tinctura efficitur. Loco purpurissi utuntur hodie pictores lacca mixta cum cæruleo. Colores igitur hujus lenocinii sunt præcipui : albor, quem cerussa format; rubor, quem purpurissum; nigror, ad palpebras et supercilia utilis, stibium. DALECAMP. — Nævius Sannionibus apud Nonium, 166, « in licio, cretam, cerussam, purpurissum ». — *Scita*, lepida, pulchra. Malim *inscita*, insipiens. N.

105. *Interpolare.* Obsoleta quæ sunt, interpolari solent. Cur tu vero quod est pulcherrimum et integerrimum reconcinnabis? T.

107. *Melinum.* Pigmentum colore candido, a Melo insula.

108. *Dedit* Philematium, siquidem os admovit. N.

111. *Ut speculum tenuisti. Specula* ex argento facta scribit Plinius,

Ne usquam argentum te adcepisse suspicetur Philolaches.
PHILOL. Non videor vidisse lenam callidiorem ullam alteram.
Ut lepide atque astute in mentem venit de speculo malæ!
PHILEM. Etiamne unguentis unguendam censes? SCAPH. Minume feceris.
PHILEM. Quapropter? SCAPH. Quia, ecastor, mulier recte olet, ubi nihil olet.
Nam istæc veteres, quæ se unguentis unctitant, interpoles,
Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco obculunt,
Ubi sese sudor cum unguentis consociavit, inlico
Itidem olent, quasi quom una multa jura confudit cocus.
Quid oleant nescias, nisi id unum, ut male olere intellegas.
PHILOL. Ut perdocte cuncta callet! nihil hac docta doctius.
Verum illud est, maxumaque adeo pars vostrorum intellegit,

XXXIII, 9. Monet ergo Scapha Philematium, ne contactu argentei speculi suspectam se reddat Philolachi, tanquam argentum ab alio amatore acceperit. BOXH.

115. *Etiamne*, etc. i. q. nonne etiam. Id postulantis est, non se nolle significantis.

116. *Ubi nihil olet.* Martial. II, epigr. 12: « Esse quid hoc dicam, qnod olent tua basia myrrham, Quodqne tibi est nunquam non alienus odor? Hoc mihi suspectnm est, quod oles bene, Posthume, semper; Posthnme, non bene olet, qui bene semper olet ». N.

117. *Veteres*, pro, vetulæ. — *Interpoles.* Quæ se pigmentis interpolant, ut ex vetulis novæ quasi puellæ fiant. TAUBM. — *Interpolus* et *interpolis* proprie dicitur de vestimento, quod vetus atque aliquibus locis detritum, arte polituræ suturæve faciem novam accipit. Martian. JC. l. 45, de Contr. Empt. « Si vestimenta interpola quis pro novis emerit ». Glossæ Isidori: « Interpolis vestis, quæ ex vetusta fit nova ». Sic *interpolari* proprie dicitur vestimentum, Cic. ad Q. Fratr. II, epist. 11: « Quod quum vult renovare honores eosdem, quo minus togam prætextam interpolet quotannis ». GRON.*

122. *Nihil hac docta doctius.* Vid. Epid. III, 2.

123. *Pars vostrorum. Vostrorum* pro *vestrum* positum esse hoc loco, recte censuit Apollinaris apud Gellium, XX, 6. *Vestrum* autem, pro *vestrorum* dixere, uti « meum, tuum, nostrum », pro « meorum, tuorum, nostrorum ». Ex *nostrum* et *vestrum* facta sunt *nostri* et *vestri*, quæ usurpata Graccho Sempronio, aliisque antiquis: indeque factum est, ut illa (quibus tamen et Cicero usus) Apollinaris damnarit

Quibus anus domi sunt uxores, quæ vos dote meruerunt.
PHILEM. Agedum, contempla aurum et pallam, satin' hæc me deceat, Scapha?
SCAPH. Non me curare istuc oportet. PHILEM. Quem, obsecro, igitur? SCAPH. Eloquar:
Philolachem; is ne quid emat, nisi quod tibi placere censeat.
Nam amator meretricis mores sibi emit auro et purpura.
Quid opu'st, quod suum esse nolit, ei ultro ostentarier?
Purpura ætas obcultanda est; aurum turpe mulieri.
Polchra mulier nuda erit, quam purpurata polchrior:
Postea nequidquam exornata'st bene, si morata'st male:
Polchrum ornatum turpeis mores pejus cœno conlinunt.
Nam si polchra'st, nimis ornata'st. PHILOL. Nimis diu abstineo manum.
Quid heic vos duæ agitis? PHILEM. Tibi me exorno ut placeam. PHILOL. Ornata es satis.

tanquam nova, minusque proba. Vossius.

124. *Quæ vos dote meruerunt.* Quæ vos dote emerunt, quarumque proprii estis dotis causa. CAM. — Maxima vis in voce *merent*, quæ est exercendi commercii. Cf. Asin. I, 1, 74.

128. *Nam amator meretricis mores*, etc. *Mores* pro morigeratione seu *morigeris modis*, ut apud Lucretium est, accipit Douza. ERN. — Morem gerere est vulgari sermone esse obsequentem, bonam. Vide supra ad vers. 32. Nævius Tarentilla: « Nunquam quisquam amico amanti amica Nimis siet fidelis, nec nimis erit Morigera nota quisque ».

129. *Quod s. esse nolit*, scil. aurum, purpuram, cæteraque ornamenta tua, quæ sua esse non vult, quum te tantum suam esse velit. N.

130. *Purpura ætas.* MSS Camerarii habent, « Purpura ætate occultanda ». Legendum puto: « Purpura ætas est occultanda, et auro turpe mulieri ». Falsum est, quod vulgo legitur, « aurum turpe mulieri ». At verum est *turpe*, id est, turpitudinem et deformitatem auro, ac ejusmodi aliis ornamentis, esse occultandam mulieri deformi. BOXHORN.

134. *Nimis diu abstineo manum.* Simpliciter hæc explicanda. « Abstineo manum », scilicet, gestientem amplecti amatam. Si cum Camerarii MSS legas *abstineo manu*, intellige manum amatæ, gestientem amplecti adolescentem amantem. BOXHORN.

135. *Quid agitis?* Conf. Aulul. I, 2, 39. N.

(ad Scapham.) Abi hinc tu intro, atque ornamenta hæc aufer : sed, voluptas mea,

Mea Philematium, potare tecum conlubitum 'st mihi.

PHILEM. Lubet et, edepol, mihi tecum, nam quod tibi lubet, idem mihi lubet,

Mea voluptas. PHILOL. Hem, istuc verbum vile est viginti minis.

PHILEM. Cedo, amabo, decem : bene emtum tibi dare hoc verbum volo.

PHILOL. Etiam nunc decem minæ apud te sunt : vel rationem puta.

Triginta minas pro capite tuo dedi. PHILEM. Cur exprobras?

PHILOL. Egone id exprobrem ? quin mihimet cupio id obprobrarier?

Nec quidquam argenti locavi jam diu usquam æque bene.

PHILEM. Certe ego, quod te amo, operam nusquam melius potui ponere.

PHILOL. Bene igitur ratio adcepti atque expensi inter nos convenit.

137. *Potare.* Nos dicamus *diner*, Veteres potare : quippe qui mero incalescerent. Frigebat Venus antiqua sine Baccho et quidem temulento. N.

139. *Vile est viginti minis*, non carius emi credam, si viginti minis. N.

140. *Bene emtum*, modico pretio, ut *male* est nimio. Cf. Amph. I, 1, 132. N.

141. *Etiam nunc decem*, etc. Hic callidus æque adversus meretriculam, emptum sibi jam tum id verbum respondet : ac si ratio ineatur, etiam ultro residuas sibi apud ipsam decem minas, præter illas xx, quibus nunc verbum æstimarit. Nam dedisse pro ejus capite xxx minas, quibus si xx istas demat, superesse scilicet etiam decem, quas poscat. Atque hæc verissima loci hujus sententia est. Neque quidquam mutatum : nisi quod ex vulgato *decumbe : næ*, fecerim *decem ; bene :* in quibus cardo universæ rei versatur. ACIDAL.

143. *Egone id exprob.* adeo non tibi sumptum quem tui liberandæ gratia feci, exprobro, ut mihi gratuler atque objici ab aliis cupiam. Alicui exprobras, quod ei benefeceris, tibi opprobrant, quod damnant a te factum. Conf. Trinum. II, 2, 37, 80. N.

145. *Quod te amo*, etc. Nihil melius facere potui, quam quod te amarem. N.

146. *Bene igitur ratio adcepti*, etc. Uterque nostrum sese obno-

Tu me amas, ego te amo; merito id fieri uterque existumat.
Hæc qui gaudent, gaudeant perpetuo suo semper bono.
Qui invident, ne unquam eorum quisquam invideat prorsus commodis.

PHILEM. Age, adcumbe igitur: cedo aquam manibus, puer; adpone heic mensulam.
Vide, tali ubi sint: (ad Philolachem) vin' unguenta? PHILOL. Quid opus est? cum stacta adcubo.
Sed estne hic meus sodalis, qui huc incedit cum amica sua?
Is est. Callidamates cum amica eccum incedit: euge, oculus meus:
Conveniunt manuplareis. Eccos! prædam participeis petunt.

SCENA QUARTA.

CALLIDAMATES, DELPHIUM, PHILOLACHES, PHILEMATIUM.

CALLID. Advorsum venire mihi ad Philolachem
Volo tempori: audi; hem, tibi inperatum 'st.
Nam illeic ubi fui, inde ecfugi foras.
Ita me ibi male convivi sermonisque
Tæsum 'st: nunc comisatum ibo ad Philolachetem,

xium alteri putat mutuis beneficiis: quod non faciunt, qui beneficia invicem exprobrant: quod alter expendisse se contendit, alter se accepisse infitiatur. BUD.

148. *Hæc qui*, etc. qui nostra felicitate lætantur, lætentur et ipsi perpetuo gaudio. N.

150. *Cedo aquam manibus*. Vid. Pers. V, 1, 20.

151. *Tali*. Cf. Asin. V, 2, 54. —*Cum stacta*. *Stacte* latex oleumve e cinnamomo et myrrha incisa sudans, a στάζω, *stillo*. TAUBM.

1. *Advorsum venire mihi*, etc. Alloquitur servos, atque inter istos præcipue Phaniscum, quod patet ex IV, 1, ut tempestive sibi advorsum veniant apud domum Philolachis. Subintelligitur vero *te* aut *vos*. GRONOV. — Advorsum venit servus hero, quum herum foris divortentem it obviam, comes futurus redeundi domum. Gallice, *qu'on vienne me chercher*. N.

2. *Tibi*, Phanisco, præ cæteris.

5. *Comisatum ibo*. « Comisatum ire », est ire a cœna ad compota-

Ubi nos hilari ingenio et lepide adcipiet.
Ecquid tibi videor, mamma, madere? DELPH. Semper.
Istoc modo moratus vivere debebas.
CALLID. Visne ego te, ac tute me amplectare?
DELPH. Si tibi cordi'st facere, licet. CALLID. Lepida es.
Duce me amabo. DELPH. Cave ne cadas, adsta.
CALLID. Oh! ocellus es meus, tuus sum alumnus, mel meum.
DELPH. Cave modo, ne prius in via adcumbas,
Quam illeic, ubi lectus est stratus, coimus.

tionem, aut exercendam aliam juvenilium lasciviam plusculum appotornm, ut solent inclinati. Dictum a κῶμος, quod Græcis oihil aliud est, quam convivantium e triclinio foras prodeuntium lascivia. Hioc κωμάζειν saltare post compotatiooem. Male scribnot vulgo *comessari* : nam, si a comedo descenderet, prima foret brevis. GRONOV.*

7. *Mamma, madere?* Hæc scriptura Scaligeri est; verum ego cum vulgg. « mammam adire? » Quasi dicat: nonoe tibi videor, tanquam puer, adire matrem, mammæ sugendi et pappandi gratia? nam « fontem illum saoctissimnm corporis humani generis edncatorem » (ot Gell. XII, 1, vocat), id est, mammas, alumnas, nutrices et matres vocari, notum est. LAMB. — Vide infra vs. 18.

8. *Istoc modo moratus vivere debebas.* Ea est disciplina meretricia, pessum eunti assentandi. — *Istoc modo*, ut nuoc es. — *Debebas*, debes. Sic Virg. Ecl. I, 80, *poteras*, pro, potes. Propert. II, 22, edit. Brouck. *hic erat*, p. hic est. N.

11. *Amabo.* Cf. I, 1, 49.

14. *Ubi lectus est stratus, coimus.* In lecto discubitorio accumbimus, epulamur, et de symbolis edimus: ut Terent. Eunuch. III, 4. Neque enim verbum turpe hic est *coire*. TURN. — Sed Philolaches et Philematium jam coibaot, jam convenerant. Haud dubie ergo corruptum est illod *coimus*. Io MS quem vidi, disertim legitur *connives*. Unde haud mihi dubium est, quin repooi debeat *convivis*. Cave modo ne in via prius accumbas, quam illic, nbi lectus stratus est convivis. Nam de ejnsmodi lectis agi hic, nemo non videt. BOXH.—Hæc conjectura speciem habet: sed non est satis causæ cur ab optimis codd. desciscamus. Qnia Philolaches, inqnit, et Pbilematinm jam coibant, jam convenerant. Quid tum? Delphinm hic loquitur cum Callidamate, qui ad Philolacheo comissatum ibant, et hactenus media via utebantur. Cave igitur, inquit, ne prius jaceas, quam coimus et conjnngimur, ubi lectus est stratus, nempe cum illis, quibns est stratus, priusqnam ego tuque et cæteri ex constituto discumbimus. Tnetur etiam boc verbum, quod io fine est sceoæ præcedentis : « Conveniunt manuplares ». Pro qno « auxilia coire » dicit Justinus, IX, 16. Nam Terentii « coiimus in Piræeo »

CALLID. Sine, sine cadere me. DELPH. Sino; sed et hoc quod mihi in manu est,
Si cades, non cades quin cadam tecum.
Jacenteis tollet postea nos ambos aliquis.
(secum.) Madet homo. CALLID. Tun' me ais, mamma, madere?
DELPH. Cedo manum, nolo equidem te adfligi.
CALLID. Hem tene, age, i simul. Quo ego eam, an scis?
DELPH. Scio. CALLID. In mentem venit modo; nempe domum eo
Comisatum. DELPH. Imo. CALL. Istuc quidem jam memini.
PHILOL. Num non vis obviam me hisce ire, anime mi?
Illi ego ex omnibus optume volo: jam
Revortar. PHILEM. Diu'st jam id mihi. CALLID. Ecquis heic est?
PHILOL. Adest. CALLID. Eu, Philolaches, salve amicissume
Mihi hominum omnium. PHILOL. Di te ament: adcuba,
Callidamates: unde agis te? CALL. Unde homo ebrius.
PHILOL. Probe. Quin, amabo, adcubas, Delphium mea.
CALLID. Date illi quod bibat: dormiam ego jam.
PHILOL. Num mirum aut novom quidpiam facit? quid ego

paullo aliter dicitur. GRONOVIUS.

15. *Sed et hoc quod mihi in manu est.* Non mutanda vulgata distinctio videtur. Dixerat ebrius, sine cadere me. Respondet meretrix quæ eum ducebat; sino, sed et hoc quod mihi in manu est, si cades non cades quin cadam. Non prohibeo te cadere, sed illud etiam non potes prohibere, quod mihi proclive est, et quasi in manu, ne cadam simul, si cadas. SALM.

16. *Si cades*, etc. Sic se devinciam illi profitetur, neque vel cadentem deserit complexa. N.

21. *Domum eo.* Nempe jam quid modo dixerit vs. 1 non meminit. Ea est ebrii incogitantia. N.

22. *Imo.* Conf. Amph. I, 1, 233. Deliranti adversari non vult. N.

24. *Illi*, Callidamati.

25. *Diu 'st jam id mihi.* Mihi longum videtur, donec illud feceris. — *Ecquis.* Conf. Bacchid. II, 3, 1; Captiv. II, 3, 99. — *Adest.* Conf. Asin. II, 4, 27. Gallice, *y a-t-il quelqu'un?—On y est.* N.

28. *Unde agis te?* Conf. Bacch. V, 1, 20. N.

30. *Illi*, amicæ meæ.

31. *Num mirum.* Affirmantur cum lepore aliquo, quæ sic per interrogationem concipiuntur. An, inquit, mirum aut novum facit, quod crapulam edormiscit. Hoc spectantibus documentum. Haud

Hoc faciam postea, mea? DELPH. Sic sine eumpse. PHILOL.
Age tu,
Interim da ab Delphio cito cantharum circum.

raro fit apud Nostrum ut histrioniæ ridiculo populus graviter admoneatur. Conf. Curcul. IV, 1; Trucul. I, 1, 30-60, 2, 4-15, et hæc fabula, I, 3, 124. N.

32. *Hoc*, Callidamate. Cf. Aul. IV, 10, 46.

33. *Da*. Tu puer, aut tu Scapha. Dominus convivii sic sæpe jubebat ab uno conviva in orbem poculum per alios omnes convivas circumagi: quod περισοβεῖν Græci dicebant. TURNEB. — *Ab Delphio*. Cf. Asin. V, 2, 41. N.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

TRANIO, PHILOLACHES, CALLIDAMATES, DELPHIUM, PHILEMATIUM, PUER.

TRAN. Jupiter supremus summis opibus atque industriis
Me perisse, et Philolachetem cupit herilem filium.
Obcidit spes nostra, nusquam stabulum'st confidentiæ,
Nec salus nobis saluti jam esse, si cupiat, potest:
Ita mali mœroris montem maxumum ad portum modo
Conspicatus sum. Herus advenit peregre: periit Tranio.
Ecquis homo est, qui facere argenti cupiat aliquantum lucri,
Qui hodie sese excruciari meam vicem possit pati?
Ubi sunt isti plagipatidæ, ferritribaceis viri,
Vel isti qui hastis trium numorum causa subeunt sub falas,

1. *Opibus atque industriis*, valde atque magnopere. N.

3. *Stabulum confidentiæ*. Glossarium: *stabulum*, ἱπποστάσιον, ὀνοστάσιον, πανδοχεῖον. Onomasticum: ἐπαυλίς, σταθμός. Sed vox latius patet. Nam ut ab exoleto supino *latitum* fit *latibulum*: ita a *statum*, *stabulum*. Bechman.

4. *Nec salus*, etc. Conf. Captiv. III, 3, 1-3, 14. N.

5. *Montem*. Cf. Epid. I, 1, 78.

6. *Herus*, senior.

9. *Isti*. Cf. Epid. II, 2, 40. — *Plagipatidæ*. Conf. Captiv. III, 1, 11. — *Ferritribaceis*. Ejusdem loci atque ordinis, quos vidimus supra I, 1, 17. N.

10. *Qui hastis trium numorum causa subeunt*. Tres nummi hic tres asses: et ad stipendium militare (etsi ad Circum etiam referre possis) diserta allusio comici servi irridentis, quod tam exiguo pretio auctorati castella et turres ligneas hostium (id enim *falæ*), subirent, hastis aliquot configendi. Lips. — *Subire sub falas* dicuntur milites in oppugnationibus urbium et castellorum, quum in muros, et præci-

Ubi aliqui quindenis hastis corpus transfigi solent? 11
Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit.
Sed ea lege, ut adfigantur bis pedes, bis brachia.
Ubi id erit factum, a me argentum petito præsentarium.
Sed ego sumne ille infelix, qui non curro curriculo domum?
PHILOL. Adest opsonium: eccum Tranio a portu redit. 16
TRAN. Philolaches. PHILOL. Quid est? TRAN. Et ego et tu...
PHILOL. Quid et ego et tu? TRAN. Periimus.
PHILOL. Quid ita? TRAN. Pater adest. PHILOL. Quid ego
ex te audio? TRAN. Absumti sumus.
Pater, inquam, tuus venit. PHILOL. Ubi est is, obsecro
te? TRAN. Adest.
PHILOL. Quis id ait? quis vidit? TRAN. Egomet, inquam,
vidi. PHILOL. Væ mihi! 20
Quid ego ago? TRAN. Nam quid tu, malum, me rogitas,
quid agas? adcubas.
PHILOL. Tun' vidisti? TRAN. Egomet, inquam. PHILOL.
Certe? TRAN. Certe, inquam. PHILOL. Occidi,
Si tu vera memoras. TRAN. Quid mihi sit boni, si mentiar?
PHILOL. Quid ego nunc faciam? TRAN. Jube hæc hinc
omnia amolirier.

pue in murorum turres evadere nituntur. Falæ turres sunt rotundæ, quarum fastigium ovi refert imaginem. Græci, teste Vitruvio, βάρεις appellaverunt *falas*. Unde in Circo, quæ alii *ova* appellabant, Juvenalis appellat *Falas*: « Consulit ante falas Delphinorumque columnas ». GRON.*

11. *Ubi*, sub quibus falis. — *Aliqui quindenis*. Ed. Aldina, « qui Dindymeneis », i. e. ludicris: nam ludi fiebant Megalensibus, festo Magnæ Matris. N.

13. *Ut adf.* Sensus est: ut servulus ad majorem cautionem, et ne facile se vicarius refigeret, voluerit non semel manusque et pedes, sed bis singula figi: ita, ut bini in quoque membro essent clavi. LIPS. — *Brachia*. *Brachia* dicit, non *manus*. Nam etsi duræ et nervosæ illæ partes et lentæ frangi; quia tamen toti corporis moli, gravioris præsertim, non fuerint interdum ferendæ, non in media semper manus vola clavi fixi, sed superius paullo, qua cum brachio coit, id est, circa carpum. LIPS.

15. *Infelix*. Ita se vecordem dicit, ut ab iratis diis exterminatum.

21. *Quid ago?* Hoc, ut sæpe, pro « quid agam? » unde jocus Tranionis.

Quis istic dormit? PHILOL. Callidamates. TRAN. Suscita istum, Delphium.
DELPH. Callidamates, Callidamates, vigila. CALLID. Vigilo; cedo ut bibam.
DELPH. Vigila; pater advenit peregre Philolachæ. CALLID. Valeat pater.
PHILOL. Valet ille quidem, atque ego disperii. CALLID. Disperisti? quî pote 'st?
PHILOL. Quæso, edepol, exsurge: pater advenit. CALLID. Tuus venit pater?
Jube abire rursum: quid illi reditio etiam huc fuit?
PHILOL. Quid ego agam? pater jam heic me obfendet miserum adveniens ebrium,
Ædeis plenas convivarum, et mulierum. Miserum'st opus,
Igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauceis tenet.
Sicut ego adventu patris nunc quæro, quid faciam miser.
TRAN. Ecce autem hic deposivit caput, et dormit: suscita.
PHILOL. Etiam vigilas? pater, inquam, aderit jam heic meus. CALLID. Ain' tu? pater?
Cedo soleas mihi, ut arma capiam: jam pol ego obcidam patrem.
PHILOL. Perdis rem; tace, amabo. Abripite hunc intro actutum inter manus.

26. *Cedo*, da.

27. *Philolachæ*. Non sibi coustat Plautus iu nominibus propriis declinaudis: nam Philolaches, modo tertiæ, nuuc primæ. Ut Trinumo Charmides, fit Charmida.

32. *Miserum 'st*. Proverbium olet. Significat autem, miserum esse tum demum rem necessariam providere aut parare, quum necessitas urget, et tempus paraudi non datur. Tractum ab iis, qui tum demum, quum sitis urit et torret fauces, fodere puteum incipiunt. L.

33. *Igitur*, pro, *deinde*. Ita Cæs. « Mox magis quum otium erit, igitur tecum loquar ». GRON.

36. *Etiam vigilas?* Couf. Casin. III, 6, 8. N.

37. *Cedo soleas*. Qui accubituri erant, calceos aut soccos ponebant. CIACON. — Soleæ calceamentum compotantium. Cf. Trucul. II, 4, 12. N. — *Ut arma capiam*, etc. Oratio hominis ebrii, et qui sui non compos. ERN.

38. *Perdis rem*, negotium nostrum corrumpis. ERN.

CALLID. Jam, hercle, ego vos pro matula habebo, nisi mihi matulam datis.

PHILOL. Perii! TRAN. Habe bonum animum : ego istum lepide medicabor metum.

PHILOL. Nullus sum. TRAN. Taceas : ego, quî istæc sedem, meditabor tibi.

Satin' habes, si ego advenientem ita patrem faciam tuum,

Non modo ne introeat, verum etiam ut fugiat longe ab ædibus?

Vos modo hinc abite intro, atque hæc hinc propere amolimini.

PHILOL. Ubi ego ero? TRAN. Ubi maxume esse vis, cum hac, cum istac eris.

DELPH. Quid est igitur? abeamus hinc nos. TRAN. Non hoc longe, Delphium.

Namque intus potate haud tantillo hac quidem causa minus.

PHILOL. Hei mihi, quam, istæc blanda dicta quo eveniant, madeo metu!

TRAN. Potin' animo ut sies quieto, et facias quod jubeo? PHILOL. Pote 'st.

TRAN. Omnium primum, Philematium, intro abi, et tu, Delphium.

DELPH. Morigeræ tibi erimus ambæ. TRAN. Ita ille faxit Jupiter.

39. *Vos pro matula habebo, nisi.* Permeiam vos, sive etiam, immeiam vobis : molliore tamen sensu, quam volunt interpreles; nimirum eopse, quo a Catullo, Carm. 63, scriptum : « Qui ipse sui nati minxerit in gremium ». DOUZA. — Nihil sensu, opinor, attenuandum esse Martialis auctor erit, III, ep. 82.

41. *Istæc sedem.* Tuas malas res compescam. — *Meditabor tibi*, tibi sedulo faciam. N.

45. *Cum hac*, Delphio. — *Cum istac*, tua. N.

46. *Non hoc longe.* Cf. Cistell. II, 3, 38. N.

48. *Madeo metu.* I. e. perfusus sum. Lucret. IV, 794 : « scilicet arte madent simulacra, etc. » L.

51. *Ita ille faxit Jupiter. Ille*, δεικτικῶς· vel, qui illic est in cælo, vel præpotens deus : oculis scil. aut digito in cælum sublato. *Faxit* autem, ut ex usura corporum ve-

Animum advorte nunc tu jam, quæ volo adcurarier.
Omnium primum dum, ædeis jam fac obclusæ sient:
Intus cave mutire quemquam siveris. PHILOL. Curabitur.
TRAN. Tamquam si intus gnatus nemo in ædibus habitet.
PHILOL. Licet.
TRAN. Nen quisquam responset, quando hasce ædeis pultabit senex.
PHILOL. Numquid aliud? TRAN. Clavem mihi harunce ædium Laconicam
Jam jube ecferri intus : hasce ego ædeis obcludam hinc foris.
PHILOL. In tuam custodiam meque et meas spes trado, Tranio.
TRAN. Pluma haud interest, patronus, an cliens propior siet

strorum capiam voluptatem. Sic enim ambiguum illud, « morigeræ tibi erimus », pro se interpretatur servus nequam: quum aliovorsum ab istis sit dictum: pro, parebimus et introibimus. TURN.

55. *Gnatus* i. q. vivus. — *Licet.* Conf. Bacch. I, 1, 1. N.

57. *Clavem Laconicam.* Suidas Aristophauem citat, qui claves Laconicas definit « occultas, malitiosissimas, triplici dente instructas ». Dein ipse addit clavem Laconicam adhiberi, quum ostium foris claudatur, vecte circumposito aut re tali, ita ut non liceat iis qui intus sint, aperire. In quo verum videre plane non videtur, quum clavis Laconica fuerit recentius inventum; ideoque genus claudendi perfectius. Nam Aristophanes l. c. queritur quod antea occluderentur anulis januæ, nunc clavibus occultis, scilicet quæ in sera insinuarentur quibusque foris intus aperiri occludi januæ possent. N.

60. *Propior.* Lambinus conjecit *potius siet.* Scioppius, *probior*, quod sequutus Gruterus : quia in altero Camer. *probior* visum, quod manus secunda fecerit *propior.* Sed sine dubio legendum *propior*, ut alter codicum sine litura expresserat. GRON. — *Pluma*, ut *ramenta plumea* (Bacch. III, 4, 15) significat levissimum aliquid et nibili. Sic Pœnul. III, 6, 17, « pluma levior gratia ». Itaque haud pluma interest, i. e. minus quam pluma, nihil interest patronum habeas, an clientem, cui animus meticulosus est. Philolachem herum vituperat pavitantem, qui quum servulo opitulari deberet, illius ope indiget. Plerique interpretes eo falluntur, quod orationem « quoi nulla, etc. » jungunt cum verbo *homini*, dum referenda est ad nomina « patronus an cliens ». Ordo est: « nihil interest propior homini sit patronus an cliens (aliquis), cui nulla in p. a. » N.

Homini, quoi nulla in pectore est audacia.
Nam quoivis homini, vel optumo, vel pessumo,
Quamvis desubito facile 'st facere nequiter:
Verum id vidundum 'st, id viri docti 'st opus,
Quæ designata sint et facta nequiter,
Ne quid patiatur, quamobrem pigeat vivere;
Tranquille cuncta, et ut proveniant sine malo.
Sicut ego ecficiam, quæ facta heic turbavimus,
Profecto ut liqueant omnia et tranquilla siut,
Neque quidquam nobis pariant ex se inconmodi.
Sed quid tu egrederis? perii! o jamjam optume
Præceptis paruisti! PUER. Jussit maxumo
Opere orare, ut patrem aliquo absterreres modo,
Ne introiret: adest. TRAN. Quin etiam illi hoc dicito,
Facturum me, ut ne etiam adspicere ædeis audeat;

62. *Nam.* Disjunctivum h. l. non conjunctivum. I. q. autem. N. — *Quoivis homini.* Negant homini optimo facile esse *facere nequiter*; et optimum hic pessimumque volunt non virtute et vitio, sed fortunæ conditione distingui. Sed *optimi* hic et *pessimi* sane sunt qui vulgo sic appellantur, virtute et vitio distincti: sed ambiguitas in τῷ *facere nequiter*, quod ut refertur ad optimum, vitium rei indicat, non animi, et est male atque infeliciter rem gerere, peccare humanitus; ut ad pessimum, vitium significat etiam animi et est improbe agere. Tam bono, inquit, quam malo, proclive est facere, quod plus minusve factum sit melius: sed id, quod plus minusve factum sit melius, arte corrigere, ne noceat et βίον ἀβίωτον reddat, id viri docti est opus. GRON. — *Quamvis*, pro, quantumvis, i. q. valde. In re quantumvis subita. Men. II, 2, 43. N.

64, 65. *Verum id vidundum*, etc. Verum id providendum est: id solertis viri opus est, facere, quæ novo more et exemplo (id enim hic *designare*) malefacta sunt per nequitiam, ea cuncta ut tranquille et sine malo procedant; ne quid patiatur, propter quod vita ei sit acerba. LAMB. — Donatus ad Ter. Adelph. I, 2, « Illa quæ ante facta sunt omitto; modo quid designavit? » enarrat *designare*, rem novam facere in utramque partem, et bonam, et malam. N.

72. *Sed quid tu egrederis? perii!* Hæc exclamat quum egredientem puerum videt: nam metuit ne senex adveniat intercipiatque dolos. Sed ubi clavem adspicit, et quod imperavit, fieri, rursus lætatur: « o jamjam optume, etc. » N.

73. *Jussit* Philolaches.

75. *Adest* senex.

Capite obvoluto ut fugiat cum summo metu :
Clavim cedo, atque abi hinc intro, atque oblude ostium,
Et ego hinc obcludam : jube venire nunc jam.
Ludos ego hodie vivo præsenti heic seni
Faciam, quod credo mortuo nunquam fore.
Concedam a foribus huc, hinc speculabor procul,
Unde advenienti sarcinam inponam seni.

SCENA SECUNDA.

THEUROPIDES, TRANIO.

THEUR. Habeo, Neptune, gratiam magnam tibi,
Quom me amisisti a te vix vivom modo.
Verum si posthac me pedem latum modo
Scies inposuisse in undam, haud causa'st inlico,

77. *Capite obvoluto.* Caput operiebant in turpi re deprehensi : summo pudore affecti : in rebus desperatis : vitam projicere parantes. Horat. Sat. II, 3 : « Nam male re gesta, quum vellem mittere operto Me capite in flumen ». Liv. Annal. I : « I, lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito ». Et Socrat. apud Platon. in Phædro de amore verba facturus, caput operit. LAMB. — Pompeius obvolvit caput gladiis sicariorum imminentibus. N.

78. *Hinc obcludam.* Clavi enim Laconica ædes obserabant foris, ita ut nemo qui intus, eas aperire posset. ERN. — *Jube venire* senem, i. e. veniat per me licet, quem sum paratus excipere. N.

79. *Ludos* duplici sensu argutatur ludorum publice editorum et ludificationis. N.

80. *Quod credo nunquam*, etc. Hoc enim non nisi magnatibus fieri solitum. Aliquid simile luditur Amph. I, 1, 303. N.

81. *Procul.* Cf. Capt. IV, 2, 8.

82. *Sarcinam inponam seni.* Ejusdemmodi proverbialis locutio, cujus illa Milit. III, 3, 61, « probe oneratum adcibo ». Vide infra III, 2, 91. N.

1. *Habeo, Neptune*, etc. Trin. IV, 1, 1-5; Rud. IV, 2, 1-6. N.

2. *Amisisti.* Captiv. II, 2, 82. — *A te vix vivom.* Nam quid aliud est navigatio, quam mortis quædam professio? Vid. Rud. II, 6. TAUBM. — *A te*, a tuis regnis.

3. *Pedem latum*, i. e. pedem integrum, quam latus est. Sic fere noster Fontanius : *Je tondis de ce pré la longueur de ma langue.* N.

4. *Haud causa 'st... quin.* Locutio concedentis in aliquam legem. Quasi dicat « haud recuso ». Conf. Captiv. II, 2, 104. N.

Quod nunc voluisti facere, quin facias mihi.
Apage, apage te a me: nunc jam post hunc diem,
Quod crediturus tibi fui, omne credidi.
TRAN. Edepol, Neptune, peccavisti largiter,
Qui obcasionem hanc amisisti tam bonam.
THEUR. Triennio post Ægypto advenio domum;
Credo, exspectatus veniam familiaribus.
TRAN. Nimio, edepol, ille potuit exspectatior
Venire, qui te nunciaret mortuum.
THEUR. Sed quid hoc? obclusa janua'st interdius?
Pultabo: heus, ecquis istas aperit mi foreis?
TRAN. Quis homo'st, qui nostras ædeis adcessit prope?
THEUR. Meus servos hic quidem'st Tranio. TRAN. O Theuropides
Here, salve; salvom te advenisse gaudeo.
Usquene valuisti? THEUR. Usque, ut vides. TRAN. Factum optume.
THEUR. Quid vos? insanine estis? TRAN. Quidum? THEUR. Sic, quia
Foris ambulatis: gnatus nemo in ædibus
Servat, neque qui recludat, neque qui respondeat.
Pultando pedibus pæne confregi hasce ambas. TRAN. Eho,

9. *Amisisti*, ut vs 2.

11. *Credo, exspectatus.* Confer Amph. II, 2, 22, 26, 27. — *Familiaribus.* Omni familiæ, filio et famulis. N.

14. *Obclusa janua.* Claudebantur quidem interdiu fores intus, sed non foris: nisi aut quum ædes essent vacuæ, aut quum paterfamilias eos qui domi erant, nolebat domo egredi posse. Claudebantur autem fores ædium clavi Laconica, de qua supra. LAMB. — *Interdius*, interdiu.

20. *Quidum?* quomodo?

21. *Gnatus.* Vid. supra sc. 1, vs. 55. — *Servat*, pro, custodit. Cf. Amph. I, 1, 196, et Cistell. I, 1, 107. N.

23. *Confregi hasce ambas.* Festinabat ὁ πάνυ, quum scriberet, nullas hic *ambas* fores in plerisque editionibus ac libris esse, qui legant: « confregi assulas »: et id probaret. In vulgatis quidem legi *assulas*, sed in vett. edd. (quod possum testari de Argentoratensi 1508) et MSS *hasce ambas*, vel *asce ambas.* Sic et Sambuci codex. Nec quidquam est ambigui sive per

An tu tetigisti has ædeis? THEUR. Cur non tangerem?
Quin pultando, inquam, pæne confregi foreis.
TRAN. Tetigistin'? THEUR. Tetigi, inquam, et pultavi.
TRAN. Vah! THEUR. Quid est?
TRAN. Male, hercle, factum. THEUR. Quid est negoti?
TRAN. Non potest
Dici, quam indignum facinus fecisti et malum.
THEUR. Quid jam? TRAN. Fuge, obsecro, atque abscede ab ædibus.
Fuge huc, fuge ad me propius: tetigistin' foreis?
THEUR. Quomodo pultare potui, si non tangerem?
TRAN. Obcidisti, hercle... THEUR. Quem mortalem? TRAN. Omneis tuos.
THEUR. Di te deæque omneis faxint cum isto omine!
TRAN. Metuo, te atque istos expiare ut possies.
THEUR. Quamobrem? aut quam subito rem mihi adportas novam?
TRAN. Et heus, jube illos illinc, amabo, abscedere.
THEUR. Abscedite. TRAN. Ædeis ne adtingite: tangite
Vos quoque terram. THEUR. Obsecro, hercle, quin eloquere jam.
TRAN. Quia septem menseis sunt, quom in hasce ædeis pedem

ἀποσιώπησιν δεικτικῶς dictum putes, sive servum pro timore, quem fingebat, non exspectasse, dum adderet ultimam vocem herus, et ejus sermonem intercepisse. Capt. IV, 2: « Aperite hasce ambas fores, priusquam pultando assulatim foribus exitium affero ». Ubi dubitare possis, an non eamdem vocem auctor omiserit. GRON.

33. *Di te*, etc. Dii faciant ut te non meos occiderim. Formula rejiciendi tristis ominis in ominatorem. N.

36. *Illos*, comites, quos tecum adduxisti. DOUZA. — Hoc sane ad metrum facit commodius. N.

37. *Tangite Vos quoque terram.* Genus quoddam venerationis erat et ceremoniæ superstitionisque « terram tangere » : sed non nisi in his rebus, quæ ad deos inferos ac mortuos pertinent, usurpari consuetum. Macrob. lib. III : « Quum tellurem dicit, manibus terram tangit ». Simile est Cic. de Harusp. resp. « Aut puer ille patrimus aut matrimus, si terram non tenuit ».

39. *Quia*, etc. Ellipsis. Scilicet: hoc jubeo fieri, quia, etc.

Nemo intro tetulit, semel ut emigravimus.
THEUR. Eloquere, quid ita? TRAN. Circumspicedum, numquis est
Sermonem nostrum qui aucupet. THEUR. Tutum probe'st.
TRAN. Circumspice etiam. THEUR. Nemo 'st; loquere nunc jam.
TRAN. Capitalis cædis facta'st. THEUR. Quid est? non intellego.
THEUR. Scelus, inquam, factum'st jamdiu antiquom et vetus.
Antiquom : id adeo nos nunc factum invenimus.
THEUR. Quid istuc est, sceleste? aut quis id fecit? cedo.
TRAN. Hospes necavit hospitem captum manu;
Iste, ut ego opinor, qui has tibi ædeis vendidit.
THEUR. Necavit? TRAN. Aurumque eii ademit hospiti,
Eumque heic defodit hospitem ibidem in ædibus.
THEUR. Quapropter id vos factum subspicamini?
TRAN. Ego dicam, ausculta : ut foris cœnaverat
Tuos gnatus; postquam rediit a cœna domum,
Abimus omneis cubitum, condormivimus :
Lucernam forte oblitus fueram exstinguere;
Atque ille exclamat derepente maxumum.

40. *Ut.* Sup. I, 3, 63.

42. *Sermonem nostrum qui aucupet.* Titin. « Id ego aucupavi : plenas aures affero ». Cf. Mil. IV, 1. ERN. — *Tutum probe 'st.* Nullum est periculum ne quis audiat. N.

44. *Capitalis cædis*, etc. Vett. edd. *ædis*, quod probo, et *capitalis ædis* fit, quum in ea capital admittitur. Ut *homo capitalis*, nefarius, flagitiosus, qui capital aut facit audacter, aut factum probat. Et « locus capitalis, ut ait Festus, ubi si quid violatum est, capite violatoris expiatur ». J. GUL.

45. *Antiquom*, non, ut grammatici quidam volunt, est quod patrum memoriam excessit, quasi ante ævum : hoc non ferat vs. 49. Cf. Amph. V, 2, 10; Æneid. IV, 633. N.

46. *Adeo.* Id quidem antiquum, sed nos nunc comperimus. LAMB.

47. *Quid istuc est, sceleste?* Lege : « Quod istuc est scelus? » SCRIV. — *Cedo.* Cf. Curcul. V, 2, 42.

48. *Captum manu.* I. e. occupatum, quem nil tale exspectantem corripuit. N.

57. *Atque... exclamat... maxumum.*

THEUR. Quis homo? an gnatus meus? TRAN. St, tace : ausculta modo.
Ait venisse illum in somnis ad se mortuum.
THEUR. Nempe ergo in somnis. TRAN. Ita : sed ausculta modo ;
Ait illum hoc pacto sibi dixisse mortuum...
THEUR. In somnis? TRAN. Mirum quin vigilanti diceret,
Qui abhinc sexaginta annis obcisus foret.
Interdum inepte stultus es.
THEUR. Taceo. TRAN. Sed ecce quæ ille inquit :
Ego transmarinus hospes sum Diapontius.
Heic habito : hæc mihi dedita'st habitatio.
Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit.
Quia præmature vita careo : per fidem
Deceptus sum, hospes heic me necavit, isque me
Defodit insepultum clam ibidem in hisce ædibus,
Scelestus auri causa : nunc tu hinc emigra :
Scelestæ hæ sunt ædeis, inpia'st habitatio.

Poetarum et Græcorum more dixit. Horat. ad Pison. « Longum clamet, io cives! » TAUBM.

59. *In somnis.* Κατ' ὄναρ· dum dormit ipse : *per noctem*, ut interpretatur Donatus. LAMB. — Namque mortui vigilantibus videntibusque non videbantur adesse, nisi devotionibus evocati. N.

62. *Mirum quin*, etc. Quasi dicat : qui fieri potuit, ut, qui abhinc annis sexaginta necatus fuit, diceret aliquid filio tuo vigilanti et videnti. DOUZA. — Conf. Aulul. I, 2, 7.

66. *Transmarinus..... Diapontius.* Bis idem. Hoc nempe vidit Both. et emendare tentavit duobus in unum contractis versibus, « Sed ecce quæ ille : ego hospes sum Diapontius ». N.

68. *Nam me Acheruntem.* Suspicor, ad reconditiorem illam *Orci* significantiam respectum a Poeta, qua « receptorem mortium » intelligi solitum testis Isidorus : unde et *Orcam* natam et denominatam scribit, pro vase, quod recipit aquas : quam vocem reperies et apud Persium. DOUZA.

69. *Per fidem*, quam male habui. Scioppius emendat *perfide*.

71. *Defodit insepultum.* In terram quidem defossum humavit, sed non rite, i. e. justo sepulturæ honore carentem. GUTHER. — Vide quæ Æneid. III, Polydorus, et VI, Palinurus Æneam rogant. N.

73. *Scelestæ.* Sic via Scelesta dicta fuit in qua Tullia curru paternum corpus obtriverat, Scelerata porta qua Fabii exierant, vid. III,

Quæ heic monstra fiunt, anno vix possum eloqui.
St, st! THEUR. Quid obsecro, hercle, factum'st? TRAN.
Concrepuit foris.
Hiccine percussit? THEUR. Guttam haud habeo sanguinis,
Vivom me arcessunt ad Acheruntem mortui.
TRAN. Perii: illice hodie hanc conturbabunt fabulam:
Nimi' quam formido, ne manifesto hic me obprimat.
THEUR. Quid tute tecum loquere? TRAN. Abscede ab janua.
Fuge, obsecro, hercle! THEUR. Quo fugiam? etiam tu fugis?
TRAN. Nihil ego formido: pax mihi est cum mortuis.
THEUR. Heus, Tranio. TRAN. Non me adpellabis, si sapis.
Nihil ego conmerui, neque istas percussi foreis.
THEUR. Quæso, quid ægre est? quæ res te agitat Tranio?
Quîcum istæc loquere? TRAN. An, quæso, tu adpellaveras?
Ita me di amabunt, mortuum illum credidi

1, 1. *Inpia*, quam nefas sit habitare, nondum expiato fœdatam cruore. N.

74. *Quæ heic monstra*, etc. Hucusque verba larvalis umbræ. Nunc ipse rem narrare Tranio rursus pergit. N.

75. *St, st!* Sic Gruterus fecit, quum in vulgatis esset *Secede*, in scriptis, *Sed et*, longe probabilius, quam qui *Ceden*, quod quid sit, ignoro: nisi voluit *Cedin:* sed observavi in aliis quoque Plauti locis, ubi interjectio ista ponenda est et habetur in melioribus libris, quosdam scriptos habere *Sed.* GRON. — *Concrepuit foris.* Audit intus strepitum Tranio, quem ut occultet, quasi lemures percusserint, attonitus quærit. LAMB.

78. *Perii: illice hodie hanc conturbabunt fabulam.* Hæc secum Tranio moleste ferens eos strepere intus, metuensque ne res palam fiat: atque ita tota fabula, quæ a *Monstris* nomen habet conturbetur. LAMB. — Scilicet fabula non est mendacium quod Tranio contexuit, sed quæ agitur comœdia. Haud insolitum Plautinis personis spectatorem, quod ludus histrionicus fiat, admonere. Conf. Amph. III, 1, 8. N.

79. *Nimi' quam.* Cf. Bacch. I, 2, 13. — *Ne manif.* Ne in manifesto mendacio me senex deprehendat. DOUZA.

82. *Nihil ego formido.* Proprie. Formido a *formis*, de quibus hic ludi fiunt, i. e. *spectris.* SCAL.

83. *Non me adpellabis.* Sermo ad mortuum a quo se credere appellatum simulat Tranio, ob percussas fores, dum senex appellat. Ita perturbatus sensibus vult videri. Vid. v. 86. *Si sapis.* Merc. III, 3, 23.

87. *Ita me di amab.* Cf. Bacch. I, 2, 3. N.

Expostulare, quia percussisses foreis.
Sed tu etiamne adstas, nec quæ dico obtemperas?
THEUR. Quid faciam? TRAN. Cave respexis : fuge, atque
operi caput.
THEUR. Cur non fugis tu ? TRAN. Pax mihi est cum mortuis.
THEUR. Scio : quid modo igitur? cur tantopere extimueras?
TRAN. Nil me curassis, inquam : ego mihi providero :
Tu, ut obcepisti, tantum quantum quis, fugies,
Atque Herculem invocabis. THEUR. Hercules, te invoco. (abit.)
TRAN. Et ego, tibi hodie ut det, senex, magnum malum.
Pro di inmortaleis, obsecro vostram fidem,
Quid ego hodie negoti confeci, malum!

88. *Expostulare.* Cf. Bacch. III, 3, 38. — *Percussisses.* Omnino hoc adserendum, ut respiciat id, quod senex supra fores tetigerat : idque ad metum seni injiciendum. ERN.

94. *Tantum quantum quis*, potes. I. e. quantum potest. Conf. Bacch. II, 3, 114. N.

95. *Herculem invocabis*, ut ἀλεξίκακον ac monstrorum domitorem. Sic apud Aristoph. in Pluto Chremylus, quum videret horridam squallidamque Peniam, exclamat ἡράκλεις! TURN.

97. *Vost. fid.* opem : nam metuit.

98. *Malum.* Amph. I, 1, 247.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

DANISTA, THEUROPIDES, TRANIO.

DAN. SCELESTIOREM ego annum argento fœnori
Nunquam ullum vidi, quam hic mihi annus obtigit.
A mane ad noctem usque in foro dego diem,
Locare argenti nemini numum queo.
TRAN. Nunc, pol, ego perii plane in perpetuum modum.
Danista adest, qui dedit argentum fœnori,
Quî amica'st emta, quoque opus in sumtus fuit.
Manifesta res est, nisi quod obcurro prius,
Ne hoc senex resciscat : ibo huic obviam.
Sed quidnam hic sese tam cito recipit domum?
Metuo ne de hac re quidpiam inaudiverit.
Adcedam atque adpellabo : hei quam timeo miser!
Nihil est miserius, quam animus hominis conscius,
Sicut me habet: verum utut res hæc sese habet,
Pergam turbare porro : ita hæc res postulat.
Unde is? THEUR. Conveni illum, unde hasce ædeis emeram.
TRAN. Numquid dixisti de illo, quod dixi tibi?

1. *Scelestiorem*, infeliciorem. — *Arg. fœn.* pecuniæ fœnerandæ. Cf. Curcul. V, 2, 47.
5. *In perpetuum modum*, ita ut nunquam postea susciter. N.
7. *Quî.* Cf. Bacch. II, 3, 101.
8. *Nisi quod*, nisi aliquo modo.
9. *Huic*, Danistæ.
10. *Hic*, Theuropides.
15. *Pergam turbare. Turbare*, absolute positum est, pro, turbas excitare : ut Bacch. IV, 9. Tacit. Ann. IV : « quum repente turbare Fortuna cepit ». TAUBM.

THEUR. Dixi, hercule, vero omnia. TRAN. (*secum.*) Væ misero mihi!
Metuo ne techinæ meæ perpetuo perierint.
THEUR. Quid tute tecum? TRAN. Nihil enim: sed dic mihi,
Dixtin', quæso? THEUR. Dixi, inquam, ordine omnia.
TRAN. Etiam fatetur de hospite? THEUR. Imo pernegat.
TRAN. Negat? THEUR. Negat, inquam. TRAN. (*secum.*) Perii oppido, quom cogito!
(*ad senem.*) Non confitetur? THEUR. Dicam, si confessus sit.
Quid nunc faciundum censes? TRAN. Egon', quid censeam?
Cape, obsecro, hercule, cum eo una judicem:
Sed eum videto ut capias, qui credat mihi:
Tam facile vinces, quam pirum volpes comest.
DAN. Sed Philolachetis eccum servom Tranium,
Qui mihi neque fœnus, neque sortem argenti danunt.
THEUR. Quo te agis? TRAN. Nec quoquam abeo. Næ ego sum miser,
Scelestus, gnatus dis inimicis omnibus!
Jam illo præsente adibit: næ ego homo sum miser!
Ita et hinc et illinc mi exhibent negotium.
Sed obcupabo adire. DAN. Hic ad me it, salvos sum,
Spes est de argento. TRAN. Hilarus est frustra istic homo.
Salvere jubeo te, Misargyrides, bene.

19. *Metuo*, etc. Ante hunc vers. vulgatæ ipsis verbis 22um ponunt, quem Plautus iterare non potuit. N.

24. *Dic. si c. sit.* Asin. II, 3, 13.

26. *Cape... judicem.* Actione furti, dabat prætor judices qui reciperatores dicebantur. N.

27. *Sed eum*, etc. Scurrilitas vel in summo timore, quod Plauto perquam familiare est.

28. *Quam volpes.* Vide Adag. Erasmi. N.

29. *Tranium.* Modo Tranio, modo Tranius. Vid. sup. II, 1, 27.

30. *Qui... danunt.* Vox *qui* orationis ordine ad servum, mente dicentis ad herum et servum simul pertinet. Cf. Aul. III, 2, 24. N.

32. *Scelestus.* Cf. Asin. V, 2, 6. — *Gnatus dis inimicis.* Conf. Milit. II, 3. ERN.

33. *Jam illa pr. ad.* En Danista coram sene a me pecuniam flagitabit. N.

37. *Misargyrides.* Sic lego, non « mi Saturides », et venuste ἀντι-

DAN. Salve et tu : quid de argento? TRAN. Abi, sis, belua,
Continuo adveniens pilum injecisti mihi.
DAN. Hic homo 'st inanis. TRAN. Hic homo est certe ariolus.
DAN. Quin tu istas mittis tricas? TRAN. Quin quid vis cedo.
DAN. Ubi Philolaches est? TRAN. Nunquam potuisti mihi
Magis obportunus advenire quam advenis.
DAN. Quid est? TRAN. Concede huc. DAN. Quin mihi argentum redditur?
TRAN. Scio te bona esse voce, ne clama nimis.
DAN. Ego, hercle, vero clamo. TRAN. Ah, gere morenı mihi.
DAN. Quid tibi ego morem vis geram? TRAN. Abi, quæso, hinc domum.
DAN. Abeam? TRAN. Redito huc circiter meridie.
DAN. Reddeturne igitur fœnus? TRAN. Reddetur; nunc abi.
DAN. Quid ego huc recursem, aut operam sumam, aut conteram?
Quid, si heic manebo potius ad meridiem?

φράζεθαι *argenti-odium :* qni ita lucellum inhiaret, ut vel os sibi verberari pugnis, modo argenteis, facile pateretur. Et in Adelph. Ter. Donatus liquido coufirmat, Misargyriden trapezitæ Plautini nomen esse, quem frustra alibi quæras, si hunc, quem reprehendi, amiseris. JAN. GULIELM. — Et hoc volunt scripti, quorum alter *misarcirites*, alter *misartirites*. GRON.

38. *Sis*. Cf. Amph. I, 1, 130.

39. *Pilum injecisti mihi. Pilum injicere*, idem quod Cic. pro Mur. dixit: « Quam te securim injecisse putas petitioni meæ », id est, impedimentum. Idem pro Planco: « Infligere reip. securim » : quod est magno malo eam afficere. LIPS. — Sumpta translatio ex armatura Romanorum, et præliandi modo. Gravis armaturæ milites præter scutum, gladium Hispaniensem, galeam æream, et ocreas, pila gerebant duo, teste Polyb. lib. VI. Unde et *pilani* dicebantur Ovid. Fast. III, 129. In præliando autem primum, modico spatio ab hoste distantes, pila conjiciebant, dein gladiis res gerebatur. Pili descriptio est apud Polybium, quem vide. GRON.*

40. *Est certe ariolus*. Conf. Cist. II, 1, 31.

41. *Mittis*, omittis. — *Quin quid vis cedo*. Da, fac ipse quod poscis.

46. *Gere morem mihi*, sis obsequens quod te rogare volo. N.

51. *Quid, si heic*, etc. Cur non potius maneam, etc. N.

TRAN. Imo abi domum, verum, hercle, dico : abi modo.
DAN. Quin vos mihi fœnus date : quid nugamini?
TRAN. Eu, hercle, næ tu... abi modo : ausculta mihi.
DAN. Jam, hercle, ego illunc nominabo. TRAN. Euge strenue.
Beatus vero es nunc, quom clamas. DAN. Meum peto.
Multos me hoc pacto jam dies frustramini.
Molestus si sum, reddite argentum, abiero.
Responsiones omneis hoc verbo eripite.
TRAN. Sortem adcipe. DAN. Imo fœnus, id primum volo.
TRAN. Quid tu, homo hominum omnium teterrume,
Venisti huc extentatum? agas quod in manu 'st.
Non dat, non debet. DAN. Non debet? TRAN. Nec erit quidem.
Ferre hoc potes? an mavis ut aliquo abeat foras?

52. *Verum, hercle.* Putabam aliquando rescribendum : « iterum, hercle, dico ». Nunc nihil mutandum statuo. *Verum dico*, idem hic est, quod *serio dico*. BOXH.

54. *Eu, hercle, næ tu.* Oratio perplexa hominis perturbati. Subintellig. « odiosus es », aut aliquid tale. DOUZA.

55. *Illunc nominabo.* Pepercit adhuc nomini Philolachetis; sed minatur, nisi resolutum fuerit, fore ut convicium flagitiumqne adolescenti faciat, et nomine eum palam appellet. N.

56. *Beatus vero.* Quæ petis, accepisse te putas, quum clamas, scilicet. BOXH.

59. *Responsiones* molestas meas.

60. *Imo.* Cf. Pers. IV, 4, 61.

62. *Extentatum.* Legunt alii aliud; *externatum*, i. e. ut te externares, vel *exenteratum*, ut te ecflictim fatigares clamando, vel *occentatum*, ut nobis convicium faceres, vel *ostentatum*, vel *sistentatum*, quæ non satis liquent. Retinenda lectio *extentatum*, scilicet ut tentares quid possis. Alii deducunt a *tendo*, frequentativ. *tento*, et interpretantur « ut quam maxime voce contenderes ». *Agas quod in m.* Fac quod potes, concede necessitati. N.

63. *Non dat, non debet.* Eodem modo Almavivæ atriensis judici nou satis quid velit intelligenti obloquitur : « Monsieur voit donc bieu que, si je ne paye pas, c'est comme si je ne devais rien ». — *Nec erit quidem.* Salmasius enarrat « nec erit quidem unde solvat ». At, credo, tenore orationis verbum *erit* referendnm ad eamdem personam, quæ regit verba *dat*, *debet*. Ergo sensus est : Non solum non debet, sed nullus erit, non comparebit. Cur? foras abierit. Vid. vers. seq. N.

64. *Ferre hoc potes?* Opta utrum malis hoc ferre, ut sortem acci-

Urbem exsul linquat factus hic causa tui,
Quoi sortem vix dare licebit? DAN. Quin non peto.
THEUR. (ad Tranionem.) Eia, mastigia, ad me redi. TRAN.
(ad Theuropidem.) Jam isteic ero.
(ad Danistam.) Molestus ne sis, nemo dat, age quid lubet.
Tu solus, credo, fœnore argentum datas.
DAN. Cedo fœnus: redde fœnus: fœnus reddite.
Daturin' estis fœnus actutum mihi?
Date mi fœnus. TRAN. Fœnus illeic, fœnus heic.
Nescit quidem nisi fœnus fabularier
Veterator: neque ego tetriorem beluam
Vidisse me unquam quemquam, quam te, censeo.
DAN. Non, edepol, nunc me tu istis verbis territas.
THEUR. Calidum hoc est, etsi procul abest, urit male.
Quod illuc est fœnus, obsecro, quod illic petit?
TRAN. (ad Danistam.) Pater, eccum, advenit peregre non multo prius
Illius, is tibi et fœnus et sortem dabit:
Ne inconciliare quid nos porro postules.

pias, an juvenem eo redigere ut aufugiat? N.

66. *Quin non peto.* Peto sortem cum fœnore. At sole sortem solam non peto: ne me credas sorte fore contentum. N.

67. *Isteic*, tecum.

68. *Molestus ne sis.* Noli nobis obstrepitare. Non opus est ut recuses sortem, quam non tibi volumus dare. N.

69. *Tu solus*, etc. Ironice: quasi argentum reperire non possimus, si a te sumere non liceat. N.

73. *Nescit quidem nisi fœnus fabularier.* Similis Pythermo cantori apud Athen. lib. XIV, de quo Hipponax: Χρυσὸν λέγει Πύθερμος ὡς οὐδὲν τἄλλα. « Pythermus aurum loquitur, et aliud nihil ». TAUBM.

77. *Calidum hoc est*, etc. Hæc vulgo editiones Danistæ attribuunt, nullo sensu. Acidalius volebat hunc versum transcribi post 132 jubente nulla auctoritate MSS. Omnem tumultum Taubmannus diremit, nomine Theuropidis ibi præfixo. Senex audit jurgium, audit verbum fœnus. Itaque secum reputat: calidum hoc est, vehemens est rixa. Etsi distat a me, tamen me urit valde hic ignis, quum maxime de fœnore et meo filio sit conflictus.

81. *Ne inconciliare.* Ne pergas nos in te irritare. Trin. I, 2, 99. TAUBM. — Interpretor: nostras res conturbare. Trin. l. c. Bacch. III, 6, 22. — *Postules.* Capt. I, 2, 83.

Vide num moratur? DAN. Quin feram, si quid datur.
THEUR. Quid ais tu? TRAN. Quid vis? THEUR. Quis illic est? quid illic petit?
Quid Philolachetem gnatus conpellat meum
Sic, et præsenti tibi facit convicium?
Quid illi debetur? TRAN. Obsecro, hercle, jube
Obici argentum huic ob os inpuræ beluæ.
THEUR. Jubeam? TRAN. Jube homini argento os verberarier.
DAN. Perfacile ego ictus perpetior argenteos.
THEUR. Quod illud argentum'st? TRAN. Huic debet Philolaches
Paulum. THEUR. Quantillum? TRAN. Quasi quadraginta minas.
DAN. Ne sane id multum censeas, paulum id quidem'st.
TRAN. Audin'? videturne, obsecro, hercle, idoneus,
Danista qui sit? genus quod inprobissumum'st.
THEUR. Non ego istuc curo, qui sit, unde sit:
Id volo mihi dici, id me scire expeto.
Adeo etiam argenti fœnus creditum audio.
TRAN. Quatuor quadraginta illi debentur minæ.
Dic te daturum, ut abeat. THEUR. Egon' dicam dare?
TRAN. Dic. THEUR. Egone? TRAN. Tu ipsus dic modo, ausculta mihi.
Promitte: age, inquam, ego jubeo. THEUR. Responde mihi,

82. *Vide num mor.* Videlicet jam ad Theuropidem Danista ire properabat, quem Tranio reprehendit irridens. N.

91. *Quasi quadraginta minas.* *Quasi* pro *fere*, circiter, aut præterpropter. Terent. Heaut. sc. 1: « Quasi talenta ad quindecim coegi ». TAUBM.

92. DAN. *Ne sane.* Non opus Acidal. trajectione: si imagineris, senem admirabundum et irato proximiorem vix statum tenuisse, audita pecuniæ summa: quem placans Danista, ita dixerit: « Ne sane, etc. » GRON.

96. *Scire expeto* quod quæsivi, scilicet vs. 90. N.

101. *Jubeo*, hortor. Sic « jubeo te salvere ». N.

Quid eo'st argento factum? TRAN. Salvom 'st. THEUR. Solvite
Vosmet igitur, si salvom'st. TRAN. Ædeis filius
Tuus emit. THEUR. Ædeis? TRAN. Ædeis. THEUR. Euge, Philolaches
Patrissat : jam homo in mercatura vortitur.
Ain' tu, ædeis? TRAN. Ædeis, inquam : sed scin' quojusmodi?
THEUR. Quî scire possim? TRAN. Vah! THEUR. Quid est? TRAN. Ne me roga.
THEUR. Nam quid ita? TRAN. Speculo claras, clarorem merum.
THEUR. Bene, hercle, factum: quid? eas quanti destinat?
TRAN. Talentis magnis totidem, quot ego et tu sumus.
Sed arrhaboni has dedit quadraginta minas.
Hinc sumsit quas ei dedimus : satin' intellegis?
Nam postquam hæce ædeis ita erant, ut dixi tibi,
Continuo est aliàs ædeis mercatus sibi.
THEUR. Bene, hercle, factum. DAN. Heus, jam adpetit meridies.

103. *Si salvom 'st.* Ludit in ancipiti. Nam quod salvum est argentum, præsens habetur. Sed et bene locatum salvum quoque est. N.

105. *Patrissat.* Conf. Adelph. IV, 2, 25. — *In mercatura vortitur. Vortitur*, id est, versatur : proprie ei signate, « in mercatura vorti » dicitur, qui mercaturam exercet : hinc « versura » verbum mercatorum : et Vertumnus deus invertendarum rerum, h. e. mercaturæ. Ascon. in Verr. ERN.

108. *Speculo claros, clarorem merum.* Ædes ita claras tamque polita et nitida facie emit, ut cum æquore et planitie speculi possint comparari : vel, ut loco speculi esse possint : vel, ut speculum ex iis confici possit. « Ædes ad speculum claras », id est, etiamsi cum speculi splendore et lævore conferantur, satis claras. « Clarorem merum », id est, æque claras, atque ipse claror clarus est. TURN.—Vid. supra I, 3, 94.

109. *Destinat*, enallage pro *destinavit*, ut supra vs. 99, *dare* pro « daturum esse ». Vid. IV, 2, 57.

110. *Talentis magnis.* Cf. Cistell. II, 3, 19.

112. *Ei*, venditori, qui recepit arrhabonem. N.

113. *Hæce*, nostræ.

115. *Jam adpetit meridies.* Sup. vers. 48. N.

TRAN. Absolve hunc, quæso, vomitum, ne hic nos enecet.
Quatuor quadraginta illi debentur minæ,
Et sors et fœnus. DAN. Tantum 'st : nihilo plus peto.
TRAN. Velim quidem, hercle, ut uno numo plus petas.
THEUR. (ad Danistam.) Adulescens, mecum rem habe. DAN.
Nempe abs te petam.
THEUR. Petito cras. DAN. Abeo, sat habeo, si cras fero. (abit.)
TRAN. Malum, quod isti di deæque omneis duint.
Ita mea consilia perturbat pænissume.
Nullum, edepol, hodie genus est hominum tetrius,
Nec minus bono cum jure, quam Danisticum.
THEUR. Qua in regione istas ædeis emit filius?
TRAN. Ecce autem perii! THEUR. Dicisne hoc, quod te rogo?
TRAN. Dicam : sed nomen domini quæro quid siet.
THEUR. Age comminiscere ergo. TRAN. (secum.) Quid ego
nunc agam?
Nisi, ut in vicinum hunc proxumum mendacium,
Eas emisse ædeis hujus dicam filium.
Calidum, hercle, audivi esse optumum mendacium.

116. *Absolve hunc, quæso, vomitum. Vomitus*, convitium est in homines impuros. Sic Lucilius de Trebell. « ... marcebat febris, senium, vomitus, pus ». ERN.

119. *Uno numo plus petas*. Eos, qui plus petebant, olim causa cecidisse, nemo dubitat. An vero lege XII Tabul. au edicto prætoris id fiat, disputant. Ego non illa, sed hoc censeo factum. RÆV.

120. *Adulescens*. Conf. Curcul. III, 1, 29. N.

122. *Malum, quod... duint*. Exclamatio est indignantis malum, quam deducit ad imprecationem. Conf. Amph. II, 1, 13. — *Isti*, Danistæ. N.

130. *Ut in vicinum*, scil. converiam. LAMB. — Certe deest verbum. Unica litera mutata lego : « Quid ego nunc agam, Nisi it in vicinum hunc proximum mendacium? Eas emisse ædes hujus dicam filium ». Ita distinguendum ac legendum. SALM. — Nullum deest verbum : « nisi dicam mendacium in vicinum, scilicet, eas emisse, etc. »

132. *Calidum, hercle, aud. esse optimum mendacium. Calidum mendacium* interpretatur Lambin. quod non est cogitatum, sed ex tempore natum, θερμόν. Et hoc placet. TAUBM. — Sic « minis calidis » pro præsentibus dixit in Epid. I, 2, 38. N.

Quidquid Dei dicunt, id rectum'st dicere.
THEUR. Quid igitur? jam conmentu's? TRAN. Di istum perduint!
Imo istunc potius. De vicino hoc proxumo
Tuus emit ædeis filius. THEUR. Bonan' fide?
TRAN. Siquidem es argentum redditurus, tum bona:
Si redditurus non es, non emit bona.
THEUR. Non in loco emit perbono has. TRAN. Imo optumo.
THEUR. Cupio, hercle, inspicere has ædeis; pultadum foreis,
Atque evocato aliquem intus ad te, Tranio.
TRAN. Ecce autem iterum nunc quid ego dicam nescio;
Iterum jam ad unum saxum me fluctus ferunt.
Quid nunc? non, hercle, quid nunc faciam, reperio:
Manifesto teneor. THEUR. Evocadum aliquem foras,
Roga, circumducat. TRAN. Heus tu: at heic sunt mulieres:
Videndum 'st primum, utrum eæ velintne, an non velint.

133. *Quidquid dei dicunt, id rectum 'st dicere.* Optimi et antiquissimi codices habent : « id rectum est dicere ». Et sic legendum est. Alii pro *rectum* reposuerunt *certum*, aut *decretum*. Sed mala loci constructione decepti sunt. Ordo est : Dicere quidquid dei dicunt, id rectum est. « Quidquid dei dicunt », quidquid dubitanti ex tempore suggeritur, deorum instinctu id suggeri credebant Veteres. Vide Apuleium de deo Socratis. BOXH.

134. *Di istum perduint!* Scilicet Danistam, qui me turbavit, ut nomen venditoris ædium exciderit. Et hæc loquitur, ut senex audiat : illa vero, « imo istunc (senem) potius » : ut tantum spectatores. GR.

135. *Bonan' fide?* Locus est ex ambiguo : quod inest in his verbis, « bonan' fide? » quæ senex aliter dixit, aliter servus accepit. Nam senex quærebat ex servo, bonane fide loqueretur, hoc est, serione et vere id diceret, emptas ædes esse a filio : servus autem in aliam sententiam accepit, aut certe se accipere simulavit, quasi quærat ille, bonane fide ædes emptæ sint, hoc est, utrum dolus malus in ædibus vendendis adhibitus sit, an bona fides. Itaque sic respondet, si argentum venditori promissum, ac pactum redditurus es, bona fide ædes emit filius; si minus, bona fide non emit. Ex his intelligi potest, « actiones bonæ fidei » eas demum proprie appellari, quibus postulatur, ut fides data, bene, atque uti par est, servetur. HOTT.

141. *Intus.* Amph. II, 2, 138.

146. *Circumducat* nos domum inspecturos. N.

THEUR. Bonum æquomque oras : percontare et roga.
Ego heic tantisper, dum exis, te obperiar foris.
TRAN. Di te deæque omneis funditus perdant, senex :
Ita mea consilia undique obpugnas mala.
Euge, optume : eccum dominus ædium foras
Simo progreditur ipsus : huc concessero,
Dum mihi senatum consili in cor convoco.
Igitur tum adcedam hunc, quando quid agam invenero.

SCENA SECUNDA.

SIMO, THEUROPIDES, TRANIO.

SIM. Melius anno hoc mihi non fuit domi,
Nec quando esca una me juverit magis.
Prandium uxor mihi perbonum dedit.

148. *Bonum æquomque oras*. Cf. Capt. II, 2, 83. N.

152. *Euge, optume*. Cf. Bacch. IV, 9, 68. N.

154. *Senatum consili in cor*, etc. Facete et erudite cor *senatum* appellat : ut et Epid. I, 2, 56. Apul. Apolog. « Cui nulla fandi cura sit, impensius cætero corpore os colendum, quod esset animi vestibulum, et orationis janua, et cogitationum comitium » : scilicet, quia ex ore cogitationes animi in apertum prodeunt. Alias ineptum sit dicere, cogitationes in ore concipi. Mamertinus : « Versari cœpit in sacri pectoris comitio consulatus ». Sc GENT.

1. *Melius..... mihi non fuit*. Conf. Casin. II, 3, 37.

2. *Nec quando esca*. Falsum est, in MSS repertum : « Ne quod est culina uxor ». Unde ineptissime conjicitur : « Nec quando est culina meruerit magis » : quod scil. sit construendum : nec est quando magis meruerit culina. Scripti : « Nec quid est cauna meruerit magis ». Unde faciendum cum Casaubono et Acidalio : « Nec quando esca una me juverit magis » : nec scilicet, fuit : ut supra : « Nec, quom me melius, mea Scapha, rear esse defæcatam » : dicit autem *juvare escam*, ut in Captivis : « Neque unquam quidquam me juvat, quod edo domi ». Horat. « Cœna brevis juvat ». Juvenalis : « magis illa juvant, quæ pluris emuntur ». Valerius Flaccus : « Quod nullæ te, nata, dapes, non ulla juvabant Tempora ». Quintilian. Decl. 298 : « Juvat autem cibus post opus ». Acad. « Nequidem cauna meruerit magis ». GRON. — *Nec quando*. Similis forma orationis I, 3, 2.

Nunc dormitum jubet me ire : minume.
Non mihi forte visum inlico fuit,
Melius quom prandium, quam solitum, dedit.
Voluit in cubiculum abducere me anus.
Non bonus somnus est de prandio; apage:
Clanculum ex ædibus me edidi foras.
Tota turget mihi uxor nunc, scio, domi.
TRAN. Res parata 'st mala in vesperum huic seni.
Nam et cœnandum et cubandum 'st intus male.
SIM. Quo magis cogito ego cum meo animo,
Si quis dotatam uxorem habet,
Neminem solicitat sopor,
Ire dormitum odio 'st : nunc vero mihi
Exsequi certa res est, ut abeam
Potius hinc ad forum, quam domi cubem.
Atque, pol, nescio, ut moribus sient
Vostræ : hæc sat scio, quam me habeat male;
Pejusque posthac fore, quam fuit mihi.

6. *Melius quom prandium, quam solitum, dedit.* Non, inquit, temere et casu id fieri illico in mentem venit, quum lautius quotidiano prandium apponi mihi viderem : et certe illud erat : meridianam a me operam impetrare voluit. *Non forte*, Plautinum est, οὐκ ἀλόγως, ut apud eumdem nostrum, « Non temere est », in Bacch. « Non temerarium est », Aulul. Idem valet, « Non de nihilo ». Propert. « Non sum de nihilo blandus amator ego ». J. GUL.

8. *Non bonus somnus est de prandio.* Mos erat Veteribus, qui etiamnum obtinet, æstivo tempore meridie somnum leviusculum capere, quem Varro, de Re Rust. I, 1, « somnum insititium » appellat elegantissime : « Ego hic, ubi nox et dies modice redit et abit, tamen æstivo die, si non diffinderem meo insititio somno meridiem, vivere non possem, etc. » MEURS.

10. *Tota turget.* Casin. II, 5, 17.

12. *Cubandum 'st male*, quum et in triclinio et in thalamo lectis Veteres uterentur, in ambiguitate verbi cubare ludere amabant. Cf. Asin. V, 2, 73, 87. N.

14, 15. *Siquis..... neminem*, etc. I. e. eum nunquam, etc.

16. *Ire dormitum odio 'st*, quippe cum dotata, cui dotalis profecto non lepor fuerit. N.

20. *Vostræ*, spectatores.—*Hæc*, mea.—*Quam me habeat male*, quam miserum me faciat. Cf. Casin. I, 1, 28, et Men. IV, 1, 11. N.

TRAN. Si abitus tuus tibi, senex, fecerit male,
Nihil erit quod Deorum ullum adcusites:
Te ipse jure optumo merito incuses licet.
Tempus nunc est senem hunc adloqui mihi.
Hoc habet: reperi, quî senem ducerem:
Quo dolo a me dolorem procul pellerem.
Adcedam. Di te ament plurimum, Simo.
SIM. Salvos sis, Tranio. TRAN. Ut vales? SIM. Non male.
Quid agis? TRAN. Hominem optumum teneo. SIM. Amice facis,
Quom me laudas. TRAN. Decet certe. SIM. Hercle, at te ego
Haud bonum teneo servom. TRAN. Quid ita vero, Simo?
SIM. Quid nunc? quam mox? TRAN. Quid est? SIM. Quod solet fieri.
TRAN. Dic igitur, quod solet fieri, quid id est?
SIM. Quid facitis vos? Sed, ut verum, Tranio, loquar,
Sic decet. Ut homines sunt, ita morem geras.

24. *Te ipse jure optumo.* Quia tibi ipse malefacis: dum ultro abis domo, non modo ab uxore non ejectus, sed ab ea blande in cubiculum allectus. LAMB.

26. *Hoc habet.* Significat se reperisse fallaciam, qua Theuropidem senem ductet. Tralatio autem est a re gladiatoria. Donatus ad Terent. Andr. I, 1, 56, « habet, i. e. vulneratus est. Habet enim qui percussus est, et proprie de gladiatoribus dicitur, quia prius alii vident, quam ipsi sentiunt se percussos ». LAMB. — *Ducerem*, fallerem, i. q. circumducere, Bacch. II, 3, 77. Trivialis apud nos sermo omnino parem habet loquelam: *faire aller*. N.

30. *Quid agis?* Conf. Aulul. I, 2, 39.—*Teneo*, videlicet dextram osculabatur. At aliud mente agit « nequam, et « teneo dolis ducendum » dicit sibi, non seni intellectum. N.

33. *Quid nunc? quam mox?* quid nunc agitis? quando repetetis vestras voluptates? LAMB.

35. *Sed, ut verum*, etc. Quum esset Tranionem objurgaturus, reprimit se, et tangit eum ironica laudatione. L. — *Verum*, æquum, justum. Asin. III, 3, 111.

36. *Sic decet. Ut homines.* Quasi dicat: ubi quis est corruptus et voluptarius, sapienter igitur facit, qui ei non adversatur, sed morem gerit. Terent. Adelph. III, 4: « Verum quid facias? ut homo est, ita morem geras ». GRON.

Vita quam sit brevis, simul cogita.
TRAN. Quid? ehem, vix tandem
Percepi super his rebus nostris te loqui.
SIM. Musice, hercle, agitis ætatem: ita ut vos decet:
Vino et victu, piscatu probo, electili
Vitam colitis. TRAN. Imo vita antehac erat:
Nunc nobis omnia hæc exciderunt.
SIM. Quîdum? TRAN. Ita oppido obcidimus omneis, Simo.
SIM. Non taces? prospere vobis cuncta usque adhuc
Processerunt. TRAN. Ita ut dicis, facta haud nego.
Nos profecto probe, ut voluimus, viximus.
Sed, Simo, ita nunc ventus navem
Deseruit. SIM. Quid est? quomodo? TRAN. Pessume.
SIM. Quæne subducta erat tuto in terra?
TRAN. Hei! SIM. Quid est? TRAN. Me miserum! obcidi!
SIM. Quî? TRAN. Quia
Venit navis, nostræ navi quæ frangat ratem.
SIM. Velim ut velles, Tranio. Sed quid est negotî?

40. *Musice, hercle, agitis ætatem.* *Musice* idem est quod concinne, eleganter, quod Græcis interdum est μουσικῶς. Interpretes vulgo malunt ex more cantorum læte et laute, et sine suo sumptu. Nam jus cantorum et poetarum est, inquit Athenæus ἄκαπνα θύειν, id est, « laute epulari sine sua impensa ». Sed hæc interpretatio loco Plauti non quadrat. GRON.*

41. *Electili. Electile* pro optimo et eligendo. Sic factum est *ductile* a ducto. *Apertile*, Ovidio, ab aperto. SALM.

45. *Non taces?* Conf. Amph. II, 2, 68. N.

49. *Quomodo?* etc. Vulg. « SIM. Quid est? quomodo, pessume? Quæne, etc. » Nulla personarum distinctione interposita. Minus commode. Namque non videtur nunc locus, ut Simo Tranionem pessimum appellet. N.

50. *Subducta.* Subducuntur naves ex alto in portum, deducuntur ex portu in altum. GRON.

52. *Ratem*, i. e. compagem ligneam, cujus carina fundamentum est. N.

53. *Velim ut velles.* Cui boni ac secundi aliquid obtigerat, ei, ominis causa, gratulabundi dicere solebant *feliciter*, aut « feliciter quod agis »: quum significarent, cupere se eum perpetuo eadem felicitate uti. Contra, cui male et adversus animi sententiam erat, eum alloquentes dicebant: « Vellem, quæ velles ». Quum indicarent dolere

Eloquere. TRAN. Herus peregre venit. SIM. Tunc tibi
Chorda tenditur; inde in ferriterium;
Postea in crucem recta. TRAN. Nunc te ego per genua
Obsecro, ne indicium hero facias meo. SIM. E me,
Ne quid metuas, nihil sciet. TRAN. Patrone, salve.
SIM. Nihil moror mihi istiusmodi clienteis.
TRAN. Nunc hoc, quod ad te noster me misit senex.
SIM. Hoc mihi responde primum, quod ego te rogo:
Jam de istis rebus voster quid sensit senex?
TRAN. Nihil quidquam. SIM. Numquid increpavit filium?
TRAN. Tam liquidu'st, quam liquida esse tempestas solet.
Nunc te hoc orare jussit opere maxumo,

sibi, quod illi male esset : ac si dicerent : Vellem tibi ita esset, ut tu quoque velles, mihique ægre est, quod tibi quidquam præter voluntatem tuam evenerit. Sen. ep. 67 : « Adspice M. Catonem, sacro illi pectori sævissimas manus admoventem, et vulnera parum demissa laxantem. Utrum illi tandem dicturus es : vellem quæ velles, et moleste fero? an feliciter quod agis? » MURET.

55. *Chorda tenditur.* Tralatio a sagittariis, qui, quum mittere telum volunt, tendunt arcum. Quasi dicat : Tibi infortunium imminet. LAMB. — Alii volunt « tibi parantur vincula ». Sed vinculis ferreis, nervo, non chorda quæ ex intestinis animalium ducebatur, ad vinciendos noxios usi sunt Veteres. Chorda vel ad arcum, vel, quod magis vulgatum, ad lyram pertinet. Quid si intelligas per ironiam « tibi carmen et cantus parautur » ? Sed Bothius, qui invenit, in MSS et vett. edd. *tuusne* pro *tum*, dein abesse *tibi*, et *cor* pro *chorda*, sic legit : « herus peregre venit. SIM. Tuusne? tunc tunc contendetur (scilicet jurgio). Indet (herus) in. ferriterium ». N.

58. *Patrone, salve.* Sic eos, quorum patrocinio usuri erant, salutabant. Etiam hac formula manumissi patronos suos salutabant. GRONOV.

59. *Nihil moror.* Cf. Captiv. III, 1, 11. N.

60. *Nunc hoc quod*, etc. Nunc hoc dicam, ob quod, etc.

64. *Tam liquidu'st, quam liquida esse tempestas solet. Turbare* et *liquare* contraria sunt, et in liquore ponuntur : quod vel ex Plaut. Most. II, 1, liquet, ubi servulus : « Efficiam, inquit, quæ facta hic turbavimus, Profecto ut liqueant omnia et tranquilla sint ». Inde ad alia transferuntur, ut *liquida æthra*, quæ opponitur turbido aeri : *liquidus ignis* est purus, tenuis, clarus : « liquidum auspicium », Epid. II, 2. « Liquidus animus », Pseudol. I, 3. TURN. — *Quam liquida esse temp. solet.* Quam liquida tempestas esse solet liquida. LAMB.

65. *Opere max.* Mil. I, 1, 75.

Ut sibi liceret inspicere has ædeis tuas.
SIM. Non sunt venaleis. TRAN. Scio equidem istuc : sed senex
Gynæceum ædificare volt heic in suis,
Et balineas et ambulacrum et porticum.
SIM. Quid consomniavit? TRAN. Ego dicam tibi :
Dare volt uxorem filio quantum pote'st :
Ad eam rem facere volt novom gynæceum.
Nam sibi laudasse hasce ait architectonem
Nescio quem, esse ædificatas has sane bene.
Nunc hinc exemplum capere volt, nisi tu nevis.
SIM. Næ ille malo quidem ab opere exemplum petit.
TRAN. Quia heic audivit esse æstatem perbonam :
Subdiu coli absque Sole perpetuam diem.
SIM. Imo, edepol, vero, quom usquequaque umbra 'st, tamen
Sol semper heic est usque a mani ad vesperum,
Quasi flagitator adstat usque ad ostium.
Nec mihi umbra usquam 'st, nisi in puteo quæpiam 'st.
TRAN. Quid, Sarsinatis ecqua 'st, si Umbram non habes?
SIM. Molestus ne sis : hæc sunt sicut prædico.

69. *Ambulacrum et porticum.* Notari meretur, in privatis ædificiis fuisse et ambulationes et porticus. GUTHER.

70. *Quid consomniavit?* Τί ἐκεῖνος ὀνειροπολεῖ· unde hoc ei iam stulte venit in mentem? TURN.

71. *Quantum pote'st.* Cf. Bacch. II, 3, 114. N.

75. *Nisi tu nevis.* Curc. I, 1, 82.

78. *Subdiu.* Audivit eos qui incolunt has ædes posse degere sub dio, intra parietes non se continere, quam longus est dies.

79. *Imo, edepol, vero,* etc. Imo, inquit Simo, contrarium fit : nam quum ubique locorum umbra est, sol ad vespertinum tempus a matutino usque, quasi creditor importunus, hic pro foribus adstat. GR.

80. *A mani.* Sic et Servius in Æn. V, ubi docet, adverbia, si nomina fiant, declinari : ita in Mil. « de vesperi suo ».

83. *Sarsinatis.* Antiqui « Sarsinatis, infimatis, cujatis », quod posteriores dixere « Sarsinas, infimas, etc. » — *Umbram.* Jocus ex ambiguo. Nam et aerem lumine cassum et mulierem in Umbria natam idem nomen significare potest. LAMB.

84. *Mol. ne sis.* Tuarum argutiarum me tædet.

TRAN. Attamen inspicere volt. SIM. Inspiciat, si lubet.
Si quid erit, quod illi placeat, de exemplo meo
Ipse ædificato. TR. Eon'? vocehuc hominem? SIM. I, voca.
TRAN. Alexandrum magnum, atque Agathoclem aiunt maxumas
Duo res gessisse : quid mihi fiet tertio,
Qui solus facio facinora inmortalia?
Vehit hic clitellas, vehit hic autem alter senex.
Novitium mihi quæstum institui non malum :
Nam muliones mulos clitellarios
Habent; ego habeo homines clitellarios.
Magni sunt oneris; quidquid inponas, vehunt.
Nunc hunc haud scio an conloquar : congrediar.
Heus Theuropides. THEUR. Quis nominat me?
TRAN. Hero servos multum suo fidelis.
Quo me miseras, adfero omne inpetratum.
THEUR. Quid illeic, obsecro, tam diu restitisti?
TRAN. Seni non otium erat, id sum obperitus.
THEUR. Antiquom hoc obtines tuum, tardus ut sis.

88. *Alexandrum*, etc. Vide hujuscemodi gloriosam comparationem, Bacch. IV, 9.

91. *Vehit hic clitellas*, etc. *Vehit* dixit, non *gerit*; quia mulus, equus, camelus, bos, vehicula sunt. LAMB. — Cf. II, 1, 83.

95. *Magni sunt oneris*. Quem hic miseret ineptiarum, in quas putat incidisse interpretes, vellem misertum esset sui. Quis eum docuit, « magni oneris esse », ut intelligatur, ferundi, capiundi, latine non dici? At non eodem modo, « escæ maximæ esse, majoris cibi esse, multi meri esse, magni laboris esse » Plautus, Varro, Horatius dixerunt? Abstineat igitur corrigere : « Magni sunt. Oneris quidquid imponas, vehunt ». GRONOV.

96. *Haud scio, an conloquar*. Potuit servus inter molitiones istas, ut fit in malis consiliis, trepidare : aut certe simulare, novo aliquo et e re nata consilio sibi nunc subito opus esse. TAUBM. — Acidalius non videbat cur nunc servus deliberaret. Itaque mutabat, « nunc hunc auspicio conloquar », id est, re feliciter geri incipiente. Schmiedero libentius assentior, qui servum derisorie dubitare censet, an conloquatur cum homine clitellario, qui haud longe a jumento differat. N.

102. *Antiq. hoc obtin.* antiquum morem tuum retines. Conf. Andr. V, 4, 10. LAMB.

TRAN. Heus tu, si voles verbum hoc cogitare,
Simul flare sorbereque haud facile
Est; ego heic esse et illeic simul haud potui.
THEUR. Quid nunc? TRAN. Vise, specta tuo arbitratu.
THEUR. Age, duc me. TR. Num moror? TH. Subsequor te.
TRAN. Senex ipse te ante ostium eccum obperitur.
Sed mœstus est se hasce vendidisse.
THEUR. Quid tandem? TRAN. Orat ut suadeam Philolacheti,
Ut istas remittat sibi. THEUR. Haud opinor.
Sibi quisque ruri metit : si male emtæ
Forent, nobis istas redhibere haud liceret.
Lucri quidquid est, id domum trahere oportet.
TRAN. Misericordiam tamen habere hominem oportet.
THEUR. Morare, hercle, quom verba facis. TRAN. Subsequere. THEUR. Fiat.
Do tibi operam. TRAN. (ad Simonem.) Senex illic est : hem adduxi tibi hominem.
SIM. Salvom te advenisse peregre gaudeo, Theuropides.
TH. Di te ament. SIM. Inspicere te ædeis has velle aibat mihi.
THEUR. Nisi tibi incommodum'st. SIM. Imo commodum : i intro, atque inspice.

104. *Flare sorbereque*, quas duas res una eademque opera facere non possis, utpote quæ contrario actu fiant. N.

106. *Tuo arbitratu*. Cf. Bacchid. V, 2, 8.

111. *Ut istas remittat sibi*, venditione rescissa. Ern.

112. *Sibi quisque ruri metit*. Proverbium rusticum, quo significatur sibi quemque consulere. Lamb. — *Male emtæ*. Cf. Amph. I, 1, 132.

114. *Domum*, nobis. — *Istas redhibere haud liceret*. « Redhibitum, inquit Festus, id proprie dicitur, quod redditum est improbatumque ei, qui dedit, itemque rursus coactus est habere id quod ante habuit ». Lamb.

115. *Misericord. tamen*, etc. Vulgo, « Misericordias jam habere haud hominem oportet », et hunc versum Theuropidi attribuunt, sequentia Tranioni : *Morare*, etc. At quam damus Bothiana est, quæ videtur cum vett. edd. et cum ratione magis consentanea; quippe vafer servus vult, objecta mora, cupiditatem Theuropidis irritari, simul cavere conatur ne de emptione inter duos senes colloquium fiat. N.

THEUR. At enim mulieres. SIM. Cave ut ullam floccifaxis mulierem.
Qualibet perambula ædeis oppido tamquam tuas.
THEUR. Tamquam? TRAN. Ah cave tu illi objectes nunc in ægritudine,
Te has emisse: non tu vides hunc, voltu ut tristi est senex?
THEUR. Video. TRAN. Ergo inridere ne videare et gestire admodum;
Noli facere mentionem te emisse. THEUR. Intellego,
Et bene monitum duco, atque te existumo humano ingenio.
Quid nunc? SIM. Quin tu is intro, atque otiose perspectas, ut lubet?
THEUR. Bene benigneque arbitror te facere. SIM. Factum, edepol, volo.
TRAN. Viden' vestibulum ante ædeis hoc? et ambulacrum quojusmodi?
THEUR. Luculentum, edepol, profecto. TRAN. Age specta, posteis quojusmodi!
Quanta firmitate facti, et quanta crassitudine!
THEUR. Non videor vidisse posteis polchriores. SIM. Pol, mihi
Eo pretio emti fuerant olim. TRAN. Audin', fuerant, dicere?
Vix videtur continere lacrumas. THEUR. Quanti hosce emeras?
SIM. Treis minas pro istis duobus, præter vecturam, dedi.
THEUR. Hercle, quin multum inprobiores sunt quam a primo credidi.

125. *Inridere*, ridere præ gaudio in tua possessiune.

128. *Quid nunc?* Vox ultra pergere volentis.

129. *Factum volo.* Conf. Aulul. II, 1, 25.

130. *Viden' vestibulum*, etc. Ante hunc versum et præcedentem duo versus, « Vin' qui perductet? TH. Apage istum perductorem, non placet. SIM. Quid, quid, etc. » inseruntur in vulgatis edd. qui fere ad verbum post 154 iterum dantur. Quæ repetitio absurda est, nam postquam Theuropides ducem semel recusasset, importune eum illo fieret, si iterum Simo puerum juberet illi adesse. N.

134. *Eo pretio emti*, scilicet ut pulchri forent. N.

TRAN. Quapropter? THEUR. Quia, edepol, ambo ab infimo tarmes secat.

TRAN. Intempestivos excisos credo, id eis vitium nocet:
Atque etiam nunc satis boni sunt, si sint inducti pice.
Non enim hæc pultifagus opifex opera fecit barbarus.
Viden' coagmenta in foribus? THEUR. Video. TRAN. Specta, quam arcte dormiunt.

137. *Ab infimo tarmes secat. Tarmes*, is est Vitruvio, qui θρίψ græce vocatur. Ut intelligat vermiculatos et θριπηδέστους. Jam *secare* et *cædere*, aptum verbum ei rei. Lucilius : « Lanæ opus omne perit: squallor, tineæ omnia cædunt ». Nam Græci κόπτειν et κόπτεσθαι ὑπὸ σεῶν. SCALIG.

141. *Pultifagus opifex.* Intelligo Pœnum : hi enim lignario opere claruerunt : unde multa fabricæ ligneæ opera ab illis nominata, ut *lecti Punici*, Plin. lib. XXXIII, 11. *Fenestræ Punicanæ*, Varroni : et *torculare Pœnicum*, eidem : et *coagmenta Punicana*, quæ fideliter hærebant, nec hiascebant, apud Catonem. Itaque ab hac mente Plautus, quum vult ostendere ædium postes hiare, ait non esse factos a Pœno fabro : non enim hiascerent commissuræ, si Pœnus faber eas conjunxisset. SCALIG. — Pultiphagus opifex barbarus, accipiendum de Romano opifice. Pulte ut plurimum usi sunt veteres Romani. Res nota. SALM. —Verum vidit Salmasius, neque reperio qui Scaliger existimet Tranionem ostendere voluisse bietantis januæ vitium, siquidem connivere, commissura jungi aptissime significat. Scio cum hoc loco versus Pœnuli, prol. 52, 53, componi : « Carchedonius vocatur hæc comœdia, latine Plauti patruus Pultiphagonides ». Sed barbarus vulgo apud eumdem est Romanus, Italicus. Cf. Asin. prol. 11. Præterea Plinius, XVIII, 8 : « pulte, non pane vixisse longo tempore Romanos manifestum, quoniam inde et pulmentaria hodieque dicuntur... videturque tam puls ignota Græciæ fuisse, quam Italiæ polenta ». Varro γέροντι διδασκάλῳ· « simul trahere lanam, necnon simul oculis observare ollam pultis, ne aduratur ». Quid ergo? Plinius et Varro Plauto dissentiunt? non opinor; sed, iis auctoribus, Pœnos et Romanos pulte vesci solitos : at hoc loco pultiphagum esse romanum, qui barbarus Plauto dicatur, neque scitum opificem. N.

142. *Coagmenta.* « Coagmenta, inquit Nonius, dictæ sunt conjunctiones arctæ et compares : a cogendo, id est, stringendo : unde coagulum : hinc coagmentare ». — *Quam arcte dormiunt*, etc. Quia connivere dicuntur, qui dormitant : ut apud Cinnam lectus est versiculus : « Jam gravis ingenti connivere pupula somno » : ideo, quum in foribus juncturas esse minime laxas servus ostenderet, dormire eas ridicule prius, dein etiam connivere jocülariter dicit, ex oculis dormitantium ducta metaphora. POLIT.—*Dorm.* Veteres hac syntaxi indicat. pro conjunctivo posuere.

THEUR. Dormiunt? TRAN. Illud quidem, ut connivent, volui dicere.
Satin' habes? THEUR. Ut quidque magis contemplor, tanto magis placet.
TRAN. Viden' pictum, ubi ludificatur cornix una volturios duo?
Cornix adstat; ea volturios duo vicissim vellicat.
Quæso huc ad me specta, cornicem ut conspicere possies.
Jam vides? THEUR. Profecto nullam equidem illic cornicem intuor.
TRAN. At tu isto ad vos obtuere, quoniam cornicem nequis
Conspicari, si volturios forte possis contui.
THEUR. Omnino, ut te absolvam, nullam pictam conspicio heic avem.
TRAN. Age, jam mitto, ignosco; ætate non quis obtuerier.
THEUR. Hæc, quæ possum, ea mihi profecto cuncta vehementer placent.
SIM. Latius demum 'st operæ pretium ivisse. THEUR. Recte, edepol, mones.
SIM. Eho istum, puer, circumduce hasce ædeis, et conclavia.
Nam egomet ductarem, nisi mihi esset ad forum negotium.
THEUR. Apage istum a me perductorem : nihil moror ductarier.

144. *Satin' habes?* Contentusne es? N.

145. *Viden' pictum, ubi ludificatur.* Hoc fingit : nam nusquam hæc pictura in ædibus Simonis erat. Per *cornicem* autem se Tranio intelligit, per *volturios* senes duos : vel propter capitum canitiem, vel propter defloccatam calvitii deformitatem, vel etiam ob avaritiam. DOUZA.

149. *At tu isto ad vos obtuere. Ad vos*, id est, in eam partem, ubi vos estis. Facete enim jubet senem in eam partem oculos flectere, ubi ambo sunt : quasi ibi sint duo volturii picti : quum tamen alii nulli volturii essent præter senes ipsos, quos Tranio per *volturios* significat. DOUZA.

151. *Ut te absolvam*, ne te diutius morer.

157. *Perductorem.* Asconius ad Cic. lib. I in Verrem, « lenonum, aleatorum, perductorum nulla men-

Quidquid est, errabo potius, quam perductet quispiam.
SIM. Ædeis dico. THEUR. Ergo intro eo sine perductore. SIM. I, licet.
THEUR. Ibo intro igitur. TRAN. Mane, sis: videam, ne canis... THEUR. Agedum vide.
TRAN. Est. THEUR. Ubi canis est? TRAN. Abi dierecta: st! abin' hinc in malam crucem?
At etiam restas? st! abi istinc. SIM. Nihil pericli est, age.
Tam placida 'st, quam est aqua; vise: ire intro audacter licet.
Eo ego hinc ad forum. THEUR. Fecisti conmode; Bene ambula.
Tranio age, canem istam a foribus abducat face,
Etsi non metuenda'st. TRAN. Quin tu illam adspice, ut placide adcubat!

tio fiat », sic enarrat: lenones sunt scortorum, perdoctores etiam invitarum personarum, et in quibus stupra exercita legibus vindicantur. — *Ductarier.* Conf. Asin. I, 3, 12. N.

158. *Quidquid est.* Quantumvis perplexæ sint ædium ambages. Alii volunt, « Quid? quid est? » insolens. N.

159. *Ædeis dico.* De ædibus meis loquor, in quibus nemo ductatur, ut intelligis: namque non libera lustra sunt. N.

160. *Videam, ne canis,* sit aliqua mordax in introitu, quæ domus custos in te ignotum sæviat: quem Seneca, de Ira, III, 37, *canem catenarium*, appellat. Ut sibi caverent, qui domum ingredi vellent, inscriptum erat januæ longis literis: *cave canem.* Quia non solum vivus canis accubare solebat, sed etiam sculpi vel januæ appingi cum ista inscriptione. POPMA.

161. *Est.* TH. *Ubi canis est?* etc. Nihil est dubii, quin pro *est* hoc loco ubique legendum sit *st*, et *abi* pro *ubi*. Hoc modo: « St, abi canis, st, abi dierecta, st, abin' hinc in malam crucem? At etiam restas? st, abi istinc. SIM. Nihil periculi est, age ». Interjectiones enim *heu, o, papæ, au, st,* et similes animi motum exprimentes, sæpe actoris sunt, non poetæ, adeoque ad versum non pertinent. SCIOPP.

163. *Tam placida 'st, quam est aqua.* Tam placida est, quam mare, quum tranquillum est. Nam et *aqua* dicitur, quum æquata est, ut in tranquillitate, *unda*, in tempestate. TURN.

164. *Fecisti conmode,* i. q. benefecisti, locutio gratias agentis. — *Bene ambula.* Formula bene precandi abeunti. N.

165. *Abducat* puer. Sæpe nomen subauditur. Conf. Menæchm. III, 1, 9.

Nisi molestum vis videri te, atque ingnavom. THEUR. Jam ut lubet,

Sequere hac igitur. TRAN. Equidem haud usquam a pedibus abscedam tuis.

SCENA TERTIA.

TRANIO, THEUROPIDES.

TRAN. Quid tibi visum 'st hoc mercimoni? THEUR. Totus gaudeo.

TRAN. Num nimio emtæ tibi videntur? THEUR. Nunquam, edepol, me scio

Vidisse usquam abjectas ædeis, nisi modo hasce. TRAN. Ecquid placent?

THEUR. Ecquid placeant, me rogas? imo, hercle, vero perplacent.

TRAN. Quojusmodi gynæceum? quid porticum? THEUR. Insanum bonam.

Non equidem ullam in publico esse majorem hac existumo.

TRAN. Quin ego ipse et Philolaches in publico omneis porticus

Summs conmensi. THEUR. Quid igitur? TRAN. Longe omnium longissuma 'st.

THEUR. Di inmortaleis! mercimoni lepidi! si, hercle, nunc ferat.

3. *Abjectas ædeis*, vili venditas. Sic Phædrus, fab. 63: « Agros abjiciet mœcha, ut mundum paret ». Ubi opportune elegantissimus Tan. Faber addidit ex Terentii Adelph. IV, 7: « quæ quantum potest, Aliquo abjicienda est, si non pretio, gratiis ». Ad quod offendit Guidetus subjiciendo, *abigenda*, l. 36, § 1, D. Mandati: « Quid enim fiet, si exiguo pretio hi, cum quibus tibi communis fundus erat, rem abjicere, vel necessitate rei familiaris, vel alia causa cogerentur? » GRON.

4. *Ecquid*. Bacch. IV, 10, 10.

5. *Insanum*. Cf. Bacch. IV, 5, 1.

9. *Mercimoni lepidi!* Græcismus: in quo subintelligitur ἕνεκα, vel potius ὦ: ut Plato de Rep. lib. VI,

Sex talenta magna argenti pro istis præsentaria,
Nunquam adcipiam. TRAN. Si, here, te adcipere cupies, ego nunquam sinam.
THEUR. Bene res nostra conlocata 'st istoc mercimonio.
TRAN. Me suasore atque inpulsore id factum audacter dicito;
Qui subegi, fœnore argentum ab Danista ut sumeret,
Quod isti dedimus arrhaboni. THEUR. Servavisti omnem ratem.
Nempe octoginta debentur huic minæ? TRAN. Haud numo amplius.
THEUR. Hodie adcipiat. TRAN. Ita enim vero. Ne qua causa subsiet,
Vel mihi denumerato; ego illi porro denumeravero.
THEUR. At enim, ne quid captioni mihi sit, si dederim tibi.....
TRAN. Egone te joculo modo ausim, dicto aut facto fallere?
THEUR. Egon' abs te ausim non cavere, ne quid conmittam tibi?
TRAN. Quia tibi unquam quidquam, postquam tuus sum, verborum dedi?

Ἄπολλον δαιμονίας ὑπερβολῆς! Tale illud, ὦ Ζεῦ, τῆς ἄτης! Item: ὦ Ζεῦ, τῆς λεπτότητος τῶν φρενῶν! Eodem referendum illud II Æneidos: « Justitiæne prius mirer belline laborum! » L. — Lucan. II, 45, « o miseræ sortis ». — *Ferat*, offerat.

10. *Tal. magna*. Cist. II, 3, 19.

11. *Te adcipere cupies*. Cf. Casin. II, 4, 8.

15. *Omnem ratem*. Allegorice omnem rem familiarem. LAMB.

17. *Ne qua causa subsiet*. Ne aliqua difficultas oriatur in conficienda ratione, si tecum rem habeat; quia non emisti. Causa sæpe pro litigandi causa vel occasione. Cf. Asin. IV, 1, 44. N.

19. *Ne quid*, etc. Eadem formula qua servus ultro operam obtulerat, « ne qua causa, etc. » senex ludificans respondet, « ne quid captioni, etc. » neque spatium absolvendæ orationi dat Tranio. N.

20. *Joculo*. Vel in ludo, adeo non in re gravi. N.

21. *Egon' abs te ausim non cavere*, etc. Itane imprudens sim, ut mihi abs te non caveam? Comici faciunt senes deliros et credulos: sed tamen ita, ut habeant aliquod simulacrum prudentiæ. LAMB.

THEUR. Ego enim cavi recte : eam mihi debeo gratiam atque animo meo.
Sat sapio, si abs te modo uno caveo. TRAN. Tecum sentio.
THEUR. Nunc abi, i rus, dic me advenisse filio. TRAN. Faciam ut voles.
THEUR. Curriculo abi, jube in urbem veniat jam simul tecum. TRAN. Licet.
Nunc ego me illa per posticum ad congerrones conferam.
Dicam ut heic res sint quietæ, atque ut hunc hinc amoverim.

23. *Cavi recte : eam mihi debeo gratiam.* Quod nunquam deceptus sum, id non tibi, sed meæ prudentiæ debeo. ACIDAL.

24. *Modo uno.* Si aliquem invenio modum, quo a te caveam, me satis sapere credam. Adeo nequam es. N.

26. *Licet*, est annuentis, i. q. gallice *oui*. Cf. Rud. IV, 6, 8 seqq.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

PHANISCUS.

SERVI, qui, quom culpa carint, tamen malum
Metuunt, hi solent esse heris utibileis.
Nam illi, qui nihil metuunt, postquam sunt malum
Meriti, stulta sibi expetunt consilia.
Exercent sese ad cursuram, fugiunt: sed hi,
Si [quando] sunt reprehensi, faciunt a malo
Peculium, quod nequeunt facere de suo.
Augent ex pauxillo, thesaurum inde parant.

1. *Servi, qui*, etc. Vide hujuscemodi disceptationem Aulul. IV, 1; Menæchm. V, 6. — *Carint.* Docti censent antique positum pro *careant*. Sed Bothium offendit ea lectio, et emendat *caruit*, orationem per enallagen componens parem atque Curcul. I, 1, 17, « caruitne te febris ». N.

6. *Faciunt a malo*, etc. Dicitur « peculium facere a malo », quemadmodum « æs, divitias facere a malo »: quod antiquum est et elegans. Apul. lib. VI, « nisi vos putetis æs de malo habere »: ubi, *de malo æs*, furtis, latrociniis, fraudibusque partum. Sed Plautus in ambiguo ludit. *De malo* enim *peculium* vocat offerumentas et vibices e verberibus: quia *dare malum* est *verberare et plectere*. ACIDAL. — Sic Leonida largitur peculium suum, ultro dono oblatis, quas gerit in tergo prægnates ducentas plagas. Asin. II. 2, 8. N.

7. *De suo*, scilicet de demenso cibo, ventre fraudato, vid. Terent. Phorm. I, 1, 9, vel de parte lucri concessa, si quid artis mercede conducti exercent. Conf. Asin. II, 4, 35. N.

8. *Augent ex pauxillo. Paxillo* non mutandum in *pauxillo*, sed ambigua pronuntiatione pro hoc ipso capiendum: ut spectatores utrumque exaudiverint, dubii magisne e palo seu paxillo, an paulo seu pauxillo peculium augeri diceretur. Ad hunc jocum et sensum certe singula verba docent. Et vide ordinem: Peculium faciunt: id ex pauxillo augent: ita thesaurum parant. Parantur enim thesauri paulatim augendo. ACIDAL. — Nonne

Mihi, in pectore consili quod est,
Lubet cavere malam rem prius,
Quam ut meum tergum exsinceratum fiat.
Ut adhuc fuit, mihi corium esse oportet
Sincerum, atque uti vetem verberari.
Si huic inperabo, probe tectum habebo.
Malum quom inpluit cæteros, non inpluat mihi.
Nam ut servi volunt esse herum, ita solet.
Bonis boni sunt; inprobi, qui malus fuit.
Nam nunc domi nostræ tot pessumi vivont,
Peculi sui prodigi, plagigeruli : ubi advorsum ut
Eant vocantur hero : Non eo, molestus ne sis.
Scio quo properas : gestis aliquo jam, hercle;
Ire vis, mula, foras pastum : bene merens

est, « autea augent peculium pauxillo, scil. pœnis quotidianis, inde, tum, thes. par. pœna gravissima fugitivorum.

11. *Exsinceratum*, de sincero factum fœdum. Vid. vs. 13. Est a conjectura Camerarii : nam in MSS ejus et nonnullis vett. edd. locus misere depravatus.

14. *Si huic inperabo.* Obscura admodum sunt ista : nec, credo, genuina : nec placet aliorum expositio. Conabar potius : « usque uti vitem verberari : Sic huic imperabo : probe tectum habebo ». Hoc sensu : ut porro evitem verbera, sic huic ori imperabo (quod cum gestu pronuntiandum : ut digito labrum comprimat) probe tectum habeho, scil. os. Notum enim inter præcipuas servi virtutes silentium. Loquitur igitur tamquam de tecto : ut docent etiam quæ sequuntur. Pist. — *Huic* forsitan pro *mihi*, scilicet quum appetivero otium aut voluptatem. Conf. Bacch. IV, 4, 1.— *Probe tectum*, scil. corium. Alludit ad hunc modum loquendi, « sarta tecta habere ». Sua probitas tectum probe habebit illi corium, quominus verbera impluant. N.

16. *Nam ut servi*, etc. Par sententia Alexandri apud Curtium, VIII, 8, 8 : « regum ducumque clementia non in ipsorum modo, sed etiam in illorum qui parent ingeniis sita est ». N.

17. *Inprobi, qui malus fuit.* Sævi erga eum qui malus fuit.

18. *Vivont*, sunt. Conf. Casin. II, 8, 53.

19. *Peculi sui prodigi.* Nunc peculium vero sensu dicitur, non joculari, qualiter Lambinus existimat, ut supra vs. 7. — *Advorsum ut eant.* Cf. sup. I, 3, 1. N.

21. *Gestis aliquo.* Pruris cupidine eundi aliquo, scilicet ad popinam.

22. *Ire vis, mula, foras pastum.* Hæc et quæ praecedunt a vers. 20 verba sunt servorum domi desiden-

Hoc pretium inde abstuli : ita abii foras : solus
Nunc eo advorsum hero ex plurimis servis.
Hoc die crastini quom herus resciverit,
Mane castigabit eos bubulis exuviis.
Postremo minoris pendo tergum illorum, quam meum.
Illi erunt bucædæ multo prius quam ego
Sim restio.

SCENA SECUNDA.

SERVOS, PHANISCUS, THEUROPIDES.

SERV. Mane tu, atque adsiste inlico :
Phanisce, etiam respice. PHAN. Mihi molestus ne sis.
SERV. Vide ut fastidit simia!
PHAN. Mihi sum, lubet esse : quid id curas?
SERN. Manesne inlico, inpure parasite?
PHAN. Quî parasitus sum? SERV. Ego enim

tium, et servum frugi irridentium. Ire vis aliquo in popinam ut te farcias, sicut mulæ solent fractis retinaculis pastum ire. LAMB. — *Bene merens.* Pro benefactis meis hanc mercedem, dicteria scil. mordacia retuli. ERN.

26. *Bubulis exuviis.* Cf. IV, 1, 15; Stich. I, 2, 6; Trin. IV, 3, 4. N.

28. *Illi bucædæ.* Verum est ista terminatione ex nominibus et verbis composita habere agendi significationem, ut dicit Salmasius. Sed quale poterit esse proverbium, aut quo sensu commodo : « Bubulcus ille potius erit quam ego sim restio ». Non dubium est quin Plautus voluerit : « illi potius taureis aut loris e bovillo corio cædentur, quam ego committam, ut cædar restibus ». Sed quemadmodum posteriore verbo abusus est, ut *restionem* dixerit illum, qui restibus cæditur, quum revera *restio* sit, qui facit restes, non qui illas patitur, ita et *bucædam*, quem mortui incursant boves, quem boves cædunt, quum proprie sit is qui boves cædit. Neque enim *restionem* hic accepero, qui se suspendat, ut volunt. Persa, II, 4 : « Cædere hodie tu restibus ». GRON. — Hujusmodi rerum jocosa inversione alius dixit « ulmorum Acheruns », Amphit. IV, 2, 9, et alius : « Væ illis virgis miseris quæ hodie in tergo morientur meo », Captiv. III, 4, 117. N.

1. *Mane tu*, etc. Nunc unus ex iis de quibus secum Phaniscus loquutus est, mutata sententia venit officio functurus. LAMB.

4. *Mihi sum.* Cf. Bacch. I, 1, 39.

5. *Inpure.* Asin. II, 4, 66.

Dicam : cibo perduci poteris quovis.
Ferocem facis, quia te herus tam amat. PHAN. Vah !
Oculi dolent. SERV. Cur ? PHAN. Quia fumus molestus.
SERV. Tace, sis, faber, qui cudere soles plumbeos
Numos. PHAN. Non potes tu cogere me, ut tibi
Maledicam, gnovit herus me. SERV. Suam
Quidem, pol, culcitellam oportet. PHAN. Si sobrius sis,
Male non dicas. SERV. Tibi obtemperem, quom tu mihi
Nequeas ? PHAN. At tu mecum, pessume, i advorsum.
SERV. Quæso, hercle, Phanisce, abstine jam sermonem
De istis rebus. PHAN. Faciam, et pultabo foreis.
Heus, ecquis heic est, maxumam qui his injuriam
Foribus defendat? ecquis, ecquis huc exit, atque aperit?

8. *Ferocem facis.* Conf. Curcul. IV, 3, 7. — *Herus tam amat.* MSS ambo : « quia te eratus amat » : id est, æratus pro pecunioso, divite. Malaspina ad lib. I Epist. ad Atticum. ERN.

9. *Oculi dolent.* Cf. Asin. V, 1, 4. — *Fumus molestus.* Tu fumus es, i. e. vanus, nihili. At fumus oculis dolorem affert. N.

10. *Tace, sis, faber, qui cudere soles plumbeos numos.* Allegoria. Tace tu, qui simulatis officiis et speciosis dictis ac factis hero persuasisti te esse frugi servum, quum nequam sis. *Æratos obulos* Plautus vocat Græcorum χαλκοῦς et κολλύβους, quosvis parvi pretii numulos. Tales etiam Romanorum *lupini* et *plumbei* illi numi : de quibus Plautus hoc loco, et Martial. Epigr. X, 74. CASAUB.

12. *Gnovit herus me,* etc. Plauti versum exsulantem in veterem sedem restitui : præsertim quum ei nihil possit objici præter libertatem sermonis. Lege autem Julia non verba mœchantia, sed facta puniri receptum est. In duobus enim Vat. hæc inseruntur : « SERV. Suam sol ipse culticellam oportet. PH. Si sobrius sis », quæ germana Plauti verba esse, ne Carneades quidem ille dubitaverit, qui dubitare in omnibus solet, etc. Ita et Dolabella Cæsarem, qui *Delitium Nicomedis* audiebat, « spondam interiorem regiæ lecticæ », ab eadem causa dixit. LIPS.

13. *Oportet.* Intellige *noscere.* — *Si sobrius sis,* id est, non madidus vino. N.

14. *Tibi obtemperem.* Ita MSS; tamen Lambinus leg. *temperem,* quasi dicat : parcam maledictis in te, quum tu mihi non possis parcere ? quomodo et Horat. Od. III, 24. ERN.

15. *I advorsum.* Supra I, 3, 1.

18. *Qui his injuriam Foribus dedat?* Qui fores aperiat, ne a me effringantur. Proprie valde usus est verbo *defendere,* pro arcere, avertere. Sic Cæsar : « Et quod bellum non intulerit, sed defenderit », i. e. repulerit. LIPS.

Nemo hinc quidem foras exit; ut esse addecet
Nequam homines, ita sunt; sed eo magis cauto'st
Opus, ne huc exeat, qui male me mulcet.
Hic quidem neque convivarum sonitus, itidem ut antehac fuit,
Neque tibicinam cantantem, neque alium quemquam audio.
THEUR. Quæ illæc res est? quid illi homines quærunt apud ædeis meas?
Quid volunt? quid introspectant? PHAN. Pergam pultare ostium.
Heus, reclude; heus, Tranio, etiam aperis? THEUR. Quæ hæc est fabula?
PHAN. Etiamne aperis? Callidamati nostro advorsum venimus.
THEUR. Heus, vos pueri, quid isteic agitis? quid istas ædeis frangitis?
PHAN. Herus heic noster potat. THEUR. Herus heic voster potat? PHAN. Ita loquor.
THEUR. Puer, nimium es delicatus. PHAN. Ei advorsum venimus.
THEUR. Quoi homini? PHAN. Hero nostro: quæso, quoties dicundum'st tibi?

22. *Huc exeat*, etc. Sed tanto magis, quia sunt illeic nequam homines, mihi cavendum est, ne quis exeat qui me fœdum in modum verberet, quia fores vehementius pultaverim. LAMB.

24. *Neque tibicinam*, etc. Diebus festis post viscerationem, et, si nebulones essent, profestis, convivium fiebat ad tibias. Cf. Aulul. II, 4, 2, et alia organa. Vid. inf. vs. 43.

25. *Quæ illæc res est.* Nunc demum redit senex. N.

27. *Etiam aperis?* Conf. Curcul. I, 3, 33.

30. *Potat.* Conf. sup. I, 3, 137. — *Ita loquor.* Cf. Aulul. V, 1, 21.

31. *Puer, nimium es delicatus.* Alludere Plautum ad delicatos, qui et *catamiti* dicebantur, fero: nihil aliud eum dicere, non fero. Nam *nimium es delicatus*, est nimium ludis vel illudis, non serio agis. Ut Men. II, 3: « Eia delicias facis ». Milit. IV, 1: « Vide modo. PAL. Vah delicatus, quæ te tamquam oculos amet ». Pœn. I, 2: « Assum apud te eccum. AG. At ego te elixus sis volo. MI. Enimvero, here, delicias facis ». GRON.

THEUR. Puer, heic nemo habitat. Nam te esse arbitror puerum probum.

PHAN. Non heic Philolaches adulescens habitat hisce ædibus?

SERV. Senex hic cerebrosus est certe. PHAN. Erras pervorse, pater.

Nam nisi hinc hodie emigravit, aut heri, certo scio

Heic habitare. THEUR. Quin sex menseis jam heic nemo habitat. SERV. Somnias.

THEUR. Egone? SERV. Tu. THEUR. Tu ne molestus : sine me cum puero loqui.

PHAN. Nemo habitat? heic! THEUR. Ita profecto. PHAN. Nam heri et nudiustertius,

Quartus, quintus, sextus, usque postquam hinc peregre ejus pater

Abiit, nunquam heic triduum in unum desitum 'st esse et bibi.

THEUR. Quid ais? PHAN. Triduum in unum est haud intermissum heic esse et bibi,

Scorta duci, pergræcari, fidicinas, tibicinas

Ducere. THEUR. Quis istæc faciebat? PHAN. Philolaches. THEUR. Qui Philolaches?

35. *Cerebrosus est certe.* Cerebro male affectus, mente commotus. Horatius, Sat. I, 5 : « Cerebrosus prosilit unus », id est, ἀκρόχολος καὶ ὀξύθυμος, qui Virgilio dicitur *præceps animi* et *iræ impatiens.* — — *Erras pervorse.* « Fugit te ratio », ut loquitur Amph. I, 1, 230. LAMB.

41. *Triduum in unum*, pro « triduo uno », quantum temporis in spatium unius tridui producitur. — *Desitum 'st esse.* Lambinus vult *essi*, ut quadret hoc verbum cum sequente *bibi*. Sed quamvis dici soleat *estur*, durum tamen videtur *essi.* Neque necesse est formam passivi verbo *esse* dari, quum sit in *desitum 'st.* Ita Sallustius in oratione Memmii : « quidquid sine civium sanguine ulcisci nequitur ». Et Cæcilius apud Diomedem, « si non sarcire quitur ». At cur *bibi*, non *bibere?* Hæc est licentia sermonis Plautini, quam iteravit in seqq. vv. *duci, ducere*, quasi se non imprudentem, sed scientem volentemque abnorme fecisse testaretur. N.

42. *Quid ais?* aisne?

PHAN. Quoi patrem Theuropidem esse opinor. THEUR. Hei! hei! obcidi,
Si hæc hic vera memorat: pergam porro percontarier.
Ain'tu isteic potare solitum Philolachem istum, quisquis est,
Cum hero vostro? PHAN. Heic, inquam. THEUR. Puere, præter speciem stultus es.
Vide, sis, ne forte ad merendam quopiam devorteris,
Atque ibi meliuscule, quam satis fuerit, biberis. PHAN. Quid est?
THEUR. Ita dico, ne ad alias ædeis perperam deveneris.
PHAN. Scio qua me ire oportet; et quo venerim, gnovi, loci.
Philolaches heic habitat, quojus est pater Theuropides.
Qui, postquam pater ad mercatum abivit hinc, tibicinam
Liberavit. THEUR. Philolaches ergo? PHAN. Ita, Philematium quidem.
THEUR. Quanti? SERV. Triginta talentis. PHAN. Μὰ τὸν Ἀπόλλω! sed minis.
THEUR. Ain', minis triginta amicam destinatam Philolachi?

47. *Quisquis est*, sive Theuropides, sive alius sit filius. N.

48. *Præter spec. stultus es.* Quasi dicat: Formosus equidem es, sed isti formæ mens non respondet. LAMB.

50. *Atque ibi meliuscule.* Hoc sic explicandum. *Bene* interdum idem est quod valde aut multum. Sic auctor de bello Hispaniensi: « Bene multis vulneribus affecti in oppidum se contulerunt ». Et « bene magna prioris muri pars dejecta est ». Sic et *bene potum* dicimus, qui multum bibit. Cic. Fam. VII, 22: « Etsi domum bene potus seroque redieram ». Sic igitur *meliuscule* prorsus idem est hac in re, quod plusculum. Et frustra Gulielmius, *ne pluscule*: frustra Gruterus *meriuscule*. Nec satisfacit, qui *bene*, *melius*, *optime* agere notat dici et male agentes. GRON.

51. *Perperam*, errans.

56. Μὰ τὸν Ἀπόλλω! Cf. Captiv. IV, 2, 100. Græca haud semel latino sermoni inserta. Vide Casin. III, 6, 9; Pseud. I, 5, 69, II, 4, 22; Pœnul. V, 5, 34; Trin. III, 2, 79. Hoc amarunt poetæ latini, ex. gr. Lucilius, damnavit Horat. Sat. I, 10, 20 seqq. — *Sed minis.* Affirmat, jam non de talentis, sed de emptione et quidem minis transacta. N.

57. *Destinatam. Destinare* est emptione facta arrhabonem dare: ceterum pretium in diem differre. J. GUL. — Senex 30 minas a Danista sumptas nondum scit ibi collocatas.

PHAN. Aio. THEUR. Atque eam manu emisisse? PHAN. Aio.
THEUR. Et, postquam ejus hinc pater
Sit profectus peregre, perpotasse assiduo
Tuo cum domino? PHAN. Aio. THEUR. Quid, is ædeis emit heic proxumas?
PHAN. Non aio. THEUR. Quadraginta etiam dedit huic quæ essent pignori?
PHAN. Neque illud aio. THEUR. Hei! perdis. PHAN. Imo suum patrem illic perdidit.
THEUR. Vera cantas: vana vellem! PHAN. Patris amicus videlicet.
THEUR. Heu, edepol, patrem eum miserum prædicas!
PHAN. Nihil hoc quidem 'st,
Triginta minæ, præ quam alios dapsileis sumtus facit.
Perdidit patrem. Unus isteic servos est sacerrumus
Tranio: is vel Herculi conterere quæstum possiet.
Edepol, me ejus patris miseret: qui quom istæc sciet
Facta ita, amburet misero ei corculum carbunculus.
THEUR. Siquidem istæc vera sunt. PHAN. Quid merear, quamobrem mentiar?

61. *Huic*, Simoni qui hic habitat. Dicit hæc gestu demonstrativo. N.

63. *Cantas*, dicis; sed aliqua emphasis est, quasi diceret, hæc enarras ut vates, hariolaris. Conf. Trin. II, 2, 10, 69. N.

65. *Præquam*. Cf. Amph. II, 2, 3. — *Dapsileis*. Aul. II, 1, 45.

66. *Unus*. Conf. Men. I, 3, 19. — *Sacerrumus*, omnibus modis exsecrandus. Virgil. Æn. III: « Auri sacra fames ». Horat. Sat. I, 3: « intestabilis et sacer esto ». Vide Macrob. III, 7, et Festum in *Sacer*. TAUBM.

67. *Is vel Herculi conterere*, etc. Hyperbole. Dicitur in hominem maxime prodigum. Herculi enim decimæ voventur, quas hic facete *quæstum* appellat. CAS. — Hercules thesaurorum inventor laudabatur. Vide Horat. Sat. II, 6, 10-13. N.

68. *Qui quom istæc... ei*, etc. Cf. supra I, 3, 93.

69. *Amburet misero ei corculum carbunculus*. Id est, mœrore conficietur et contabescet. LAMBIN. — *Corculum*. Vulgo diminutiva pro positivis apud Veteres in usu fuerunt, vel in severo sermone. N.

70. *Quid merear*, quid mercedis feram ob mendacium? quid mihi prosit mentiri? LAMB.

Heus, vos, ecquis hasce aperit? THEUR. Quid istac pultas, ubi nemo intus?
PHAN. Alio credo comisatum abisse : abeamus nunc jam.
THEUR. Puere, jamne abis? libertas pænula'st tergo tuo.
PHAN. Mihi, nisi herum metuam et curem, nihil est quî tergum tegam.

SCENA TERTIA.

THEUROPIDES, SIMO.

THEUR. Perii, hercle, quid opus est verbis? ut verba audio,
Non equidem in Ægyptum hinc modo vectus fui,
Sed etiam in terras solas, orasque ultimas
Sum circumvectus, ita ubi nunc sim nescio.
Verum jam scibo : nam eccum, unde ædeis filius
Meus emit. Quid agis tu? SIM. A foro incedo domum.
THEUR. Numquid processit ad forum hodie novi?

73. *Libertas pænula 'st tergo tuo.* Jocus senis in puerum : quo significat, pænulam non habere. Libertas, inquit, pænula est, o puer, tergo tuo : et quum liber non sis, pænula cares, qua tergum tuum tegas : cui puer respondet acutissime et facetissime : sibi metum domini, et curam officii esse loco pænulæ, qua tergum tegat : significans, sibi tectum et tutum a verberibus esse tergum, non pænula, sed domini metu et cura. LAMB. — Sunt docti, qui censeant senem puero irridere noluisse, quippe haud satis æquum, neque decorum; et interpretantur « dignus es libertate quæ te a verberibus tegere debeat ». Cavillationem parum dignam esse fateor : sed hoccine est, quæso, unum in Plautinis fabulis exemplum cavillationis intempestivæ? Servus dixit *abeamus*. Sic dicant, si manu missi sint. Ergo senex : quando abis jam, inquit, et forsan peregre, libertate pænulatus, ibis, uam decet pænula uti viatorem. Simili de fonte jocum vides Amph. II, 2, 27. N.

1-4. *Ut verba*, etc. Mentem conturbat ea quæ modo audii, me ratio fugit; et dubito an peregrinatus in Ægyptum fuerim, adeo nunc nescio ubi sim. N.

5. *Eccum, unde.* Ecce venit ille, a quo filius emit ædes. Sæpissime adverbium loci pro relativo. Conf. Terent. Eun. prol. 11; Phorm. V, 6, 74; Horat. Sat. I, 6, 12. N.

6. *Quid agis.* Conf. Aulul. I, 2, 39. Vulgata, *quid ais*, sublesto sensu. N.

SIM. Etiam. THEUR. Quid tandem? SIM. Vidi ecferri mortuum. THEUR. Hem
Novom! SIM. Unum vidi mortuum ecferri foras;
Modo eum vixisse aiebant. THEUR. Væ capiti tuo!
SIM. Quid tu otiosus, res novas requiritas?
THEUR. Quia hodie adveni peregre. SIM. Promisi foras,
Ad cœnam ne me tu te vocare censeas.
THEUR. Haud postulo, edepol. SIM. Verum cras, nisi quis prius
Vocaverit me, vel apud te cœnavero.
THEUR. Ne istuc quidem, edepol, postulo. Nisi quid magis
Es obcupatus, operam mihi da. SIM. Maxume.
THEUR. Minas quadraginta adcepisti, quas sciam,
A Philolachete. SIM. Nunquam numum, quod sciam.
THEUR. Quid, a Tranione servo? SIM. Multo id minus.
THEUR. Quas arrhaboni tibi dedit? SIM. Quid somnias?
THEUR. Egone? at quidem tu, qui istoc te speras modo
Potesse dissimulando infectum hoc reddere.
SIM. Quid autem? THEUR. Quod me absente tecum heic filius
Negoti gessit. SIM. Mecum ut ille heic gesserit,
Dum tu hinc abes, negoti? quidnam? aut quo die?

8. *Etiam*, ita, affirmat.—*Ecferri mortuum.* Scilicet et funera ducta per forum, præcipue indictiva. Dion. Halic. Ant. Rom. lib. IV.

12. *Promisi foras.* Quasi dicat: Ne spem tibi facias, a me ad cœnam te vocatum iri, ut solent peregre advenientes: quia ipse alio jam condixi, neque domi cœnabo. *Promisi foras*, vetus loquendi modus, præceptis grammaticorum, ut videtur, repugnans. Sed non sine causa ita dicitur: tunc enim motus intelligitur: valetque sermo ille, « promisi, me iturum foras ». Utitur hac forma in Men. I, 2, Stich. et alibi passim Plautus. VICTOR. — Cf. Bacch. II, 2, 8, III, 6, 8, et inf. V, 2, 8.

15. *Apud te cœnavero.* Qui redierat, amicis a quibus exceptus erat, reddebat ipse convivium. Lusus in exitu præter exspectationem. Nam post illud « verum cras, nisi quis me vocaverit, exspectabatur *te accipiam*. N.

17. *Operam mihi da.* Cf. Curcul. II, 2, 9.

25. *Mecum ut ille.* Conf. Cistell. IV, 2, 10.

THEUR. Minas tibi octoginta argenti debeo.
SIM. Non mihi, quidem, hercle : verum, si debes, cedo.
Fides servanda 'st, ne ire infitias postules.
THEUR. Profecto non negabo debere, et dabo.
Tu cave quadraginta adcepisse hinc ne neges.
SIM. Quæso, edepol, huc me adspecta, et responde mihi.
Te velle uxorem aibat tuo gnato dare,
Ideo ædificare hoc velle aiebat in tuis.
THEUR. Hic ædificare volui? SIM. Sic dixit mihi.
THEUR. Hei mihi, disperii! vocis non habeo satis.
Vicini, interii, perii! SIM. Numquid Tranio
Turbavit? THEUR. Imo exturbavit omnia.
Te ludificatu'st et me hodie indignis modis.
SIM. Quid tu ais? THEUR. Hæc res sic est, ut narro tibi.
Te ludificatus et me hodie in perpetuum modum.
Nunc te obsecro, ut me bene juves, operamque des.
SIM. Quid vis? THEUR. I mecum, obsecro, una simul.
SIM. Fiat. THEUR. Servorumque operam et lora mihi cedo.
SIM. Sume. THEUR. Eademque opera hæc tibi narravero,
Quîs me exemplis hodie ille ludificatus est.

28. *Non mihi quidem*, etc. Ego sic conjicio : « Non memini quidem hercle, verum si debes, cedo ». *Si debes*, hoc est, quandoquidem debes. *Si* conjunctio indicativo juncta, rem magis indubitatam facit, inquit Priscianus. DISS. — Ut affirmabant pronomine, sic negabant negativa pronomini apposita. Conf. Amph. I, 1, 235. Ergo nihil mutandum. — *Cedo*, da.

29. *Postules*, velis.

31. *Hinc*, a me.

33. *Aibat* Tranio. Cf. III, 2, 71.

34. *Hoc*, i. e. ad hoc exemplum, hoc modo, inquit, demonstrata sua domo. Sed multi editores malunt *hinc*, scilicet, hinc sumpto exemplo. Cf. III, 2, 75. N.

35. *Hic*, ego. Cf. Bacch. IV, 4, 1. Alii volunt *hinc*. Sed Theuropides diceret *istinc*, nempe, e tua domo.

36. *Vocis non habeo satis*. Ἀφασία μ' ἔχει, id quod accidit derepente perterritis. CAM.

37. *Vicini*. Emendant *vicine*. At pluralem figuram malo, quæ fert quiritationem. N.

40. *Quid tu ais?* ain'? itane est?

44. *Et lora*. Conf. Captiv. III, 4, 125.

45. *Eadem opera*. Bacch. I, 1, 15.

46. *Quîs me exemplis*. Cf. Capt. III, 5, 33.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

TRANIO, THEUROPIDES.

TRAN. Qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit.
Atque equidem quid id esse dicam verbum nauci, nescio.
Nam herus me postquam rus misit, ut filium suom arcesserem,
Abii illa per angiportum ad hortum nostrum clanculum :
Ostium quod in angiportu est, horti patefeci foreis;
Eaque eduxi omnem legionem, et mareis et feminas.
Postquam ex obsidione in tutum eduxi maniplareis meos,
Capio consilium, ut senatum congerronum convocem.

1. *Nauci non erit. Naucum*, seu *nauci* alii dicebant esse id, quod in olea nuceque intus est; alii omnium rerum putamen; alii, fabæ granum, quod hæreat in fabæ hilo; alii, nucis juglandis medium dissepimentum; alii ex ναὶ καὶ οὐχὶ contractum. Fest. — At Plautus ipse non tanta doctrina se instructum fatebatur. Vid. vs. seq. N.

2. *Quid id esse dicam verbum nauci.* Quid significet hoc verbum *nauci* non possum etymon dicere.

3. *Nam*, disjunctiva. Cf. Amph. prol. 104.

5. *Ostium quod in angiportu.* Hæc syntaxis est : Patefeci fores horti, quod est ostium in angiportu. Figura syntaxis : *fores, quod ostium.* Horti fores erant ostium in angiportu. Acidal. — *Horti patefeci foreis.* Posticum et hortus, vulgo in angiportu, frons ædium in via. Cf. Asin. III, 3, 151. N.

6, 7. *Legionem... maniplareis.* Passim videas allegorias a re militari tractas, utpote apud bellicosum populum. Cf. Bacch. IV, 9, 145; Epid. II, 5, 36, 44, III, 2, 45. — *Ex obsidione.* Asin. II, 2, 14.

Quem quom convocavi, atque illi me e senatu segregant.
Ubi ego video rem vorti in meo foro, quantum pote'st,
Facio idem, quod plurimi alii, quibus res timida aut turbida'st :
Pergunt turbare usque ut ne quid possit conquiescere.
Nam scio equidem nullo pacto jam esse posse clam senem.
Sed quid hoc est quod foris concrepuit proxuma vicinia?
Herus meus hic quidem est, gustare ego ejus sermonem volo.

THEUR. Inlico, intra limen adstate illeic, ut quom extemplo vocem,
Continuo exsiliatis : manicas celeriter connectite.
Ego illum ante ædeis præstolabor ludificatorem meum,
Quojus ego heic ludificabo corium, si vivo, probe.

TRAN. Res palam'st : nunc te videre meliu'st, quid agas, Tranio.

THEUR. Docte atque astute mihi captandum'st cum illoc, ubi huc advenerit.

9. *Atque illi me*, nullam sibi moram adferunt, quin me segregent. *Atque*, pro statim. PALM. — Sic Epid. II, 2, 23; Bacchid. II, 3, 45; Merc. II, 1, 32. Virg. Georg. I, 201 : « Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum Remigio subigit, si brachia forte remisit, Atque illum in præceps prono rapit alveus amni ». Liv. XXVI, 37 : « Hinc Quintium simul pugnantem hortantemque suos incautum hasta transfigit. Ille atque præceps cum armis procidit ante portam ». GR.

10. *Rem vorti in meo foro.* Ubi ego video litem in meo foro agi, ita ut non possim recusare, quominus judicium accipiam et patiar, tum quantum fieri potest, facio idem, q. etc. I. e. quum ad eas angustias me redactum video, ut periculum devitare non possim. Hoc eo referendum, quod jure civili extra suum forum nemo judicium accipere cogitur : in suo autem debet. Et actor rei, non reus actoris, forum sequitur. LAMB.

13. *Esse posse clam senem.* Rem ignotam seni esse. N.

15. *Gustare*, audire. Cf. Aulul. III, 6, 1.

19. *Ludificabo corium*, tergum flagris et loris variabo. LAMB. — *Si vivo.* Bacch. IV, 5, 6.

20. *Meliu'st.* Asin. II, 1, 1.

21. *Captandum'st cum illoc*, cum Tranione. Insolentius paulo *captare cum aliquo:* sequente tamen sc. etiam dixit *cavere cum aliqua.* Accius : « Contra est eundum cautim et ca-

Non ego illi extemplo ita meum ostendam sensum : mittam lineam.
Dissimulabo me horum quidquam scire. TRAN. O mortalem malum!
Alter hoc Athenis nemo doctior dici potest.
Verba dare illi non magis hodie quisquam, quam lapidi, potest.
Adgrediar hominem, adpellabo. THEUR. Nunc ego ille huc veniat velim.
TR. Siquidem, pol, me quæris, adsum præsens præsenti tibi.
THEUR. Euge Tranio, quid agitur? TRAN. Veniunt ruri rustici.
Philolaches jam heic aderit. THEUR. Edepol, mihi obportune advenit.
Nostrum ego hunc vicinum opinor esse hominem audacem et malum.
TRAN. Quîdum? THEUR. Quia negat gnovisse vos. TRAN. Negat? THEUR. Nec vos sibi
Numum unquam argenti dedisse. TRAN. Abi, ludis me, credo : haud negat.
THEUR. Quid jam? TRAN. Scio, jocaris nunc tu : nam ille quidem haud negat.
THEUR. Imo, edepol, negat profecto; neque se has ædeis Philolachi
Vendidisse. TRAN. Eho, an negavit sibi datum argentum, obsecro?

ptandum mihi ». ACIDAL. — Sic « orare cum aliquo, queri cum aliquo, osculari cum aliquo », Plauto et aliis frequentia. GRON.

22. *Mittam lineam.* Tranionem captabo, ut piscem, missa linea.

23. *Malum*, vafrum, astutum.

24. *Doctior*, etc. Astutior, δεινότερος. Irridet herum : et significat, ei, stolido facile esse verba dare. LAMB.

25. *Quam lapidi.* Redit nunc ab ironia ad verum præter exspectatum. Conf. Mil. IV, 2, 34.

28. *Quid agitur* i. q. quid fit. Cf. Bacch. IV, 3, 12. — *Ruri*, e rure. — *Rustici.* Conf. Merc. IV, 3, 15.

THEUR. Quin jusjurandum pollicitus est dare, si vellem, mihi,
Neque se hasce ædeis vendidisse, neque sibi argentum datum.
Dixi ego istuc idem illi. TRAN. Quid ait? THEUR. Servos pollicitu'st dare
Suos mihi omneis quæstioni. TRAN. Nugas. Nunquam, edepol, dabit.
THEUR. Dat profecto. TRAN. Quin et illum in jus jube ire. THEUR. Jam mane.
Experiar, ut opinor; certum 'st. TRAN. Mihi hominem cedo.
THEUR. Quid si igitur ego arcessam hominem? TRAN. Factum jam esse oportuit:
Vel hominem jube ædeis mancupio poscere. THEUR. Imo hoc primum volo,

36. *Jusjurandum poll. dare.* Res apud judices plerumque, utpote apud populum literarum rudem, jurejurando transigebantur. Vide quæ ad Bacch. IV, 9, 117 notavimus. Et Amph. III, 2, 8. N.

38. *Dixi ego istuc idem illi.* Me jusjurandum ei daturum, ædes filium emisse, et argentum dedisse. Ita vulgatam lectionem interpretatur Lambinus. Sed ea haud dubie est corrupta. Neque tamen desunt versus aliquot, quod vult Acidalius. Aut fallor, aut scripsit Plautus: « Neque se hasce ædeis vendidisse, neque sibi esse argentum datum *dixit. Nego istuc idem illi* ». Quum jusjurandum daturum se polliceretur, diceretque se neque vendidisse ædes, neque argentum adcepisse, ego negavi vera esse ista quæ diceret. Responsio Tranionis: « Quid ait? » id est, quid tum dixit, quum tu negares vera ea esse quæ dixerat? plane ita legi postulat. BOXH.—Quid si, nulla voce mutata, interpreteris *istuc idem illi* eamdem rem quam ille; i. e. consensi ad illud quod obtulit, quando se jusjurandum promittebat se daturum, dixi et me velle? *Idem illi* i. q. idem ac ille.

39. *Quæstioni.* Servos tradituram se dixit, qui extorquerentur quæstione, an verum affirmet. Id jus erat. Nempe tormenta constanter perpessus est servus Antonii oratoris, et Milonis servos ad quæstionem illius inimici deposcebant.—*Nugas*, vana promissa. N.

40. *Jam mane.* Jam Tranio hortatus ad rapiendum hominem in jus, ipse abire properabat prudens. N.

42. *Factum jam esse oportuit.* Cf. Cist. IV, 2, 66.

43. *Vel hominem jube*, etc. Etiam jube ædes reposci jure mancipii ab homine. Poscere cum duobus accusativis, ut rogare, celare, po-

Quæstioni adcipere servos. TRAN. Faciundum, edepol, censeo : ego
Interim hanc aram obcupabo. THEUR. Quid ita? TRAN. Nullam rem sapis.
Ne enim illi huc confugere possint quæstioni quos dabit,
Heic ego tibi præsidebo, ne interbitat quæstio.
THEUR. Surge. TRAN. Minume. THEUR. Ne obcupassis, obsecro, aram. TRAN. Cur? THEUR. Scies.
Quia id enim maxume volo, ut illi istoc confugiant; sine.
Tanto apud judicem hunc argenti condemnabo facilius.
TRAN. Quod agis, id agas : quid tu porro vis serere negotium?
Nescis tu quam meticulosa res sit ire ad judicem.
THEUR. Surgedum huc : est consulere igitur quiddam quod tecum volo.

nebatur. Curcul. I, 1, 63, III, 1, 8. Pro *poscere* alii substituunt *posci*. Sed ut est, oratio rite componitur : jube (aliquem, me, si velis) poscere hominem ædes ». N.

45. *Aram obcupabo*. Abripi, aut in jus vocari non possunt, qui ad aras et fana deorum confugiunt. Cic. pro Domo sua; Plaut. Rud. III, 2. Duo perfugia habebant servi, *aram* et *deprecatorem*. Unde illud Terent. Heautont. V, 2, 22 : « Nec tu aram tibi nec precatorem pararis ». De *ara* habes exempla apud comicos, et in jure de servis ad statuas confugientibus : *deprecatorum* mentio etiam in Phormione, ubi *precator* dicitur. Meminit et JC. de ædilitio edicto. *Aræ* autem in scena veræ et propriæ : dextra Baccho in tragœdia, Apollini in comœdia : sinistra ei vel deo, vel divo, vel heroi, vel civi, cui fiebant ludi, aut justa aut parentalia. In iis verbenæ imponebantur Apollini, ut est in Andr. Terent. IV, 3, 11, Baccho hederæ. SCAL. — *Nullam rem* i. q. nihil pro *non*. *Nullam rem sapis*, stultus es, qui non caveas, ne hæc ara occupetur.

47. *Tibi præsidebo, ne interbitat quæstio*. In hac ara tibi ero quasi in præsidio collocatus, ne intereat quæstio. *Præsidere* verbum est operantium in casto proprium, in quo Plautus, more suo, ex ambiguo lusit. J. GUL.

49. *Istoc*, pro *istuc*, ut *hoc* pro *huc*. N.

50. *Argenti condemnabo*, faciam ut condemnetur ad restituendum argentum. N.

51. *Quod agis, id agas*. Attende, considera. Noli lite implicari temere. N.

52. *Meticulosa*, metuenda. Multa adjectiva in duplicem agendi et patiendi notionem sufficiunt. Ex. gr. ignarus, gratus, notus, impetrabilis. Inf. sc. 2, vs. 40. N.

TRAN. Sic tamen hinc consilium dedero : nimio plus sapio sedens.
Tum consilia firmiora sunt de divinis locis.
THEUR. Surge, ne nugare : adspicedum contra me. TRAN. Adspexi. THEUR. Vides?
TRAN. Video : huc si quis intercedat tertius, pereat fame.
THEUR. Quîdum? TRAN. Quia nihil quæsti siet : mali, hercle, ambo sumus.
THEUR. Perii! TRAN. Quid tibi'st? THEUR. Dedisti verba. TRAN. Quî tandem? THEUR. Probe
Me emunxti. TRAN. Vide, sis, satine recte? num mucci fluunt?
THEUR. Imo etiam cerebrum quoque omnem e capite emunxti meum.
Nam omnia malefacta vostra reperi radicitus.
Non radicitus quidem, hercle, verum etiam eradicitus.
Nunquam, edepol, hodie inultus destinaverim tibi.

54. *Nimio plus sapio s.* « Romanus sedendo vicit, et sedendo prudentiores efficimnr » : romana est sententia. Subest autem jocus ex ambiguo. Nam et qui aram occuparant, quique ad aram deos venerabantur, et precabantur, sedebant : et qui de re aliqua consultabant, sedebant. Cujns rei causa forte ista est, quod judex animo constante, et sedato, et bene composito esse debet. Talis autem magis esse potest, qunm etiam corpus est qnietnm. Quo et Plautus hic, sed ludeus respexit. POLLETUS.

55. *Tum*, deinde, præterea. Cf. Milit. III, 1, 74, 101, 103. — *Consilia firmiora sunt de div. locis.* Quod apud Rom. plerumque senatus haberetur in templis deorum, ut in æde Concordiæ, in templo Jovis Capitolini, Honoris, Pacis, etc. Tnm reges in templis sedentes snis civibus jnra dàbant : et item in templis legatos ad se missos audiebant. Virg. Æn. I et VII. LAMB.

56. *Adspicedum contra me.* Confirmantis est. Amph. II, 2, 118, et Merc. V, 4, 53.

58. *Quia nihil quæsti siet.* Qnasi dicat : Nos dno adeo probi sumns fallaciarum artifices, nt si quis tertius ex fallaciis lucrnm facere, et nobiscnm eumdem quæstum factitantibns certare velit, procul dnbio frigeat ille fameque perest. LAMB.

64. *Inultus destinaverim tibi.* Si vulgatam hanc retines, sensus est : Non ita tibi mente pararim (supplicium) ut maneam inultus. Sed cnm Salmasio Acidalius emendat. « Nunquam, edepol, hæc hodie inultns designaveris mihi », i. e. non hæc

Jam jubebo ignem et sarmen, carnufex, circumdari.

TRAN. Ne faxis : nam elixus esse, quam assus, soleo suavior.

THEUR. Exempla, edepol, faciam ego in te. TRAN. Quia placeo, exemplum expetis.

THEUR. Loquere. Quojusmodi reliqui, quom hinc abibam, filium?

mihi feceris impunitus. Quæ de verbo *designare* aunotantur, vid. II, 1, 65. Hæc lectio sane multo vulgata commodior, et defendi facile potest, quia in MSS sæpissime coofunduntur verba destinare et dissignare. N.

65. *Jam jubebo ignem*, etc. Ab ara neminem licebat vi abripere : ut tameo arcerentur inde, admovebant igoem, atqoe ita non ab homioibus, sed a deo (Volcaoo), amoveri credebantur. TURNEB. — Neque igne tsotom admoto, sed et clausis templis olim factnm, ut perirent, qnl ad aras et templa, ut asyla, coofugerant. Nobilis est Nepotis in Pausania locus : « Io ædem Minervæ, quæ Chalciœcus vocatur, Pansaoias confugit. Hinc ne exire posset, Ephori valvas ejus ædis obstruxeruot, tectumqoe sunt demoliti, quo facilios sub dio interiret ». BOXHORN. — Hermiooe mioator eodem modo flammas Aodromachæ, Euripid. Andromach. vs. 255-257. N. — *Et sarmenta carnufex*, etc. Acad. « Jam jobe igoem et sarmeo carnufex ». Quod qoum mirarer, recurro ad excerpta MSS codd. Camerarianorum, quæ mihi legavit Pareos. Io quibus invenio totidem verbis : V. C. *sarmen*. Dec. *sarnem*. Edit. pr. Veo. *earnem*. Sic ibi. Gruterus traosiloit. Sed profecto scribeodum : « Jam jubebo igoem et sarmen, carnufax, circumdari ». *Sarpo* (unde *sarpta vineta* apud Festum, et *sarpuntur vineæ*), *sarpimen*, *sarpimentum*, contractius *sarmen* et *sarmentum*. Itaque *sarmen* et *sarmentum* eadem res, ut *vimen* et *vimentum*. Atqne ut versus constet, memioeris postremam in *jubebo* noo coalescere cum prima syllaba vocis sequentis : quasi esset : « Jsm jubebod ignem et sarmeo » : et est trochaicus perfectissimos. Neque enim dubitandum, quio scripserit *jubebo* Plautus, etsi scripti, « jubeo, jubo, jobe ». GRON.

66. *Elixus*, etc. Pœn. I, 2, 67.

67. *Quia placeo*, etc. Lodit io ambignitate exempli. Senex denuntiavit se velle exemplnm in servo fieri pænale, quod aliis, si peccare audeant, documento sit. Sed cavillator fingit velle senem, quod imitetur habere. « Quia placeo, inquit, scilicet probus histrio, exemplnm a me expetis ». Neque mirum, si Tranioοem quasi exuat et se profiteatur histrionem. Vid. Amph. III, 1, 1-8; Bacch. IV, 1, 1. Sed non vehemeoter impogno, qoomious iotra fabulæ fines consistens Tranio dixerit : quia placeo tibi, ot frogi servus, me vis aliis exemplo proponere. Licet *placere* histrionicum verbum in hac re sit. Amphitr. prol. 84. N.

TRAN. Cum pedibus, manibus, cum digitis, auribus, oculis, labris.

THEUR. Aliud te rogo. TRAN. Aliud ergo nunc tibi respondeo.

Sed eccum tibi gnati sodalem video huc incedere

Callidamatem : illo præsente mecum agito, si quid voles.

SCENA SECUNDA.

CALLIDAMATES, THEUROPIDES, TRANIO.

CALLID. Ubi somnum sepelivi omnem, atque obdormivi crapulam,

Philolaches venisse mihi suum peregre huc patrem,

Quoque modo hominem advenientem servos ludificatus siet,

Ait : sese metuere in conspectum illius obcedere.

Nunc ego de sodalitate solus sum orator datus,

Qui a patre ejus conciliarem pacem : atque eccum optume.

Jubeo te salvere, et salvos quom advenis, Theuropides,

Peregre, gaudeo : heic apud nos hodie cœnes : sic face.

THEUR. Callidamate, di te ament, de cœna facio gratiam.

70. *Aliud ergo respondeo*, atque quod quærebas. Ergo tibi non respondeo. N.

72. *Si quid voles*. Incredibilis sane Tranionis protervitas, et ultra legem tenditur opus, sed magna vi comica. Parem Epidici, ultima scena, vidimus procacitatem, quæ tamen ratione et vera confidentia niteretur. N.

5. *De sodalitate solus*. Solus e cunctis sodalibus electus. — *Orator datus*. Ingenui mittebant, dabant oratorem, servi precatorem. Conf. Amph. prol. 34. N.

8. *Apud nos hodie cœnes : sic face.* Vulgo, « apud nos hodie cœnes. TR. Sic talem, Callidamate, dei te ament », perperam. Schoppianam lect. damus multo elegantiorem et ingenio Plautino convenientem magis. Nam quum MSS viderit *sic tale*, sapientissime animadvertit vulgo librariorum oscitantia commutationem literarum *t* pro *f*, et *l* pro *t* factam persæpe, et *l* ac *t* perquam similes esse in MSS. Præterea quam dedit lectionem, ea Plautinis argumentis asseritur. Stich. I, 3, 31; III, 2, 19. N.

9. *Facio gratiam*, remitto. Nam quasi debebatur. Cf. IV, 3, 12.

CALLID. Quin venis? TRAN. Promitte; ego ibo pro te, si tibi non lubet.

THEUR. Verbero, etiam inrides? TRAN. Quian' me pro te ire ad cœnam autumo?

THEUR. Non enim ibis : ego ferare faxo, ut meruisti, in crucem.

CALLID. Age, mitte ista, et ito ad me ad cœnam. TRAN. Dic venturum : quid taces?

CALL. Sed tu istuc quid confugisti in aram inscitissimus?

TRAN. Adveniens perterruit me. (ad Theuropidem.) Loquere nunc, quid fecerim :

Nunc utriusque disceptator, eccum, adest, age, disputa.

THEUR. Filium conrupisse aio te meum. TR. Ausculta modo.

Fateor peccavisse, amicam liberasse, absente te:

Fœnori argentum sumsisse, id esse absumtum prædico.

Numquid aliud fecit, nisi quod faciunt summis gnati generibus?

THEUR. Hercle, mihi tecum cavendum 'st : nimis quam es orator catus.

CALLID. Sine me dum istuc judicare. (ad Tranionem.) Surge, ego isteic adsedero.

THEUR. Maxume, adcipito hanc ad te litem. TRAN. Enim isteic captio 'st.

11. *Autumo.* Cf. Amph. I, 1, 50, II, 2, 120.

12. *Ferare.* Noxios servos vinciri et sublimes, i. e. humeris lorariorum rapi ad supplicium herus jubebat. Terent. Andr. V, 2, 20. De autithesi *ire et ferri* vid. Amph. I, 1, 201, 202. N.

13. *Mitte*, omitte, obliviscere.

20. *Numquid aliud*, etc. Sic tangebat multos nobiles viros, innominatos qnidem. Nævinm pœnituit quod in Scipionibus Metellisque corripiendis fuisset audentior. Sed Plautus haud semel multitndinis censorem gessit. Cf. Bacchid. epil. Trucul. I, 2, 5-13. N.

21. *Tecum cavendum 'st.* Cf. scen. præced. vers. 21. — *Nimis quam.* Supra II, 2, 79.

22. *Surge, ego isteic adsedero.* Orator surgit : judex considet : unde dictæ sunt in jure, *sessiones judicum.* Orator stat, ad majorem prophasin actionis et pronuntiationis. POLET.

23. *Maxume*, volo.—*Captio 'st*, insidiæ, fraus. Epid. II, 2, 112.

Fac, ego ne metuam igitur, et ut tu meam timeas vicem.
THEUR. Jam minoris omnia facio, præ quam quibus modis
Me ludificatus est. TRAN. Bene, hercle, factum, et factum gaudeo.
Sapere istac ætate oportet, qui sunt capite candido.
THEUR. Quid ego nunc faciam, si amicus Demipho, aut Philonides?
TRAN. Dicito iis, quo pacto tuos te servos ludificaverit:
Optumas frustrationes dederis in comœdiis.
CALLID. Tace parumper: sine vicissim me loqui: ausculta. THEUR. Licet.
CALLID. Omnium primum, sodalem me esse scis gnato tuo.
Is adiit me; nam illum prodire pudet in conspectum tuum,
Propterea, quæ fecit, quia te scire scit: nunc te obsecro,
Stultitiæ adulescentiæque ejus ingnoscas, tuus est.
Scis solere illanc ætatem tali ludo ludere.
Quidquid fecit, nobiscum una fecit, nos deliquimus.
Fœnus, sortem, sumtumque omnem quî amica est, omnia
Nos dabimus, nos conferemus, nostro sumtu, non tuo.
THEUR. Non potuit venire orator magis ad me inpetrabilis,
Quam tu, neque illi sum iratus, neque quidquam subcenseo.

25. *Jam minoris*, etc. Non tanti facio damnum, quam dedecus.

26. *Bene, hercle, factum, et factum gaudeo.* Hoc antiqui moris erat, tum, quando non pœnitere se facti dicerent, sed voluptatem ex eo capere: « Gaudeo factum, si quid tibi feci quod placet ». PALM.

27. *Sapere*, annis edoctos providere. N.

28. *Si Dem. aut Philon.* sciant.

30. *Frustrationes.* Conf. Amph. III, 1, 15.

31. *Licet.* Bacch. I, 1, 1.

32. *Omnium primum.* Cf. Asin. III, 3, 60.

37. *Nobiscum*, sodalibus.

38. *Quî amica est*, quo pretio constat. *Quî* i. e. quo, pervulgatum.

40. *Inpetrabilis.* Πιθανώτερος, qui facile, quod vult impetrat. Sic *suasibilis vox*, ἐνεργητικῶς, persuadere efficax. « Delenefica et suada facundia » appellatur Symmacho, Epist. III, 6. Sic Terent. Phorm. I, 4, « causam vincibilem » dixit, quæ facile vincat, interprete Donato. GRON.

Imò me præsente amato, bibito, facito quod lubet;
Si hoc pudet, fecisse sumtum, subplici habeo satis.
CALLID. Dispudet. TRAN. Dat istam veniam; quid me fiet nunc jam?
THEUR. Verberibus cædere, lutum, pendens. TRAN. Tamenetsi pudet?
THEUR. Interimam, hercle, ego, si vivo. CALLID. Fac istam cunctam gratiam:
Tranioni remitte, quæso, hanc noxiam causa mea.
THEUR. Aliquid quidvis inpetrari a me facilius perferam,
Quam ut non ego istum pro suis factis pessumis pessum premam.

43. *Subplici habeo satis*, satis exegi pœnam. Miranda sane patris tenacitas, qui filio flagitia ignoscat, modo sumptum facere nolit. Romanis haud absimile varo videbatur. N.

44. *Dispudet.* TR. *Dat istam.* Sane omnibus codicibus ignotum est τὸ *dat*, inventum Acidalio: sed non potest sententia melius expleri. Nisi malis: « CALL. Dispudet, da istam veniam. TR. Quid me ». Sic Casina, II, 8, 34. Omnes omnino scripti: « Bona multa faciam uxorem ». Ubi requiritur latens in similibus literis τὸ *clam*. Est etiam phrasis Plauti, « dare aliquam veniam », pro dare alicui veniam. Sic Cas. V, 4, 25: « Censeo ecastor veniam hanc dandam ». Sic enim scripti: ubi vulgo addiderunt *huic*. At est, qui mirifice turbet totum hunc locum, et tamen de commentis suis vetet dubitari. Facit primum: « supplicii jam habeo satis ». Quid opus illo *jam*? deinde: « ista venia quid mi fiet nunc jam? » sed quid est, « ista venia? » aut quis ita loquutus? Demus tamen intelligi posse *data*, vel impetrata, cur *mi*? An non hoc est fateri ignorantiam illius veteribus frequentissimi: « quid me fiat? » denique, « Tamen si me pudet? » qua parte melius est quam « tamen etsi me pudet? » GRON. — *Istam veniam*, quam deprecatus es. Notio secundæ personæ in voce *iste*. — *Quid me fiet.* Supra I, 3, 74.

45. *Lutum.* Positivum pro adjectivo sæpe. Curcul. I, 3, 34. — *Pendens.* Cf. Amph. I, 1, 124. — *Tamen etsi pudet.* Ridicula æquiparatione servi cum filio, exclamat Tranio: tu qui pœnitenti filio veniam dedisti, mihi, etiamsi pudeat, tamen non des veniam? N.

46. *Si vivo.* Bacch. IV, 5, 6. — *Istam*, quam concedis, ut vs. 44. N. — *Cunctam gratiam*, integram et plenam. GRON.

47. *Causa mea.* Conf. Amph. I, 3, 42. N.

49. *Pessum premam. Pessum ire*, perire est, ut *pessum dare*, perdere: et in eadem significatione, *pessum premere:* ducta tralatione a

CALLID. Mitte, quæso, istunc. THEUR. Hem, viden' ut restat furcifer? 50

CALLID. Tranio, quiesce, si sapis. THEUR. Tu quiesce hanc rem modo

Petere: ego illum verberibus, ut sit quietus, subegero.

CALLID. Nihil opus est profecto; age jam, sine te exorarier.

THEUR. Nolo ores. CALLID. Quæso, hercle. THEUR. Nolo, inquam, ores. CALLID. Nequidquam nevis.

Hanc modo unam noxiam, unam, quæso; fac causa mea.

TRAN. Quid gravaris? quasi non cras jam conmeream aliam noxiam: 56

Ibi utrumque, et hoc et illud, poteris ulcisci probe.

CALLID. Sine te exorem. THEUR. Age abi, abi inpune: hem huic habeto gratiam.

Spectatores, fabula hæc est acta: vos plausum date.

re maritima. Glossarium: *pessumdat*, βυθίζει, καταποντίζει· et alterum: καταβυθίζω, *demergo*, *pessumdo*. JAN. GUL.

50. *Restat*, remanet, residet in ara, exponit Lambinus: minus recte. Significat enim gestum servi magnifice et confidenter adstantis, in contemptum senis. Ideo monet eum Callidamates, ut quiescat, hoc est, modestior sit, et senem irritare desinat. Quod certe ad sedentem in ara dicere opus non fuisset. PIST.

51. *Si sapis*. Sup. II, 2, 83.

54. *Nevis* antique, i. q. non vis. N.

55. *Unam noxiam* condona.

56. *Conmeream*. Mereri, emereri bene facientis, commerere improbi. N.

58. *Hem huic habeto gratiam*, quod tibi ignosco, Callidamati grates age. N.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

PERSA.

DRAMATIS PERSONÆ.

TOXILUS, servus, amator Lemniselenes.
SAGARISTIO, servus, amicus Toxili.
SATURIO, parasitus[1].
SOPHOCLIDISCA, ancilla.
LEMNISELENE, meretrix.
PÆGNIUM[2], puer.
VIRGO, filia Saturionis.
DORDALUS, leno.

RES AGITUR ATHENIS.

1. *Saturio.* Vide I, 3, 22. N.
2. *Pægnium*, παίγνιον, deliciæ, lusus. Puer enim cavillator et dicax.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*P*ROFECTO domino, suos amores Toxilus
*E*mit, atque curat, leno ut emittat manu;
*R*aptamque ut emeret de prædone virginem
*S*ubornata suadet sui parasiti filia:
*A*tque ita intricatum ludit potans Dordalum.

1. *Profecto*, peregrinante.

3, 4. *Raptamque*, etc. Parasitus Toxili suam filiam ipse subornat, ut tradatur, venditione irrita, lenoni, qui raptam de prædone virginem et alienigenam sibi emptam credit pretiumque numerat. *Subornata filia.* Casu ablativo. N.

ALIUD ARGUMENTUM
CAMERARII.

Argumentum fabulæ est exile, amationis servilis, et jocosum ac plausibile in lenonis circumventione. Etiam parasiticæ levitatis exagitationem continet, dum Saturio filiam suam, cibi causa, non dubitat vendere. Josephus Justus Scaliger, Animadvers. in Eusebium, pag. 130 : « Constat hominem ex Perside Πέρσην dici, et latine Persam. Sic poeta Græcus, quisque is fuit, unde Plautus Persam fabulam suam vertit, sine ullo dubio Πέρσην illam inscripserat, et recte Plautus vertit Persam. Ibi enim parasitus pro homine Persa inducitur. At omnes editiones præ se ferunt Persam virginem filiam parasiti vocatam fuisse. Tollatur ergo delirium. Nam Persa est nomen gentilitium virile, non femininum ».

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

PERSA.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

TOXILUS, SAGARISTIO.

TOX. Qui amans egens ingressus est princeps in amoris vias,
Superavit ærumnis is suis ærumnas Herculis:
Nam cum leone, et cum excetra, cum cervo, cum apro Ætolico,
Cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mavelim,

1. *Princeps.* Ita recte legitur. Neque cum Meursio *princeps* in *priceps* aut *præceps* mutandum est. Sententia plana est. *Princeps* idem quod primum. Ejus, qui et amans et egens primum ingressus est amoris vias, ærumnæ ac labores superant labores et ærumnas Herculis. Sub initium enim amanti et simul egenti maximæ difficultates devorandæ sunt. Ergo dicitur, qui primum amare cœpit. Boxh. — Aliud, opinor, Plautus voluit ridicula emphasi, h. e. « qui primus amavit sine pecunia, etc. » Similis figura loquendi in alia re, Horat. Od. I, 2, 9-12. N.

3. *Cum excetra.* Id est, hydra, quam Heraclides Ponticus πολυκέφαλον ὕδραν appellat. Persequitur labores Herculis et Lucret. lib. V, sub initium, et Martial. Epigr. IX, 104, et Silius Italicus, III, et Diodor. Sic. IV, 3.

4. *Cum Antæo d.* « Cum Antæo me d. », ex Servio in Ecl. X. Scriv.

Quam cum amore; ita fio miser quærundo argento mutuo.
Nec quidquam, nisi, Non est, sciunt mihi respondere, quos rogo.
SAG. Qui hero suo servire volt bene servos servitutem,
Næ, edepol, illum multa in pectore suo conlocare oportet,
Quæ hero placere censeat præsenti atque absenti suo.
Ego neque lubenter servio, neque satis sum hero ex sententia;
Sed quasi lippo oculo me herus meus manum abstinere haud quit tamen,
Quin mi inperet, quin me suis negotiis præfulciat.
Quis illic est, qui contra me adstat? TOX. Quis hic est, qui contra me adstat?
Similis est Sagaristionis. SAG. Toxilus hic quidem meus amicus est.
TOX. Is est profecto. SAG. Eum esse opinor. TOX. Congrediar. SAG. Contra adgrediar.
TOX. O Sagaristio, di ament te. SAG. O Toxile, dabunt di quæ exoptes.
Ut vales? TOX. Ut queo. SAG. Quid agitur? TOX. Vivitur.

6. *Nisi, non est.* Conf. Trinum. III, 3, 32.

11. *Lippo oculo.* Uti tanquam lippo oculo, proverbium dicitur de re, qua carere non possumus, quum tamen damnosa nobis sit. Eleganter Plautus ad servos improbos traxit. Cf. Bacchid. IV, 8, 72. GRON. — *Manum abstinere.* Mostell. I, 3, 134.

12. *Præfulciat.* Est perlepidum dicendi genus. Hinc servus fidelis et bonus *columen familiæ* dicitur, Phormione: quod scilicet rebus heri sui fulcri et columinis vice sit. J. GUL.

13. *Contra*, adversus, in conspectu. Mutuæ noscitationis exempla vide Aulul. V, 1, 5; Bacchid. III, 6, 5; Epid. IV, 1, 10, et Rudent. II, 3, 4. N.

16. *Dabunt*, optando futurum inservit pro *dent.* Cf. Capt. IV, 2, 97, et Curc. II, 3, 47. N.

17. *Quid agitur.* Formula colloquium ineundi, similis nostratibus, « qu'est-ce qui se passe? — Qu'est-ce qu'on fait? — Quelles nouvelles? » — *Vivitur*, hoc respondens, nil respondere videtur, ut qui nil, quid narret, habeat; sed vide vs. 31. Figura unipersonalis sæpissime in hujusmodi interrogationibus idem valet ac *quid agis*, ut *quid fit* pro *quid facis.* Eodem modo gallice loquuntur. N.

SAG. Satin' ergo ex sententia? TOX. Si eveniunt quæ exopto, satis.

SAG. Nimis stulte amicis utere. TOX. Quid jam? SAG. Quia jam inperare oportet.

TOX. Mihi quidem tu jam eras mortuus, quia te non visitavi.

SAT. Negotium, edepol. TOX. Ferreum fortasse. SAG. Plusculum annum

Fui præferratus apud molas, tribunus vapularis.

TOX. Vetus jam istæc militia 'st tua. SAG. Satin' tu usque valuisti? TOX. Haud probe.

SAG. Ergo, edepol, palles. TOX. Saucius factus sum; in Veneris prælio

Sagitta Cupido cor meum transfixit. SAG. Jam servi heic amant?

TOX. Quid ergo faciam? disne advorser? quasi Titani, cum dis belligerem,

Quibus sat esse non queam?

SAG. Vide modo, ulmeæ catapultæ tuum ne transfigant latus.

TOX. Basilice agito eleutheria. SAG. Quid jam?

19. *Nimis stulte amicis utere*, nescis amicis uti. LAMB. — *Inperare oportet*. Qui officiose se gerere volunt, sic habent loquelam: tuum est imperare quod optes. Cf. Cist. IV, 2, 56, et Aulul. II, 2, 16.

20. *Mihi quidem*, etc. Tamdiu est, ex quo te non vidi, ut crederem te mortuum. Sic querentem, quod se amico non usus fuerit, contra accusat. N.

21. *Negotium* fuit mihi. — *Ferreum. Negotium ferreum* salse appellat compedes. LAMB. — *Plusculum annum*. Plusculam seu majorem anni partem. DOUZA.

22. *Tribunus vapularis*. Festivus jocus, cum allusione, quasi tribunus militaris apud Nolam. Sic in Mostell. ergastulos *genus ferratile* appellavit. LIPS.

26. *Quasi*. Capt. I, 1, 12.

27. *Sat esse*, resistere.

28. *Ulmeæ catapultæ*. Virgæ ex ulmo. Alias haud magis decoras parasitus catapultas memorat, Curcul. III, 1, 28. De metaphoris illis militaribus vide Epid. III, 2, 45.

29. *Basilice*. Epid. I, 1, 54. — *Eleutheria*, ob libertatem nactam festos dies agito. Eleutheria, festa quæ celebrabantur Græcis in honorem Jovis Eleutherii: quem et σωτῆρα vocabant. LAMB.

TOX. Quia herus peregre'st. SAG. Ain' tu, peregre'st?
TOX. Si tute tibi bene esse potes pati, veni, vives mecum,
Basilico accipiere victu. SAG. Vah, jam scapulæ pruriunt,
Quia te istæc audivi loqui. TOX. Sed hoc me unum excruciat.
SAG. Quidnam id est? TOX. Hæc dies summa hodie'st, mea amica sitne libera,
An sempiternam servitutem serviat. SAG. Quid nunc vis ergo?
TOX. Facere amicum tibi me potis es sempiternum. SAG. Quemadmodum?
TOX. Ut mihi des numos sexcentos, quos pro capite illius pendam,
Quos continuo tibi reponam in hoc triduo, aut quatriduo.
Age, si benignus, subveni.
SAG. Qua confidentia rogare tu a me argentum tantum audes,
Inpudens? quin si egomet totus veneam, vix recipi potessit,
Quod tu me rogas: nam tu aquam a pumice nunc postulas,
Qui ipsus sitiat. TOX. Siccine hoc te mihi facere? SAG. Quid faciam? TOX. Rogasne?
Alicunde exora mutuum. SAG. Tu fac idem quod rogas me.

31. *Tute*, tu. — *Bene esse*. Cas. II, 3, 37. — *Vives*. Verbum voluptariorum. Catull. Ep. 5. Petron. cap. 34: «Ergo vivamus, dum licet esse bene». N.

32. *Accipiere*. Bacch. V, 2, 63. — *Scapulæ pruriunt*, scil. mihi. Cf. Mil. II, 4, et Pseud. I, 1.—*Pruriunt*. Quum aliquam corporis partem prurire vel gestire Veteres sentirent, hoc præsagium erat imminere illi malam rem. Conf. Amph. I, 1, 139; Asin. II, 2, 49, et Bacch. V, 2, 75. N.

34. *Summa*, suprema. Cf. Asin. III, 1, 31, et Pseudol. I, 3, 140.

37. *Pro capite*. Most. I, 3, 54.

39. *Benignus*, liberalis, ut malignus, i. q. avarus. Cf. Menæchm. prol. 16. N.

41. *Totus veneam*, ipse cum peculio cæterisque quas res mecum porto. — *Recipi*, colligi possit pecunia ex auctione. N.

42. *Aquam a pum*. Simile gallicum, *tirer de l'huile d'un mur*. N.

43. *Quid faciam?* Quid facere possum? Subjunctivus sæpe potentialem sensum innuit. Cf. Cas. II, 3, 3, 38. N.

TOX. Quæsivi, nusquam reperi. SAG. Quæram equidem, si quis credat.
TOX. Nempe habeo in mundo. SAG. Si id domi esset mihi, jam pollicerer;
Hoc meum'st ut faciam sedulo. TOX. Quidquid erit, recipe te ad me.
SAG. Quære tamen; ego item sedulo, si quid erit, faciam ut scias.
TOX. Obsecro te, resecro; operam da hanc mihi fidelem. SAG. Ah, odio me enicas.
TOX. Amoris vitio, non meo, nunc tibi morologus fio.
At, pol, ego abs te concessero. SAG. Jamne abis? TOX. Bene ambulato.
Sed recipe te quam primum potes: cave fuas mihi in quæstione:
Usque ero domi, dum excoxero lenoni malum.

SCENA SECUNDA.

SATURIO.

Veterem atque antiquom quæstum meum alimoniæ
Servo atque obtineo, et magna cum cura colo.
Nam nunquam quisquam meorum majorum fuit,
Quin parasitando paverint ventres suos:

46. *Nempe habeo in mundo.* Ironice. Jam teneo pecuniam; ita firmam spem facis. Conf. Asin. II, 1, 16. – *Domi.* Cist. II, 1, 2.

47. *Hoc meum 'st.* Asin. I, 3, 38. — *Ut faciam sed.* ut omni ope atque opera tibi pecuniam sufficere enitar. N.

49. *Resecro.* Aulul. IV, 7, 4. — *Odio.* V, 2, 71.

50. *Morologus*, μωρὸς, λόγος, latine *stultiloquus.* Iuf. IV, 3, 46. Et *stultiloquium*, Mil. II, 3, 25. N.

51. *Jamne ab.* jubentis est celeriter abire. — *Bene ambulato.* Cf. Mostell, III, 2, 164.

52. *In quæstione.* Conf. Captiv. II, 2, 3.

1. *Veterem atque antiquom.* Vide Most. II, 2, 45.

2. *Obtineo.* Conf. Mostell. III, 2, 102.

Pater, avos, proavos, abavos, atavos, tritavos,
Quasi mures semper edere alienum cibum,
Neque edacitate eos quisquam poterat vincere.
His cognomentum erat duris capitonibus.
Unde hunc ego quæstum obtineo et majorum locum.
Neque quadruplari me volo; neque enim decet
Sine meo periculo ire aliena ereptum bona;
Neque illi, qui faciunt, mihi placent : plane loquor.
Nam publicæ rei causa quicumque id facit
Magis, quam sui quæsti, animus induci potest,
Eum esse civem et fidelem et bonum.

6. *Quasi mures*, etc. Cf. Captiv. I, 1, 9.

8. *Duris capitonibus. Durus* pro *impudente* etiam et *improbo*, antiquitus ponebatur : unde *duri capitones* hoc loco, « Ore improbo, duro ferreoque » (ut Terent. Catullus et Lucil. loquuntur), hoc est, perfricta fronte insignite præditi : cujusmodi habere parasitos convenit : allusumque est ad Capitonum familiam. Douza. — Olim inter alia instrumenta perditi luxus, et matulæ in triclinia inferri solitæ, quas sæpe, ubi incaluissent, in capita sibi invicem illiserunt. Hinc dicti propterea parasiti, *duri capitones*. Casaub. — Vera, opinor, Casauboni sententia, quam Plautus ipse comprobat, Captiv. I, 1, 20, III, 1, 12; Curcul. III, 1, 26, et Terent. Eun. II, 2, 13. N.

10. *Quadruplari me. Me*, abundat, id est, nolo quadruplator esse. Asconius : « Quadruplatores, accusatores, sive delatores criminum publicorum sub pœna quadrupli : sive, quod ipsi ex damnatorum bonis, quos accusaverant, quartam partem consequebantur ». Turn. — Fortasse magnatibus palpatur hoc loco. Namque haud ita diu tunc erat, ex quo leges agrarias et legem Liciniam de quingentis Gracchi moverant, et summus terror, ne possessionibus jure exturbarentur, iis fuerat, qui fraudem legi fecerant. Sed multo latius patebant quæstiones in fures publici, seu vera, seu falsa insectatio foret, et nunc poeta multorum injuria oppressorum agit causam. Haud semel Plautus jocando res serias tractavit, et quidem sapientissime. Vid. Asin. I, 1, 74; Aulul. II, 2, 51, III, 5, 4-60; Bacch. epilog. Curcul. IV, 2, 20; Epid. I, 1, 28-31; Pœn. III, 1. Quod Plautus tunc optabat, effecit, trecentis post annis, imperator philosophus, qui « calumniis quadruplatorum intercessit apposita falsis delatoribus nota ». Jul. Capitol. in Marc. Aurel. pag. 27, A, ed. Salmas. Quales Athenis sycophantæ, tales Romæ quadruplatores. N.

14. *Animus induci potest* meus ad credendum. Conf. Mercat. II, 3, 16. N.

15. *Fidelem*, qui fidem officii

Sed legirupam qui damnet, det in publicum
Dimidium; atque etiam mea lege adscribitor:
Ubi quadruplator quempiam injexit manum,
Tantidem ille illi rursus injiciat manum,
Ut æqua parti prodeant ad Treisviros.
Si id fiat, ne isti faxim usquam adpareant,
Qui heic albo rete alieno obpugnant bona.

exsequitur, quicumque sit illi locus, quodcumque munus. Gallice, *consciencieux*.

16. *Qui damnet*. Si quis faciat ut damnetur legirupa. *Damnare* hoc sensu apud Livium sexcenties. — *Det in publ.* velim eum remittere ærario dimidium mercedis suæ. Vid. vs. 10. N.

17. *Mea lege adscribitor*. Veteres quidem scripti et editi, *in ea lege*, unde alii, *in eam legem*, alii, *in ea lege*. Sed recte Gruterus *mea lege*, id est, me ferente: si mihi legis de accusatoribus ferendæ copia sit. Gron. — *Adscribitor* solemnis formula legum in parasitica edictione. Sic fere Horat. Sat. II, 1, 8. N.

18. *Quempiam*, in quempiam. Præpositio est in verbo *injexit*, injecerit. Verbum solemne « injicere manum », de eo qui rapit aliquem in jus. N.

19. *Tantidem*, etc. Ea sit lex, ut reus accusatori parem multam, scilicet quadrupli, irroget, si falso se accusatum evincat. N.

20. *Parti*. Capt. IV, 2, 27.

21. *Isti*. Cf. Epid. II, 2, 40. — *Faxim*. Aul. III, 5, et Capt. prol. 65. N.

22. *Albo rete*. *Albo rete* dixit Plautus, ut idem dicit, « homines creta sese occultare » (Aul. IV, 9), et Ennius, « Medeam gypsatis manibus ». Quæ omnia translatione dicta sunt de iis, qui dolos suos prætextu exornant, et illis aliquam bonam causam prætendunt, puta leges et jura, aut simile: quas fraudes εὐπροσώπους καὶ εὐπροφασίστους Græci vocant. Nec vero metaphora est a piscatione. Nam si ita esset, quomodo Plautus dixisset, *oppugnare*, non *captare*, aut *piscari*? Nullum est σχῆμα in v. *oppugnare*, sed allegoria est in v. *rete*. Nam leges *retia* vocat. Illis enim homines illaqueantur, ut feræ pedicis aut cassibus. *Albos*, ut dictum, εὐπροσώπους intelligit. Hæc est vera allegoriæ Plautinæ interpretatio. Nam proverbium non est: sed potius λόγος ἐσχηματισμένος. Scalig. — *Albo rete*. Locus et emendationum et explicationum fœcundus. In quo tamen solus aliquid vidisse videtur Gulielmius. Non enim alio hoc fit *albo*, quam prætoris, in quo is edicta, actiones, interdicta proposita habebat. Horum aliquid, de quibus ille scripserat, *judicium dabo*, arripiebant accusatores, et id migrasse docebant, quos facerent reos: ita eorum oppugnabant bona. Ergo *albo oppugnant* est formulis et actionibus ex albo sumptis. *Albo rete* vel *reti* per epexegesin, id est, tanquam reti: ut quum alibi, « Operam hanc celocem mihi, non

Sed sumne ego stultus, qui rem curo publicam,
Ubi sunt magistratus, quos curare oporteat?
Nunc huc introibo, visam hesternas reliquias,
Quieverint recte, necne; num infuerit febris,
Opertæne fuerint, ne quis obreptaverit.
Sed aperiuntur ædeis, remorandu'st gradus.

SCENA TERTIA.

TOXILUS, SATURIO.

TOX. Omnem rem inveni, ut sua sibi pecunia

corbitam date » : item, « cor acetum acre in pectore ». Comparat album retibus: ut apúd Ciceronem de Harusp. responsis: « Illaqueatus omnium legum periculis : irretitus odio bonorum ». Pro Milone : « illam belluam judicii laqueos declinantem ». Pro Cluentio : « Putant enim minus multos laqueos legum ac judiciorum sibi propositos esse oportere ». At est, qui neget latinum esse *retibus oppugnare*. At frustra negat. Sic Cynegeticorum scriptores, retia et plagas vocant *arma* venantum. Sic Manilius dicit, « pontum vinculis armare », quod nihil aliud est, quam retibus ductis infestum piscibus reddere : et frustra sollicitant docti. GRON.—Cl. BOUCHAUD censet restituendam lect. MSS, *albopariete;* quippe, Accursio auctore, vett. glossis adjuvantibus, Album fuisse gypsatum parietem, in quo prætor juris formulas, quibus actiones dictarentur, scribendas literis nigris curaret. Vid. Comment. Academiæ Inscripp. tom. XXXIX, pag. 319-321. N.

25. *Huc*, ad Toxilum.

26. *Quieverint recte*. Sic MSS. male subjecerunt : « Quæ invenerint recte, necne ». Quia enim adest matutinus, ut apparet ex sc. sequente, vs. 34, et adest visum, loquitur de cibis, ut solemus loqui, quibus officium matutinum præstamus decumbentibus: an recte quierint, num commotiuncculam senserint. Sic in Milit. III, 1 : « Priusquam lucet, assunt, rogitant, noctu ut somnum ceperim ». GRON.—Mos enim erat ut clientes januam patroni primo mane obsiderent, « rumores de somniis regis sui aucupantes », inquit Colum. lib. I præfat. sic Hannibal : « magnus Mirandusque cliens sedet ad prætoria regis, Donec Bithyno libeat vigilare tyranno », Juvenal. Sat. X, 162. — *Num infuerit febris*. Et januam nonne juvenis amana salutat et rogat valueritne usque? Curcul. I, 1, 17. N.

1. *Sua sibi pecunia*. Capt. prol. 5. Ita deludetur leno, ut emittat manu Lemniselenen, nullo pretio recepto, itaque sua pecunia, non mea.

Hodie illam faciat leno libertam suam.
Sed eccum parasitum, quojus mihi auxilio 'st opus.
Simulabo quasi non videam, ita adliciam virum.
Curate isteic vos, atque adproperate ocius.
Ne mihi moræ sit quidquam, ubi ego intro advenero.
Conmisce mulsum; struthea coluteaque adpara,
Bene ut in scutris concaleant, et calamum injice.
Jam, pol, ille heic aderit, credo, congerro meus.
SAT. Me dicit, euge! TOX. Lautum credo a balneis
Jam heic adfuturum. SAT. Ut ordine omnem rem tenet!
TOX. Collyræ facite ut madeant et colliphia:

— *Illam*, sic amantes innominatam designant quæ amatur. N.

5. *Curate*. Hæc ad ministros culinarios intus. Vid. Aul. II, 6, 1.

7. *Conmisce mustum*, etc. In musto decoqnebantur cotonea mala, et alii etiam odores eo adjiciebantur, de qua musti conditura certum est hic Plautum loqui. Οἶνον κυδωνίτην Græci vocant, qui ex musto et Cydoneis malis componebatur. Γλεῦκος in ea conditura Græci nominant, et de eadem loquitur totis his duobus versibus: mustum hic in scutris concalere ac fervere vult cum strutheis malis, quæ de genere sunt Cydoniorum malorum. Alii cum illis eadem faciunt, et videtur Plautus *struthea* pro Cydoneis malis dixisse. Sed quæ sunt apud eum *coluthea?* legendum ego putarem « strutheaque lutea appara », quæ sunt lutei coloris et aurei. Addi jubet et *calamum* Plautus in id mustum cum strutheis. Columella: « ne obsistat id facere, donec videbitur eliquatum omni fæce mustum carere: tum, sive mala Cydonia, quæ percocta sublaturus sit, seu quoscumque voluerit convenientes odores adjiciat ». SALMAS. — *Coluteaque adpara*. Quia *struthea* sunt mala Cydonea, non videntur illis incommode jungi *colutea*, si accipiamus pro fructu arboris coluteæ, cujus est descriptio apud Theophr. de Plantis, III, 17: Ἴδιον δὲ καὶ ἡ κολυτέα περὶ Λιπάραν· δένδρον μὲν εὐμέγεθες· τὸν δὲ καρπὸν φέρει ἐν λοβοῖς ἡλίκον φακός. Nec mirum arborem dici *coluteam*, fructum *coluteum*, ut olea et oleum. *Strutheorum* meminit Plinius, lib. XV, 11, 14. GRON. — Genuenses inde vinum parant delicatum. SCHMIED. — *Calamum injice* odoratum. Vide Plin.

9. *Ille*. Men. III, 2, 4.

11. *Ordine*. Capt. II, 3, 17.

12. *Collyræ facite*. Senatus grammaticorum statuit *collyras* videri parvulos panes mundos, sed et genus fictorum farinaceorum, quæ ut laganæ, interdum in sartagine frigantur, interdum cocta per se edantur: quod satis constat ex hoc Plauti loco: subjicit enim: « Tum nisi cremore crasso est jus collyricum ». Jus enim collyricum ecquodnam aliud jus esse potest,

Ne mi incocta detis. SAT. Rem loquitur meram:
Nihil sunt crudæ, nisi quas madidas glutias.
Tum, nisi cremore crasso est jus collyricum,
Nihil est macrum illud, epicrocum, perlucidum:
Quasi juream esse jus decet collyricum.
Nolo in vesicam, quod eat in ventrem volo.
TOX. Prope me heic nescio quis loquitur. SAT. O mi Jupiter
Terrestris, te coepulonus conpellat tuus.
TOX. O Saturio, obportune advenisti mihi.
SAT. Mendacium, edepol, dicis, atque haud te decet:
Nam Esurio venio, non advenio Saturio.
TOX. At edes: nam jam intus ventris fumant focula.

quam ex quo collyræ eduntur? atque illud crassius et unctius esse parasitus postulat: « Quasi (inquit) juream esse jus decet collyricum ». TURN.—Collyræ hic omnino significant panem, juri immersum et incoctum. Vetustissimum glossarium nostrum latino-teudiscum MS, *Collyridæ*, *Kiprochonazbrot* vulgo *soppen* (gall. *soupe*) appellamus. BOXH.—*Colliphia*. Panes cum recenti caseo commixti. LAMB. — *Madere* et *madidum esse*, idem significat, quod coctum esse. Men. I, 3, 29, II, 2, 51. Vid. vs. 14.

13. *Rem loquitur meram.* Recte dicit, ut se res habet. Conf. Epid. II, 2, 100. N.

14. *Nihil sunt crudæ* collyræ. — *Nisi quas*, etc. Neque bonæ sunt, nisi quas, etc. Oportet edantur madidæ. — *Glutias* pro edas, verbum parasiticum, quippe cujus natura sit, ut ab eo nostras *glouton* deductum videatur. N.

16. *Epicrocum.* Festus: « Epicrocum genus amiculi croco tinctum, tenue et pellucidum ». Glossar. *epicrocum*, ἐσθῆτος εἶδος, ἡ σχοίνιον ἀρμένου κατώτερον. Ut notat Scaliger. Hic metaphorice usurpatur pro jusculi non crocei, ne quis erret, sed tenuis et pellucidi genere. Allusit huc Papias in Glossis: *epicrocum*, *pellucidum*. BOXH. — Jus macrum (non unctum), epicrocum (pallidum, non colore coctæ carnis infuscatum), pellucidum (liquidum, aquæ quam jure similius). N.

17. *Quasi juream.* Jurea non est placenta. Jureæ vel Juriæ nomen legitur apud Varronem in libris de Re Rustica, pro liquidiore quodam genere pastæ, quæ catulis dabatur. Jus hac juria liquidius. Farina quippe erat cocta in aqua usque crassitiem majorem quam est juris. Ea catulos nutriebant. SALM.

18. *Nolo in vesicam.* Cibum crassiorem in ventrem, liquidiorem in vesicam descendere censuerunt. Varro: « In quo nobilius est Philippeum, quod accipimus, quam quod bibimus: quum alterum addamus in bulgam, alterum in vesicam ». TURN.

24. *Focula.* Prima longa: igitur non a *focus*, unde *foculus*, sed a

Calefieri jussi reliquias. SAT. Pernam quidem
Jus est adponi frigidam postridie.
TOX. Ita fieri jussi. SAT. Ecquid alecis? TOX. Vah, rogas?
SAT. Sapis multum ad genium. TOX. Sed ecquid meministi, here
Qua de re ego tecum mentionem feceram?
SAT. Memini : ut muræna et conger ne calefierent.
Nam nimio melius obpectuntur frigida.
Sed quid cessamus prælium committere?
Dum mane'st, omneis esse mortaleis decet.
TOX. Nimis pæne mane'st. SAG. Mane quod tu obcœperis
Negotium agere, id totum procedit diem.
TOX. Quæso, animum advorte : hoc enim jam here narravi tibi,
Tecumque oravi, ut numos sexcentos mihi
Dares utendos mutuos. SAG. Memini et scio,
Et te me orare, et mihi non esse quod darem.
Nihili parasitus est, quoi argentum domi'st.
Lubido extemplo cœpere'st convivium,

fovere, unde *foviculum*, *foculum*, ut fovimentum, fomentum, movimentum, momentum. « Focula sunt nutrimenta, inquit Nonius, unde foculare dicitur ». N.

27. *Ecquid alecis?* eritne alex? —*Vah! rogas?* Locutio affirmantis.

28. *Sapis multum ad genium*, scis quemadmodum genio, vitæ delectabili, indulgeatur. *Sapere ad* vulgo usitatum. Trucul. IV, 4, 1, et Ter. Adelph. V, 3, 46.—*Ecquid*. Bacch. IV, 10, 10.—*Here*. Capt. I, 2, 2.

30. *Ut muræna*, etc. Toxilus volebat nummos redimendæ meretricis, at Saturio totus in eduliis: hoc memini, te mecum loquutum, ut muræna, etc.

31. *Obpectuntur*. Digitis, quasi pectine, circumcarpuntur et comeduntur. TAUBM.

33. *Esse*, comedere.

34. *Nimis pæne*, valde omnino.

35. *Procedit*, bene geritur.

37. *Tecumque oravi*. Cf. Bacch. III, 3, 90.

40. *Nihili parasitus*. Gnomam hanc non satis videntur percepisse interpretes. Hoc vult : Non bene parasitatur, cui argentum est domi. Talis enim quum tuburcinari possit de suo, aliis serviliter parasitandi non habet necessitatem. Necessitas et domestica inopia facit parasitos. Quo quis pauperior est, eo plerumque melior est parasitus. BOXHORN.

41. *Cœpere*. Præsens hujus verbi

Tuburcinari de suo, si quid domi 'st.
Cynica esse e gente oportet parasitum probe:
Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium,
Marsupium habeat, inibi paulum præsidi,
Quî familiarem suam vitam oblectet modo.
TOX. Jam nolo argentum, filiam utendam tuam
Mihi da. SAT. Nunquam, edepol, quoiquam etiam utendam dedi.
TOX. Non ad istoc quod tu insimulas. SAT. Quid eam vis? TOX. Scies.
Quia forma lepida et liberali est... SAT. Res ita 'st.
TOX. Hic leno neque te gnovit, neque gnatam tuam.
SAT. Me ut quisquam gnorit, nisi ille qui præbet cibum?

nisi apud comicos haud facile occurret. Men. V, 5, 57, « lites cœpio », Trucul. II, 1, 33, « alium quæstum cœpiat ». SCHMIEU.

42. *Tuburcinari.* Vide Nonium.

43. *Cynica esse e gente.* Hæc Douzæ conjectura est. Vulgo: « Cynicum esse e gente ». MSS, « Cynicum esse egentem ». Unde Gulielmius: « Cynicam esse gentem oportet parasitum », postrema voce gignendi casu plurativo accepta. Nimirum verebatur unum parasitum vocari *gentem*. Et sic tamen Virgilius, Æn. lib. X: « Vigilasne deum gens, Ænea? vigila et velis immitte rudentes ». Ergo retineatur ipsa scriptorum lectio: « Cynicum esse gentem oportet parasitum probe ». Id est, oportet bona fide Cynicorum gentem, vel e genere esse. Aut si malis: « Cynicam esse gentem ». GRONOV. — Cynici omnium mortalium pauperrimi; canes autem avidissimi, quibus se alius parasitus comparat Captiv. I, 1, 17. Credo ad utrumque alludi. — *Probe.* Capt. III, 4, 59. N.

44. *Ampullam*, etc. Ampulla vas olearium est, quo in balneis ad unctiones uti solebant: ut et strigilibus ibi se defricabant, destringebantque. Unde et αὐτολήκυθοι a Græcis vocabantur pauperes, qui sibimetipsis ad balneas ampullam ferebant, quum servos ampulligeros non haberent: sed *scaphium* vas est potorium. TURN.

45. *Præsidi*, opis pecuniariæ. Pœnul. III, 3, 57.

46. *Familiarem suam vitam*, vitam familiæ suæ: ita Cistell. IV, 2, 83, « herilis mea filia », pro, « heræ meæ filia ». N. — *Oblectet.* *Oblectare* hic est sustentare, ut Asinar. I, 2, 16: ubi in pejorem partem accipitur. Sic etiam Cicero pro Cœl. ex Cæcil. « Si egebis, tibi dolebit, mihi sat est, qui ætatis quod reliquom est, oblectem ». GRONOV.* — *Modo*, tantummodo quod satis est.

48. *Etiam*, adhuc. Conf. Asin. II, 3, 3; 4, 39.

52. *Ut quisquam*, etc. De hac formula vid. Curcul. V, 2, 18. N.

TOX. Ita 'st. Hoc tu reperire mi argentum potes.
SAT. Cupio, hercle. TOX. Tum tu me sine illam vendere.
SAT. Tun' illam vendas? TOX. Imo alium adlegavero
Qui vendat, qui esse se peregrinum prædicet.
Siquidem hic leno nondum sex menseis Megaribus
Huc est quòm conmigravit. SAT. Pereunt reliquiæ.
Posterius istuc tamen potest. TOX. Scin' quam pote'st?
Nunquam, hercle, hodie heic prius edis, ne frustra sis,
Quam te hoc facturum, quod rogo, adfirmas mihi.
Atque nisi gnatam tecum huc jam, quantum pote'st,
Adducis, exigam hercle ego te ex hac decuria.
Quid nunc? quid est? quin dicis, quid facturu' sis?
SAT. Quæso, hercle, me quoque etiam vendas, si lubet,
Dum saturum vendas. TOX. Hoc si facturus, face.
SAT. Faciam equidem, quæ vis. TOX. Benefacis; propera, abi domum,
Præmonstra docte, præcipe astu filiæ,
Quid fabuletur, ubi se gnatam prædicet,
Qui sibi parenteis fuerint, unde subrepta sit;
Sed longe ab Athenis esse se gnatam autumet:

—*Gnorit.* Simpliciter quidem usurpat notionis verbum Toxilus : sed in nequiorem sententiam joculo detorquet Saturio. Conf. Mostell. IV, 2, 13. GRON.

53. *Hoc*, eo, sic.

55. *Imo*, adversativa : non ego vendam, sed alius.

57, 58. *Sex menseis.... est.* Conf. Aulul. prol. 4.

59. *Istuc*, tuum negotium.—*Potest*, agi. — *Scin' quam pote'st?* Ejusdem generis figura illi « scin' quomodo? » Aul. I, 1, 8. N.

60. *Heic*, apud me. Bacch. IV, 7, 26.—*Edis* i. q. ederis. —*Ne frustra sis*, ne te fallat spes. N.

62. *Quantum pote'st.* Conf. Asin. III, 3, 17.

63. *Ex hac decuria*, ex convivatu. Metaphora politica : nam decuriæ fuerunt judicum, vel militares, quippe equestres copiæ in turmas, et inde in decurias distribuebantur. N.

65. *Me quoque.* Ultro annuit, seque ipsum addicit venalem, tamen sua lege, quæ qualis sit versu sequenti dicet. N.

66. *Hoc si facturus, face.* Locutio hortantis, ut quid fiat celeriter. Cf. Casin. IV, 4, 10. N.

67. *Benefacis.* Curc. II, 2, 22.

71. *Autumet.* Amph. I, 1, 150.

Et ut adfleat, quom ea memoret. SAT. Etiam tu taces?
Ter tanto pejor ipsa'st, quam illam tu esse vis.
TOX. Lepide, hercle, dicis: sed scin', quid facias? cape
Tunicam atque zonam, et chlamydem adferto et causiam,
Quam ille habeat, qui hanc lenoni huic vendat. SAT. Eu probe.
TOX. Quasi sit peregrinus. SAT. Laudo. TOX. Et tu tuam gnatam tamen
Ornatam adduce lepide in peregrinum modum.
SAT. Πόθεν ornamenta? TOX. Abs chorago sumito.
Dare debet; præbenda ædileis locaverunt.
SAT. Jam faxo heic aderunt: sed ego horum nihil scio?
TOX. Nihil, hercle, vero: nam ubi ego argentum adcepero,
Continuo tu illam a lenone adserito manu.
SAT. Sibi habeat, si non extemplo ab eo abduxero.
TOX. Abi, et istuc cura: interibi ego puerum volo
Mittere ad amicam meam, ut habeat animum bonum,
Me esse ecfecturum hodie: nimis longum loquor.

72. *Etiam tu taces?* Conf. Casin. III, 6, 8.

73. *Pejor.* Milit. III, 3, 7. Vid. inf. II, 2, 55, 56.

79. *Chorago.* Conf. Curc. IV, 1, 1-3, et Trin. IV, 2, 16.

80. *Ædileis.* Vide quæ ad Asin. pr. 3 notavimus.—*Locaverunt*, i. q. conduxerunt. Aul. III, 6, 31. N.

81. *Faxo.* Captiv. prol. 65. — *Aderunt*, præsto erunt quæ tu jubes. — *Horum nihil scio?* Oportet ut horum, quæ machinaris, nil scire videar, et tecum compacto agere? N.

85. *Interibi.* Captiv. V, 1, 31.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

SOPHOCLIDISCA, LEMNISELENE.

SOPH. SATIS fuit indoctæ, inmemori, insipienti dicere totiens.
Nimis tandem me quidem pro barda et pro rustica reor habitam
Esse abs te : quamquam ego vinum bibo, at mandata non consuevi simul bibere
Una : me equidem jam satis tibi spectatam censueram esse, et meos mores :
Nam equidem te jam sector quintum hunc annum : quom interim, credo,
Cuculus si in ludum iret, potuisset jam fieri ut probe literas sciret,
Quom interim tu meum ingenium fans non edidicisti, atque infans.

1. *Inmemori. Immemor* interdum indocilem et hebetem significat. Contra, *memor* docilem et dicto audientem illi, unde profeceris. Propertius : « Tu satius memorem Musis imitare Philetam ». J. GUL.

2. *Barda*, ingenio tarda. ERN.

3, 4. *Simul... Una.* Sic Pœnul. III, 1, « quippe omneis simul didicimus tecum una ».—*Mandata... bibere.* Cf. Amph. II, 1, 84. N.

5. *Sector*, pedisequa, famula.

6. *Cuculus si in ludum iret. Canis* substituerant : sed illud ex edd. quibusdam antiquis retinendum censuit Gruterus, vel certe *cucus*, quod propius accedit ad MSS, quorum alter *cuis*, alter *cujus* (quemadmodum est etiam in membranis Academiæ) : præsertim quum et apud Isidorum, lib. XII, 7, sit : « Cucos quos Hispani cuculos vocant ». Mihi vero dignus Plautus, qui non modo dixerit cuculum, sed et *cucum*. GRON.

7. *Quom interim*, etc. Cuculus

Potin' ut taceas? potin' ne moneas? memini et scio et calleo, et conmemini.

Amas, pol, misera: id tuos scatet animus: ego istuc placidum tibi

Ut sit, faciam. LEMN. Miser est qui amat. (abit.)

SOPH. Certo is quidem nihili est, qui nihil amat: quid ei homini opus vita'st?

Ire decet me, ut heræ obsequens fiam, libera mea opera ocius ut sit.

Conveniam hunc Toxilum: ejus aureis, quæ mandata sunt, onerabo.

SCENA SECUNDA.

TOXILUS, PÆGNIUM, SOPHOCLIDISCA.

TOX. Satin' hæc tibi sunt plana et certa? satin' hæc meministi et tenes?

PÆGN. Melius, quam qui docuisti. TOX. Ain' vero, verbereum caput?

literas didicisset eo tempore, quod tibi non satis fuit, ut, quo ingenio sim, edisceres. — *Fans atque infans.* Schmiederus interpretatur: seu docueris me, seu non docueras. I. e. hoc discere debuisses videndo quid agerem, sive mihi præcepisses, sive non. Sed proverbiale olet hæc locutio. Intelligo: fans, quæ tua est ætas, non edidicisti, perinde ac si infans puellula esses. Illud *atque* sæpe valet *æque ac* et *quam* post comparativum. Cas. IV, 4, 21, « nebula haud est mollis atque huju'st pectusculum ». Ibid. V, 1, 7, « nec fallaciam Astutiorem ullus fecit poeta atque ut hæc est fabre facta a nobis ». Bacchid. III, 6, 20, « quem esse amicum ratus sum atque ipsus sum mihi ».

8. *Potin' ut taceas?* Conf. Bacch. IV, 4, 99.

9. *Id tuos scatet animus.* Hæc cum verbo *placidum* consentiunt. Quæ scatent enim, fretum atque æstum ac bullas aquæ fluctuantis imitantur. Cœlius ad Ciceronem de Curione tribuno violentissimo: « Ut spero et volo, et se fert ipse, bonos et senatum malet: totus, ut nunc est, hic scaturit ». GRON.

13. *Hunc.* Cf. Aulul. prol. 35.

2. *Ain' vero.* Conf. Amph. I, 1, 188.

PÆGN. Aio enimvero. TOX. Quid ergo dixi? PÆGN. Ego recte apud illam dixero.

TOX. Non, edepol, scis. PÆGN. Da, hercle, pignus, ni omnia memini et scio.

TOX. Equidem si scis tute, quot habeas hodie digitos in manu,

Eo dem pignus tecum. PÆGN. Audacter, si lubido est perdere.

TOX. Bona pax sit potius. PÆGN. Tum tu igitur sine me ire. TOX. Et jubeo et sino.

Sed ita volo te curare, ut domi sis, quom ego te esse illei censeam.

PÆGN. Faciam. TOX. Quo ergo is nunc? PÆGN. Domum, uti domi sim, quom illei censeas.

TOX. Scelus tu pueri es: atque ob istam rem ego aliquid te peculiabo.

4. *Da, hercle, pignus, ni.* Casin. prol. 75.

5. *Equidem si scis*, etc. Adeo vecors es, ut nescias quot digitos habeas. Quid mea mandata? ergo nolo tecum pignore certare de hac re; quippe qui certo certius vincerem. N.

6. *Eo dem*, ob id, sic, darem pignus tecum. N.

7. *Tum tu igitur sine me ire.* Pægnium cum tabellis mandatisque a Toxilo ad Lemn. missus, post aliquantam verborum commutationem dimitti se postulans, ait tandem: « Tum igitur sine me ire ». Cui respondet Tox. « ... et jubeo et sino. Sed ita volo te curare, ut domi sis, quum ego te esse illic censeam », septuosa edictione innuere volens, properato opus esse adeo, ut citius confectum sit negotium, quam cuiquam inchoatum videatur: utque redux compareat prius, quam a Lemn. remissus censeatur Toxilo. Quod quidem jocosum mandatum in aerium convortens atque aliorsum interpretatus puer, assimulat subdole quasi domum rursus vorsoriam capere decretum sit: neque quo jussus erat, quoque intenderat antea, velle jam ulterius proficisci, proinde sic quasi edixisset Toxilus: Usque domi meæ præstoleris volo, ut apud nos sis, quum te apud Lemniselenam esse arbitrabor. Igitur subjungit statim, velut dicto ejusdem obediens, puer, *Faciam.* Cujus inopinæ vorsoriæ causam demiratus Toxilus, quærit porro: « Quo ergo is nunc? etc. » DOUZA.

9. *Ut domi sis, quom*, etc. Amph. III, 3, 14. — *Illei*, apud Lemniselenen. N.

10. *Scelus pueri.* Curc. V, 2, 16. — *Peculiabo*, te munerabor. Sed

PÆGN. Scio fidei, hercle, herili ut soleat inpudicitia adprobari.

Nec subigi queantur unquam, ut pro ea fide habeant judicem.

TOX. Abi modo. PÆGN. Ego laudabis faxo. TOX. Sed has tabellas, Pægnium,

Ipsi Lemniselenæ fac des, et quæ jussi nunciato.

SOPH. Cesso ire ego, quo missa sum?

PÆGN. Eo ego. TOX. I sane : ego domum ibo; face rem hanc cum cura geras.

Vola curriculo. PÆGN. Istuc marinus passer per Circum solet.

Illic abiit hinc intro huc : sed quis hæc, quæ me advorsum incedit?

SOPH. Pægnium hic quidem est. PÆGN. Sophoclidisca hæc peculiaris est ejus,

ludit in ambiguo : nam *peculium* inter nequitiæ vocabula. Pseudol. IV, 7, 92 : « Mea hæc habeo omnia, meo peculio empta. PS. Nempe quod femina summa sustinet ». GR.

11. *Fidei herili*, fidei herorum, qui aliquid servo promiserunt. — *Inpudicitia*, hic valet impudentia, qua non statur promissis. Sed aliud quoque significat. — *Adprob.* usurpari, admitti. N.

12. *Queantur* heri. Vide Nonium vv. *potestur*, *nequitur*. Sic Tit. Liv. XXXVIII, 28 : « oppugnari urbs cœpta est ». Sallust. in orat. Memmii : « quidquid... ulcisci nequitur ». Nec cogi possint domini, ut de solvenda fide promissorum ad judicem ducantur. — *Subigi*, verbum quoque anceps. Nam et in cantilena militum Cæsariensium sic ferebat : « Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem, etc. » Conf. Sueton. in Cæs. cap 49. N.

13. *Laudabis faxo*. Capt. prol. 65.

17. *Istuc*, quod jubes, scil. volare me currendo. — *Marinus passer*. E Festo discimus : « Passerem marinum esse struthiocamelum ». Nam quod avis esset, *passerem* vocarunt, imitatione Græcorum, qui στρουθίον vocant, quod peregrinus et ultramarinus, *marinum*, h. e. διαπόντιον. Sic *pastinacam marinam* Celsus dixit, id est, peregrinam. Græcis στρουθὸς διαπόντιος, et στρουθὸς ἀραβικὸς, seu λιβυκὸς, στρουθὸς μεγάλη. SCALIG. — Hanc fabulam, devicta demum Africa, Plautum docuisse inde fit probabile, siquidem antea marinos passeres Romæ cognitos non oportuit, quos triumphalibus ludis primum videre contigerit. Vide infra III, 1, 11. N.

19. *Peculiaris*. Asin. III, 1, 37, et Captiv. V, 4, 16.

Quo ego sum missus. SOPH. Nullus esse hodie hoc puero pejor perhibetur.

Conpellabo. PÆGN. Conmorandum 'st apud hanc obicem.

SOPH. Pægnium, deliciæ pueri, salve, quid agis? ut vales?

PÆGN. Sophoclidisca, di me amabunt. SOPH. Quid me? utrum? PÆGN. Hercle, nescio.

Sed si ut digna es faciant, odio, hercle, habeant, et faciant male.

SOPH. Mitte male loqui. PÆGN. Quom, ut digna es, dico, bene, non male loquor.

SOPH. Quid agis? PÆGN. Feminam scelestam te adstans contra contuor.

SOPH. Certe equidem puerum pejorem, quam te, guovi neminem.

PÆGN. Quid mali facio? aut quoi male dico? SOPH. Quoi, pol, cumque obcasio 'st.

PÆGN. Nemo homo unquam ita arbitratu'st. SOPH. At, pol, multi esse ita sciunt.

PÆGN. Heia! SOPH. Heia! PÆGN. Tuo ex ingenio mores alienos probas.

SOPH. Fateor ego profecto me esse, ut decet lenonis familiæ.

PÆGN. Satis jam dictum habeo. SOPH. Sed quid tu? confitere, ut te autumo?

20. *Quo*, ad quam. Men. V, 2, 33. — *Pejor.* I, 3, 73.

21. *Apud hanc obicem.* Id est, quæ instar obicis remoram mihi incommode objectat. TAUBM.

22. *Deliciæ pueri*, ut sup. vs. 10, « scelus pueri ». — *Quid agis?* Aulul. I, 2, 39.

23. *Di me amabunt.* Vulgo salutantes « di te ament », sed solemni loquela consistere nequit facetus scurra. Igitur reprehendit eum mulier : et me utrum amabunt? N.

30. *Probas*, æstimas. LAMB.

31. *Ut decet familiæ. Decet* cum dativo positum, id est, ut lenonis familia, quam cum impudente, impuro, perjuro, impudentem, impuram, perjuram esse necesse utique sit. DOUZA.

32. *Satis jam dictum hab.* nolis affirmare vehementer; ego facile credo. — *Confitere.* Confiterisne te esse qualem dico. N.

PÆGN. Fatear, si ita sim. SOPH. Jam abi, vicisti. PÆGN. Abi nunc jam. SOPH. Ergo hoc mihi expedi,
Quo agis? PÆGN. Quo tu? SOPH. Dic tu: prior rogavi. PÆGN. At post scies.
SOPH. Eo ego hinc haud longe. PÆGN. Et quidem ego haud longe. SOPH. Quo ergo, scelus?
PÆGN. Nisi sciero prius ex te, tu ex me nunquam hoc, quod rogitas, scies.
SOPH. Nunquam, ecastor, hodie scibis, priusquam ex te audivero.
PÆGN. Itane 'st? SOPH. Itane est? PÆGN. Mala es. SOPH. Scelestus. PÆGN. Decet me. SOPH. Me quidem haud decet.
PÆGN. Quid ais? certumne 'st celare, quo iter facias, pessuma?
SOPH. Obfirmastin' obcultare quo te inmittas, pessume?
PÆGN. Par pari respondes dicto: abi jam, quando ita certa res est.
Nihili facio scire: valeas. SOPH. Adsta. PÆGN. At propero. SOPH. Et, pol, ego item.
PÆGN. Ecquid habes? SOPH. Ecquid tu? PÆGN. Nihil equidem. SOPH. Cedo manum ergo. PÆGN. Estne hæc manus?

33. *Abi.* Ut infra IV, 3, 20. Gallice, *c'est bon.* Conf. Asin. III, 3, 114. — *Vicisti* me malitia. N.

38. PÆGN. *Itane 'st?* SOS. *Itane 'st?* Sic omnes. Sed versus oneratur, qui ut exoneretur Bothius pro *mala es* dat *mala.* Malo : « PÆGN. Itane 'st? SOPH. Est. PÆGN. Mala es ». Librarius iteraverit mendose *itane.* — *Decet me* esse scelestum. — *Haud decet.* Sic vulgata. Sed Bothius melius pro ingenio diverbii et hujus loci tenore, qui loquelis paribus constat, *addecet,* scilicet esse malam. Sic de se fatentur Plautinæ meretrices. N.

39. *Quid ais?* Aulul. IV, 9, 7.

40. *Obfirmastin'.* I. e. ita firmiter apud te constituistine, ut id pertinacissime tenere sis paratus? Ita Bacch. V, 2, 82. GRON.*

43. *Cedo manum.* Aulul. II, 1, 16, « da mihi optuma femina, manum ». Sic testatur aliquis se idem aut velle, aut pati quod is quocum colloquitur. N.

SOPH. Ubi illa altera est furtifica læva? PÆGN. Domi: eccam huc nullam adtuli.
SOPH. Habes nescio quid. PÆGN. Ne me adtrecta, subagitatrix. SOPH. Sin te amo?
PÆGN. Male operam locas. SOPH. Quî? PÆGN. Quia enim nihil amas, quom ingratum amas.
SOPH. Tempori hanc vigilare oportet formulam, atque ætatulam:
Ne ubi capillus versipellis fiat, fœde semper servias.
Tu quidem haud etiam es octoginta pondo. PÆGN. At confidentia
Illa militia militatur multo magis, quam pondere.
Atque ego hanc nunc operam perdo. SOPH. Quid jam? PÆGN. Quia peritæ prædico.
Sed ego cesso. SOPH. Mane. PÆGN. Molesta es. SOPH. Ero quoque, nisi scio
Quo agas te. PÆGN. Ad vos. SOPH. Et, pol, ego ad vos. PÆGN. Quid eo? SOPH. Quid id ad te adtinet?
PÆGN. Enim non ibis nunc vicissim, nisi scio. SOPH. Odiosus es. PÆGN. Lubet.
Nunquam, hercle, istuc exterebrabis tu, ut sis pejor, quam ego siem.

44. *Furt. læv.* Epid. I, 1, 8; Catull. Ep. XIII; Ovid. Met. XIII, 111.

46. *Ingratum*, neutrum adverbialiter positum, quasi sit « ita ut ingrata sit amatio tua », eo sensu qui Amph. prol. 48 enarratur. N.

47. *Tempori hanc*, etc. Puer, qua facie et ætate es, oportet amare non cunctetur, neque indormiscat. N.

48. *Ne ubi capillus versipellis*. Capillus sæpe meretrices mouet, ut ætate sua utantur. Cf. Asin. III, 1, 35. N.

49. *Octoginta pondo*. Ætatulæ ejus teneritudinem certis ponderibus ac librarum numero circumscribens quum hæc dixisset Sophoclidisca, subjicit statim puer: « at confidentia Illa militia militatur multo magis, quam pondere »: militiam Veneris intelligi volens. Atque hoc est, quod de se etiam magister Amoris ille, in Eroticis haud indiserte profitetur: « Pondere, non nervis corpora nostra carent ». DOUZA.

51. *Peritæ*. Id est, in palæstra meretricia exercitatæ. DOUZA.

55. *Exterebrabis*. Id est, vi extorquebis.

SOPH. Malitia certare tecum, miseria 'st. PÆGN. Merx tu mala es.

SOPH. Quid est quod metuas? PÆGN. Idem istuc, quod tu. SOPH. Dic ergo, quid est?

PÆGN. Ne hoc quoiquam homini edicerem, omneis muti ut loquerentur prius.

SOPH. Et edictum 'st magnopere mihi, ne quoiquam homini crederem;

Omneis muti ut loquerentur prius hoc, quam ego. At tu hoc face:

Fide data credamus. PÆGN. Gnovi. Omneis sunt lenæ levifidæ;

Neque tippulæ levius pondus est quam fides lenonia.

SOPH. Dic, amabo. PÆGN. Dic, amabo. SOPH. Nolo ames. PÆGN. Facile inpetras.

SOPH. Tecum habeto. PÆGN. Et tu hoc taceto. SOPH. Tacitum erit. PÆGN. Celabitur.

SOPH. Toxilo has fero tabellas tuo hero. PÆGN. Abi: eccillum domi.

56. *Merx tu mala es.* Cf. Casin. III, 6, 23.

58. *Ne hoc quoiquam*, etc. Præmitte *imperatum est*, vel ut vs. seq. *edictum 'st*. N.

61. *Fide data*, invicem. *Credamus*, ego tibi, tu mihi, quod ferimus.

62. *Tippulæ*. Festus: « Tippula, bestiolæ genus sex pedes habentis, sed tantæ levitatis, ut super aquam currens non desidat ». Glossar. ἰφυδρὶς, ἑρώπεον ἐπινηχόμενον τῷ νώτῳ. Gaza perperam ἀσκαρίδας vertit *tippulas*: siquidem tippulæ non sunt vermes, sed potius aliud insecti genus, quod semper in rivis et fontibus visitur: quas vulgus Aquitanum et accolæ Garumnæ *cupras* vocant. Itaque dicta sunt παρὰ τὰ τίφη. Τίφεα enim τὰ ἕλη, ubi eæ versari solent. Varro: « Levis Tipulla lymphôn frigidos transit lacus ». SCALIG.

63. *Amabo.* Casin. I, 1, 49.

64. *Tecum habeto*, neque communica mecum quod fers. N.

65. *Toxilo has fero*, etc. Lepidissimum curiositatis exemplum. Quam dimittit rogare cessans, ultro aperit ipsa secretum, ut vicissim quid ille reticere velit, eliciat. Notandum est qua festivitate procacis linguæ puer nomen suum approbet; et quam lepido ingenio valeat poeta, qui tam longum diverbium tam levi argumento ita duxerit. In sermonibus, inquit Varro, poscit palmam Plautus. N.

At ego hanc ad Lemniselenem tuam heram obsignatam abietem.

SOPH. Quid isteic scribtum? PÆGN. Juxta tecum, si tu nescis, nescio.

Nisi fortasse blanda verba. SOPH. Abeo. PÆGN. At ego abiero. SOPH. Ambula.

(Diversi abeunt, hic in domum Lemniselenes, illa in Toxili.)

SCENA TERTIA.

SAGARISTIO.

Jovi opulento, incluto, Ope gnato, supremo, valido, viripotenti,
Opes, spes, bonas copias commodanti lubens meritoque vitulor;
Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam
Danunt argenti mutui, uti egenti opem adferam:
Quod ego non magi' somniabam, neque opinabar, neque censebam,

66. *Abietem*, tabellas abiegnas. Bacch. IV, 4, 64.

2. *Vitulor*. Verbum *vitulari* recte Nonius deducit a *vita*, quæ interdum lætitiam lubentiamque signat: unde dea hilaritatis præses, *Vitula*: etiam *vivere*, lubentiis diffluere, hoc est, *vitulari*. Et induxit illum, ut ita arbitraretur, Nævius Lycurgo, qui si a vitulo derivasset, primam syllabam corripuisset, nunc produxit: « Ducite eo argutis linguis mutas quadrupedes, Ut in venatu vitulantes, etc. » Neque aliter Ennius apud Fest. « Habet is coronam vitulans victoria ». J. GUL. — Varro tamen etiam a *vitulo* deducit: quod rectum puto. Id enim est μοσχιᾶν græce, apud Mænandr. Hypobolimæo. SCALIG. — Utut est etymon, hoc verbum significat lætans gratulor. *Lubens merito*, solemnis formula quæ sexcenties in inscriptionibus occurrit sic: L. M.

3, 4. *Quia meo*, etc. Ordo est: quia hanc commoditatis copiam, i. e. copiam commodam, plenam, argenti mutui dant, ut amico amiciter opem feram. Sic inf. III, 1, 2, « perennitatis cibo ». N.

5. *Quod ego non magis somn.* Quod non magis quam somniabam, quod non audebam aliter quam somnium mente agitare, quod quum animo et voluntate conciperem, tamen ratum fore non magis quam vanum somnium credebam. Subauditur olim *quam* post *magis*. Conf.

Eam fore mihi obcasionem, ea nunc quasi decidit de cælo:
Nam herus meus me Eretriam misit, domitos boves uti sibi mercarer,
Dedit argentum: nam ibi mercatum dixit esse die septimi.
Stultus, qui hoc mihi daret argentum, quojus ingenium gnoverat.
Nam hoc argentum alibi abutar: boves quos emerem, non erant.
Nunc et amico meo prosperabo, et Genio multa bona faciam.
Diu quod bene erit, die uno absolvam: tax tax tergo meo erit: non curo.
Nunc amico homini bobus domitis mea ex crumena largiar.
Nam id demum lepidum'st, triparcos homines, vetulos, avidos, aridos
Bene admordere, qui salinum servo obsignant cum sale.

Amph. II, 2, 43. — *Neque opinabar*, etc. Hæc atque sequentia sunt anacolutha; quæ ut justa syntaxi componantur, ordina: Et quam non opinabar fore occasionem, ea, etc.

6. *Quasi decidit de cælo.* Proverbialis locutio pro valde opportuna, sed inopinata occasione atque insperata. GRON.*

7. *Eretriam.* Cujus et mentio Mercat. III, 4, 61. ERN.

8. *Die septimi.* Conf. Menæchm. V, 9, 95.

11. *Genio... bona faciam.* I. q. genio indulgere. N.

12. *Diu quod bene erit*, nempe postea longum reminiscenti atque ita voluptate præterita etiam fruenti. Sed absurdam lectionem Bothius censet et mutat haud insipienter quidem, sed minus comice: « Diu quo bene sit », i. e. quo possit quis diu jucunde vivere. — *Tax tax.* Onomatopœia, sonitus ictuum imitata. N.

13. *Bobus domitis.* Nunc ego Toxilum donabo pecunia, quam impendere debebam boum emptioni. Similis locus statim act. II, 5: « Cave sis a cornu: boves bini hic sunt in crumena ». Induxit eum vox *largior* cum auferendi casu. De quo multa alibi Douza. GRUTER. — Largiar eamdem syntaxin atque *donabo* trahit. Hujusmodi commutationes vidimus in verbis « convenit, decet, condonare », Mercat. V, 4, 24; Asinar. III, 2, 31, et Bacch. V, 2, 24. N.

15. *Bene admordere*, insigni damno afficere. LAMB. — Cf. Mosl. I, 1. — *Salinum cum sale*, pro, salinum vas, in quo est sal, non inane. Sicut Curcul. « sinus cum vino », pro, sinus in quo est vinum. SCHOPP. — *Obsignant.* Casin.

Virtus est, ubi obcasio admonet, dispicere. Quid faciet mihi?
Verberibus cædi jusserit, conpedes inponi: vapulet.
Ne sibi me credat subplicem fore: væ illi! mihi jam nihil novi
Obferri potest, quin sim peritus: sed Toxili puerum Pægnium eccum.

SCENA QUARTA.

PÆGNIUM, SAGARISTIO.

PÆGN. Pensum meum, quod datum 'st, confeci: nunc propero domum. SAG. Mane, etsi
Properas, Pægnium, ausculta. PÆGN. Emere oportet, quem tibi obedire velis.
SAG. At sta. PÆGN. Exhibeas molestiam, ut opinor, si quid debeam;
Qui nunc sic tam es molestus. SAG. Scelerate, etiam respicis?
PÆGN. Scio ego quid sim ætatis, eo istuc maledictum impune auferes.

II, 1, 1. Scilicet maligno hero ille servibat servitutem. N.

16. *Dispicere*, videre quæ se offert occasio, neque amittere. N. — *Quid faciet mihi?* Et hoc iis usitatum loquendi genus, qui periculum aut minas alterius contemnunt. Eunuch. « Quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi? » J. GUL.

17. *Jusserit*, pro *jubebit*. At illo modo subest notio rei incertæ, vel potentialis. Conf. Asin. II, 4, 40; Casin. IV, 2, 2, 8, et Trinum. I, 2, 102, II, 2, 3. — *Vapulet*. Cf. Asin. II, 2, 72. N.

18. *Subplicem*. Conf. Bacch. IV, 8, 63, 9, 101.

19. *Peritus*, omnino expertus, scilicet discipulus verberum et crucis. Sententia: nihil mihi supplicii afferri potest, quod sit mihi novum, et cujus non sim peritus. N.

3. *Exhibeas molestiam*. Nam creditam qui pecuniam reposcunt, urgent molesti. Conf. Mostell. III, 1, 35, 59. N.

4. *Sic*, quum nihil debeam. — *Etiam respicis?* Casin. III, 6, 8.

5. *Scio ego quid sim ætatis*. Scio infirma me esse ætate, ideo impune hoc maledictum jam auferes. Alias, si per ætatem et idoneas corporis vires liceret, maledicenti tibi injicerem manus. BOTH.

SAG. Ubi Toxilus est tuus herus? PÆGN. Ubi illi lubet; neque te consulit.
SAG. Etiamne dicis, ubi sit, venefice? PÆGN. Nescio, inquam, ulmitriba tu.
SAG. Maledicis majori. PÆGN. Prior promeritus perpetiare.
Servam operam, linguam liberam herus me jussit habere.
SAG. Dicisne mihi, ubi sit Toxilus? PÆGN. Dico, ut perpetuo pereas.
SAG. Cædere hodie tu restibus. PÆGN. Tua quidem, cucule, causa:
Non, hercle, si os perciderim tibi, metuam, morticine.
SAG. Video ego te; jam incubitatus es. PÆGN. Ita sum: quid id adtinet ad te?
At non sum ita, ut tu, gratiis. SAG. Confidens. PÆGN. Sum, hercle, vero.
Nam ego me confido liberum fore, tu te nunquam speras.
SAG. Potin', ut molestus ne sies? PÆGN. Quod dicis, facere non quis.
SAG. Abi in malam rem. PÆGN. At tu domum; nam ibi tibi parata præs est.

8. *Majori* natu. Ea erat apud Romanos senectutis reverentia. N.

10. *Dico, ut perpetuo pereas.* Jubeo te perire in perpetuum. Ejusdem modi maledictio, atque illæ, « abi in malam crucem; vapula, etc. » N.

12. *Non, hercle*, etc. Etiamsi os pugnis perciderim, non esset quod metuerem. N. — *Morticine. Morticina*, κνίδρια dicebantur. Etiam *morticinus* convitium erat in teiros et exsangui facie homines: ut hic Græci vocant δημητρείους καὶ δημητριακούς. Plutarchus interpretatur νεκρώδεις· ab eo *cadaverosas facies*, Terent. Hec. III, 4, 27. Latini etiam vocant *cereritos*, postea *cerritos*, interpretantes illud δημητριακούς. SCALIG.

13. *Incubitatus.* Nihil mutandum, quum ita omnes libri et editiones habeant. *Incubitatur* puer, cui embasicœtas incubat. Nolo hoc pluribus explicare. Et falluntur qui negant hoc verbi latina moneta esse percussum. SALM. — *Incubitatus es*, incurvatus. SCRIVER.

16. *Quod dicis*, etc. Quod alios mones, ipse non potes facere. N.

17. *Parata præs est.* I. e. adest, vel præsto est, πάρεστι. Græcus interrogatus εἰ πάρεστι; respondet potius πάρα, quam πάρειμι. Sic Romanus interrogatus, an *præs esset?* respondebat *præs*, non *præs sum*. Festus in-

SAG. Vadatur hic me. PÆGN. Utinam vades desint, in carcere ut sis!
SAG. Quid hoc? PÆGN. Quid est? SAG. Etiam, scelus, male loquere? PÆGN. Tandem ut liceat,
Quom servos sis, servom tibi maledicere. SAG. Itane? specta
Quid dedero. PÆGN. Nihil; nam nihil habes. SAG. Di deæque me omneis perdant,
Nisi te hodie, si prehendero, defigam in terram colaphis.
PÆGN. Amicus sum, eveniant volo tibi quæ optas, atque id fiat:
Tu me defigas, te cruci ipsum propediem adfigent alii.
SAG. Quin te di deæque..... scis quid hinc porro dicturus fuerim,
Ni linguæ moderari queam: potin' abeas? PÆGN. Abigis facile.
Nam umbra mea intus vapulat. (abit.) SAG. Ut istunc di deæque perdant!

quit, *prædem* dictum esse, quod interrogatus a populo si *præs* esset, respondebat *præs*: supple *sum*. *Præs esse* antiquitus significat præsentem esse, παρεῖναι· unde superest participium *præsens*. SCAL.

18. *Vadatur hic me*. Jocus de voce ambigua *præs* derivatus. Scilicet qui prædem loquitur, me in judicium pertrahit. Aulul. II, 4, 40. PIST.

19. *Tandem ut liceat*, etc. Ellipsis; exple: « Ergo oportet ut liceat, etc. » vel quidvis simile.

20. *Specta*, exspecta. Minantis locutio. N.

22. *Colaphis*. Alapa fit palma, id est, deducta et explicata manu (Noster, *porrecta manu ferire*): ῥάπισμα Græcis. Glossar. *alapator*, ὁ καυχητής. At *colaphus* idem quod κόνδυλος, qui fit digitis compressis et in pugnum coactis. Aristophan. κόνδυλον αὐτῷ δίδου, *pugnos ei impinge*: Demosthenes: κονδύλους λαβεῖν. Terent. Adelph. II, 1: « Plus quingentos colaphos infregit mihi »; quasi cum fragore et sonitu illisit et inflixit. GRON.

23. *Amicus sum*. Namque quod mihi minaris, deos adjurans, ego tibi opto, scilicet ut defigare, sed in cruce. N.

24. *Propediem adfigent alii*. Forsan fuerit: « te cruci ipsum propediem adfigent clavi ». GRON.

26. *Abigis facile*. Facile vinces, ut a te discedam. N.

27. *Nam umbra mea intus vapul*. Umbra proxima corpori; ergo verbera mihi quam proxime imminent. LAMB. — *Ut*, utinam.

Tamquam proserpens bestia, est bilinguis et scelestus.
Hercle, illum abiisse gaudeo. Foreis aperite : eccere autem,
Quem convenire maxume cupicbam, egreditur intus.

SCENA QUINTA.

TOXILUS, SAGARISTIO, SOPHOCLIDISCA.

TOX. Paratum jam esse dicito, unde argentum sit futurum;
Jubeto habere animum bonum, dic me illam amare multum:
Ubi se adlevat, ibi me adlevat : quæ dixi ut nunciares,
Satin' ea tenes? SOPH. Magis calleo, quam aprugnum callum callet.
TOX. Propera, abi domum. SAG. Nunc ego huic graphice facetus fiam.
Subnixis alis me inferam, atque amicibor gloriose.
TOX. Sed quis hic ansatus ambulat? SAG. Magnifice conscreabor.

28. *Bilinguis.* Hoc loco garrulus et loquax erit, alias alius. Pœnul. V, 2, 74. LAMB.

30. *Intus.* Asin. III, 2, 39.

1. *Dicito* Lemniseleuæ.

2. *Amare multum,* amanter orare. Men. III, 3, 1. GRON.

3. *Adlevat. Adlevare se*, est, ægritudinem remittere: atque adeo, quod modo dixit, « habere animum bonum », qua forma et Cic. ad Attic. usus : « Adlevor, quum loquor tecum absens ». PISTOR.

4. *Magis calleo*, *quam*, etc. Callere primitus fuit *durare attritu*, unde per metaphoram « discere studio assiduo ». Bifariam usurpat hic *calleo*, dein *callet*, abusus paronomasia in *callum aprugnum*, ut Pœnul. III, 2, 2. N.

5. *Facetus.* Asin. II, 2, 84.

6. *Subnixis alis*, utrinque ulnis in latere acclinibus et innitentibus. Qui habitus dabit locum huic joco, « hic ansatus ambulat ». *Amicibor*, me jactabo officium amicitiæ explentem. Verbum ab amico deformatus, ut subparasitor, a parasitus. Amph. I, 3, 17. — *Gloriose*, superbe, magnifice. N.

7. *Conscreabor.* Ita Bryardus : apud Lips. Epist. Q. II, 4 : nam in illo gestu glorioso exprimendo, etiam *conscreatio* sive *exscreatio* adhibetur. Et notavimus alibi e Casaub. in Theophr. « procul spuere, fuisse signum eminentiæ ». Quintil. « clare exscreare ». Ita Aristoph. innuit, oratores solitos screare, Thesmoph. Σίγα σιώπα, πρόσεχε τὸν νοῦν· χρέμπτεται γὰρ ἤδη, ὥσπερ ποιοῦσ' οἱ ῥήτορες. TAUBM.

TOX. Sagaristio hic quidem est. Quid agitur, Sagaristio? ut valetur?
Ecquid, quod mandavi tibi? estne quid in te speculæ? SAG. Adito.
Videbitur, factûm volo; venito; præmoneto.
TOX. Quid hoc heic in collo tibi tumet? SAG. Vomica'st, pressare parce.
Nam ubi qui mala tetigit manu, dolores cooriuntur.
TOX. Quando istæc ingnata'st nam tibi? SAG. Hodie. TOX. Secari jubeas.
SAG. Metuo ne inmaturam secem, ne exhibeat plus negoti.
TOX. Inspicere morbum tuum lubet. SAG. Abi, atque cave, sis,
A cornu. TOX. Quid jam? SAG. Quia boves bini heic sunt in crumena.
TOX. Emitte, sodes, ne enices fame, sine ire pastum.
SAG. Enim metuo, ut possim in bubilem rejicere, ne vagentur.
TOX. Ego rejiciam, habe animum bonum. SAG. Creditur; conmodabo.

9. *Speculæ*. Casin. II, 4, 27.

10. *Videb. fact. vol.* Aulul. II, 1, 25, et Asin. III, 3, 95. — *Præmoneto*, memoriam mihi refrica, quum tempus aderit. Fastidia patronorum imitatur. N.

11. *Vomica*. *Vomica* est abscessus malignus, latens, puris plenus: ἀποστήματος εἶδος. Hic facete significat crumenam, quam nummis prægnantem e collo gerebat Sagaristio. TAUBM. — Conf. Asin. III, 3, 67. N.

12. *Ubi qui*, ubi aliquis. — *Mala manu*. Amph. II, 1, 58.

16. *Quia boves bini*, etc. Supra scen. 2, vs. 7. Cf. Asin. III, 2, 43.

18. *Rejicere*. Apposite. Virgilius, « a flumine reice capellas ». Qui *reigere*, ab agendo, hic fingunt, ne audias. ACIDAL. — *Ne vagentur*. Vulgatum ita planum facio. Dixerat Toxilus: « Emitte boves ». Cui Sagaristio: At metuo, ne, si emittam, longius vagentur, neque eos recipere facile possim. Huic mox operam in reducendis pollicetur Toxilus. Notum, boves extra bubile in pascuis vagari, et sæpe intercipi. In bubuli autem servantur. Manet itaque in metaphora. Gruterus noster hic frustra ingeniosus fuit. PISTOR.

19. *Creditur*, i. q. credo. Passiva

Sequere hac, sis : argentum heic est, quod me dudum rogasti.
TOX. Quid tu ais? SAG. Dominus me boves mercatum Eretriam misit.
Nunc mihi Eretria erit hæc tua domus. TOX. Nimis tu facete loquere.
Atque ego omne argentum tibi actutum incolume redigam:
Nam jam omneis sycophantias instruxi et conparavi;
Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum. SAG. Tanto melior.
TOX. Et mulier ut sit libera, atque ipse ultro det argentum.
Sed sequere me, ad eam rem usus est tua mihi opera. SAG. Utere ut vis.

figura pro agendi modo abuti amabant sermocinantes. Sic supra vs. 8 *valetur*, vs. 10 *videbitur*, et II, 2, 64, *celabitur*, et Captiv. III, 5, 70, *curabitur*, et multa hujuscemodi alia. N.

21. *Quid tu ais?* i. q. ain' vero? Aulul. IV, 9, 7.



ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

SATURIO, VIRGO.

SAT. Quæ res bene vortat mihi et tibi et ventri meo,
Perennitatisque adeo huic perpetuo cibo,
Ut mihi supersit, subpetat, superstitet:
Sequere hac, mea gnata, me, cum dis volentibus.
Quoi rei opera detur, scis, tenes, intellegis:
Communicavi tecum consilia omnia.
Ea causa ad hoc exemplum te exornavi ego,
Vænibis tu hodie, virgo. VIRG. Amabo, mi pater,
Quamquam lubenter escis alienis studes,
Tuin' ventris causa filiam vendis tuam?
SAT. Mirum, quin regis Philippi causa, aut Attali
Te potius vendam, quam mea, quæ sis mea.
VIRGO. Utrum tu pro ancilla me habes, an pro filia?
SAT. Utrum, hercle, magis in ventris rem videbitur:

1. *Quæ res bene*, etc. Cf. Curcul. V, 2, 58.

2. *Perennitatisque.* Cibum perennitatis dixit cibum perennem : etsi *cibum perennitatis* non damnem, quasi alicujus deæ : malim tamen, *Perennitatique ad.* Acin.—Sic Epid. III, 3, 3, « cor sapientiæ ».

3. *Supersit... superstitet.* Vide quæ ad Casin. IV, 4, 2 adnotavimus.

4. *Cum dis volent.* Locutio solemnis. Sic fere nostrates, *Dieu aidant, s'il plaît à Dieu*, etc. N.

7. *Exemplum.* Capt. III, 5, 33. — *Exornavi.* Vid. sup. I, 3, 78.

8. *Vænibis.* Oratio imperfecta. Namque est pro « te sic ornavi ut væneas ». Cf. Aul. II, 7, 6; Bacch. III, 6, 17, 18; Casin. III, 3, 21; Menæchm. prol. 41, 42, IV, 2, 3, 4; Mercat. III, 1, 3, et Rud. II, 1, 7, 8. — *Amabo.* Conf. Amph. I, 3, 42. N,

11. *Mirum, quin.* Aulul. I, 2, 7.

Meum, opinor, inperium in te, non in me tibi'st.
VIRGO. Tua istæc potestas est, pater; veruntamen,
Quamquam res nostræ sunt, pater, pauperculæ,
Modice et modeste meliu'st vitam vivere:
Nam si ad paupertatem admigrant infamiæ,
Gravior paupertas fit, fides sublestior.
SAT. Enimvero odiosa 's. VIRGO. Non sum, neque me esse arbitror,
Quom parva gnatu recte præcipio patri.
Nam inimici famam non ita, ut gnata'st, ferunt.
SAT. Ferant, eantque in maxumam malam crucem.
Non ego iuimicitias omneis pluris æstumo,
Quam mensa inanis nunc si adponatur mihi.
VIRGO. Pater, hominum inmortalis est infamia;
Etiam tum vivit, quom esse credas mortuam.
SAT. Quid? metuis ne te vendam? VIRGO. Non metuo, pater.
Verum insimulari nolo. SAT. At nequidquam nevis.
Meo modo istud potius fiet, quam tuo.
VIRGO. Fiat. SAT. Quæ hæ res sunt! VIRGO. Cogita hoc verbum, pater:

15. *Meum* est, in mea est manu.

18. *Modice et modeste*, modo æquo et bono, non impudenter et proterve, ut solent magis pauperculi, sordidi homines, quam qui opulenti et splendidi. Capite censorum fama nulla. N.

19. *Admigrant*, adduntur.

20. *Sublestior.* Id est, levior, infirmior. Festus atque idem ait, Plautus in Nervol. « vinum sublestissimum » dixisse, quia infirmos faciat vel corpore, vel animo. Cf. Bacch. III, 6. GRON.

21. *Odiosa.* Curcul. I, 1, 45.

22. *Parva gnatu... patri.* Par antithesis apud Tacit. Ann. XVI, 30: « Ante tribunal consulum, grandis ævo parens, contra filia intra vicesimum ætatis annum ». Ita fere matrem Philenium commonet III, 1, 1-12. N.

23. *Nam inimici.* Inimici non ita de iis, quos oderunt, loquuntur, ut res ipsa est, ut natura rei est, sed ut suspicantur, et ut probabiliter eis confingere licet. LAMB.

27. *Hominum infamia*, i. e. quam faciunt homines et opinione servant. N.

32. VIRG. *Fiat.* SAT. *Quæ hæ res sunt!* Vulgo hæc dantur omnia Saturioni. Sed alia placuit distinctio personarum. Namque *fiat* est con-

Heru' si minatus est malum servo suo,
Tamenetsi id futurum non est, ubi captum 'st flagrum,
Dum tunicas ponit, quanta adficitur miseria!
Ego nunc, quod non futurum 'st, formido tamen.
SAT. Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
Quæ præter sapiet, quam placet parentibus.
VIRGO. Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
Quæ reticet, si quid fieri pervorse videt.
SAT. Malo cavere meliu'st te. VIRGO. At si non licet
Cavere, quid agam? nam ego tibi cautum volo.
SAT. Malusne ego sum? VIRGO. Non es, neque me dignum 'st dicere:
Verum ei rei operam do, ne alii dicant quibus licet.
SAT. Dicat quod quisque volt: ego de hac sententia
Non demovebor. VIRGO. At, meo si liceat modo,
Sapienter potius facias, quam stulte. SAG. Lubet.
VIRGO. Lubere per me tibi licere intellego:
Verum lubere haud lubeat, si liceat mihi.
SAT. Futura es dicto obediens, an non, patri?
VIRGO. Futura. SAG. Scis nam, tibi quæ præcepi? VIRGO. Omnia.
SAT. Ed id, ut subrepta fueris? VIRGO. Docte calleo.

cedentis, non imperantis. Cf. Most. IV, 3, 44. — *Quæ hæ res sunt!* indignantis exclamatio. Cf. Casin. III, 6, 8. N.

37, 38. *Virgo atque mulier*, etc. I. e. omnis mulier et virgo quæ plus sapiet quam placet parentibus, erit mala. N.

41. *Malo cavere.* Conf. Bacch. I, 2, 39, et Casin. II, 6, 59. — *At si non licet*, etc. Ad sensum honestiorem detorquet vocem virgo: nam intelligit malum infamiæ, quum minitaretur pater malum malæ manus. N.

43. *Malusne ego.* Lusor maximus non sinit se dicacitate superatum. Nam quum ipse *ut caveret malo*, i. e. a malo, monnisset filiam, et illa respondisset se cavere illi velle: igitur, inquit, me malum censes, quæ caves mihi, quum jubeo cavere malo. — *Neque me dignum 'st dic.* Ordo: neque dignum est (decens, æquum) me hoc dicere. Cf. Aulul. II, 2, 47. N.

48. *Lubere per me*, etc. Per me licet tibi hoc lubere, sed non tibi lubeat lubere, si liceat mihi (hoc efficere). N.

SAT. Et qui pareuteis fuerint? VIRGO. Habeo in memoria.
Necessitate me, mala ut fiam, facis.
Verum videto, ubi me voles nubtum dare,
Ne hæc fama faciat repudiosas nubtias.
SAT. Tace, stulta : non tu nunc-hominum mores vides?
Quojusmodi heic cum fama facile nubitur.
Dum dos sit, nullum vitium vitio vortitur.
VIRGO. Ergo istuc facito, ut veniat in mentem tibi,
Me esse indotatam. SAT. Cave, sis, tu istuc dixeris.
Pol, deum virtute dicam et majorum meum,
Ne te indotatam dicas, quoi dos sit domi.
Librorum eccillum habeo plenum soracum.
Si hoc adcurassis lepide, quoi rei operam damus,
Dabuntur dotis tibi inde sexcenti logi,
Atque Attici omneis; nullum Siculum adceperis :
Cum hac dote poteris vel mendico nubere.

57. *Nunc-hominum. Nunc-hominum*, ἀνθρώπων τῶν νῦν ὄντων. Sic Virgil. *ante-malorum*, τῶν ἔμπροσθεν κακῶν, id est, præteritorum malorum. Tibull. *ante-comas*, τὰς πρὶν κόμας. Catull. *olim-furores*, τοὺς πάλαι θυμοὺς· ita *semper-lenitas* apud Terent. Et *semper-deus* apud Virgil. et *semper-pauper*, lib. IV Distichorum Dionys. Catonis, unum verbum est. SCAL.

61. *Cave, sis, tu ist.* Tu hæc dicens non vera dicis, noli hoc dicere.

62. *Deum virtute... et majorem meum.* Conf. Capt. II, 2, 74, et Aulul. II, 1, 44. Ordo : Dicam, jubebo, ut non dicas te indotatam esse, cui dos sit parta domi virtute deum et majorum. N.

64. *Soracum.* « Soracum vel Sarracum, genus vehiculi, quo ornamenta portantur scenicorum ». Festus. Glossæ : ἅμαξα. GRON.

65. *Si hoc... quoi rei.* Si hanc artem, quam exerceo, tu exercebis, scil. parasiticam, quæ ridicularia maxime et lepidiloqua. Cf. Captiv. III, 1, 22. Sed pro more ambigue alludit ad eam quæ nunc geritur histrioniam. N.

66. *Logi*, dicta. Captiv. loc. cit. Cic. pro Gallio in fragm. pag. 48 ed. *Le Clerc* : « Ego te certe scio, omnes logos qui ludis dicti sunt animadvertisse ». Cf. Menæchm. V, 2, 29, et Stich. I, 3, 68. N.

67. *Attici.* Ita Cicero : « Si literas græcas Athenis, non Lilybæi, latinas Romæ, non in Sicilia didicisses ». Sed et Asconius : « Dicit illum græcas literas simul latinas in Sicilia didicisse : in ea insula, quæ neutra lingua bene utatur. Ita enim Plautus in Persa, *Dabuntur*, etc. » GRONOV.

68. *Vel mendico.* Pulcherrime,

VIRGO. Quin tu me ducis, si quo ducturus, pater:
Vel tu me vende, vel face quod tibi lubet.
SAT. Bonum æquumque oras : sequere hac. VIRGO. Dicto sum audiens.

SCENA SECUNDA.

DORDALUS.

Quidnam esse acturum hunc dicam vicinum meum,
Qui mihi juratu'st sese hodie argentum dare?
Quod si non dederit, atque hic dies præterierit,
Ego argentum, ille jusjurandum amiserit.
Sed ibi concrepuit foris : quisnam egreditur foras?

SCENA TERTIA.

TOXILUS, DORDALUS.

TOX. Curate istuc intus : jam ego domum me recipiam.
DORD. Toxile, quid agitur? TOX. Eho, lutum lenonium,
Commictum cœnum, sterquilinium publicum,
Impure, inhoneste, injure, inlex, labes popli,
Pecuniæ accipiter, avide atque invide,

παρὰ προσδοκίαν, *mendicum* supposuit homini ditissimo : nam auditores exspectabant, ut cum tam præclara dote nubi posse diceretur vel primori civitatis : at ille, mendici conditionem inveniri posse ait. ACIDAL.

69. *Quin tu me ducis, si quo*, etc, Sup. I, 3, 66.

71. *Bonum æquumque oras*. Conf. Captiv. II, 2, 83.

1. *Quidnam esse a. dicam*. Ambitus loquendi Plauto perquam familiaris pro simplici *quid acturus est.* Cf. Capt. III, 4, 1, 9.

2. *Dare*. Enallage. Conf. Amph. I, 1, 54.

1. *Curate istuc*. Supra I, 3, 1.

2. *Quid ag*. Sup. I, 1, 17. — *Lutum*. *Lutum* pro lutulentis hominibus posuerunt : ut et *cœnum* pro cœnosis et turpissimis. TURN. lib. XXIX, 17.

4. *Popli*. Curcul. I, 1, 29.

5. *Invide*. Hic, opinor, non est qui invidet alienis opibus, sed qui

Procax, rapax, trahax : trecentis versibus
Tuas inpuritias traloqui nemo potest.
Adcipin' argentum? adcipe, sis, argentum, inpudens,
Tene, sis, argentum; etiam tu argentum tenes?
Possum te facere, ut argentum adcipias, lutum?
Qui nisi jurato mihi nihil ausus credere.
DORD. Sine respirare me, tibi ut respondeam.
Vir summe populi, stabulum servitricium,
Scortorum liberator, subiculum flagri,
Conpedium tritor, pistrinorum civitas,
Perenniserve, lurco, edax, furax, fugax,
Cedo, sis, mihi argentum, da mihi argentum, inpudens:

semper deminui de suo timet, malignus. Avidus, qui alieno inhiat; invidus, qui suo parce parcit. Sic ἄφθονος, largus. N.

7. *Inpuritias*, probra, scelera.

8. *Adcipin'*. Sæpe figura interrogandi pro imperandi modo ponitur, ut fere gallice : *viendras-tu? veux-tu obéir?* N.

9. *Etiam tu arg. ten.* Conf. Cas. III, 6, 8.

10. *Possum te fac.* Conf. Amph. I, 1, 242.

13. *Stabulum servitricium.* Sic dici servum plenum tricarum, dolorum, captionum, ut sit vocabulum factum a servis et tricis, insolens et intolerandum existimo. Longe tolerabilius Colerus *servitutium.* Fere tamen malim : *stabulum meretricium.* Nam et vox *stabulum* ad hanc rem aptior et sequitur, *Scortorum liberator.* Nisi malis *stabulum ferriterium*; qua voce et alibi utitur. GRON.

14. *Subiculum flagri.* Assidue subjecte flagro. LAMB. — At Gruterus ita vocatum ait, quod flagrum ipsum subigeret, qui alibi videlicet vocetur, *ulmorum Acheruns*, etc. Meursius legit *sudiculum flagri*: nam *sudiculum* antiquis « flagelli genus erat, quod vapulantes sudantes facit ». Sed sudor ille sanguis erat. GRON. — Vera Lambini interpretatio, quippe quod *subiculum* derivatur imminutive a *subicio.* Ennius nubes dicit « subices deum ». N.

15. *Pistrinorum civitas.* Adeo frequentator pistrini, ut solus tu quasi civitas pistriuis constans. N.

16. *Perenniserve. Perenniservus*, qui perpetuo servit uni domino, auctore Taubm. POPMA. — Immo, qui nunquam indipiscetur libertatem, ni fallor, neque ob meritum emissus manu neque peculio redemptus. N. — *Lurco.* Festus : « Lura, os culei, vel etiam utris : unde Lurcones capacis gulæ homines et bonorum suorum consumptores ». Et notat Scalig. *loram* pro ipso *utre* Ausonium dixisse, qui Homer. ἀσκός. Nonius : « Lurcare est cum aviditate cibum sumere ». Lucill. « Vivite lurcones, comedones, vivite, ventres ». LAMB.

17. *Cedo, sis*, redde, age.

Possum a te exigere argentum? argentum, inquam, cedo.
Quin tu mihi argentum reddis? nihilne te pudet?
Leno te argentum poscit, solida servitus,
Pro liberanda amica, ut omneis audiant.
TOX. Tace, obsecro, hercle: næ tua vox valide valet.
DORD. Referundæ ego habeo linguam gnatam gratiæ;
Eodem mihi pretio sal præhibetur, quo tibi.
Nisi me hæc defendet, nunquam delinget salem.
TOX. Jam omitto iratus esse. Id tibi subcensui,
Quia te negabas credere argentum mihi.
DORD. Mirum, quin tibi ego crederem, ut idem mihi
Faceres, quod partim faciunt argentarii;
Ubi quid credideris, citius extemplo a foro
Fugiunt, quam ex porta ludis quom emissu'st lepus.
TOX. Cape hoc, sis. DORD. Quin das? TOX. Numi sexcenti heic erunt
Probi, numerati; fac sit mulier libera,

18. *Exig.* recipere, extorquere.

20. *Solida servitus.* Solidum dicitur quod est integrum et partibus suis absolutum. « Malefacta solida », Epid. III, 3, 10: « Solidam gratiam », Curc. III, 1, 35: « Gaudium solidum », Terent. Andr. IV, 1, 23. PAREUS.

21. *Ut omneis audiant.* Convicium facere, occentare hoc est. Merc. II, 3, 73, et inf. vs. 41.

23. *Referundæ*, ad bene dicendum, si quis mihi prior benedixerit, et ad male dicendum, si lacessierit. LAMB.

24. *Eodem.* Tanti mihi constat victus, quanti tibi: tu servis domino, ego ei, qui me pascit: nihilo magis quam tu, gratis vivo. *Sal* convivii principium, et tenuiorum obsonium. LAMB. — Vult: « ut tu habes linguam bene pastam et validam ad lacessendum, sic enutrio meam, ut me defendat ». N.

25. *Nisi.* Nisi lingua mea regerere possit maledicta, ne sal quidem ei dabitur. Quod noster, *delingere salem* dicit, græce, ἅλιαν τρυπᾶν dicitur. CASAUB.

27. *Negabas credere*, dicebas te nolle credere. Gallice, *tu refusais de me faire crédit.* N.

28. *Mirum, quin.* Aulul. I, 2, 7.

29. *Partim... argentarii*, bona pars argentariorum.

31. *Ex porta.* In Caveis sive Circo erant portæ (Varro *Ostia* appellat) ad bestias emittendas: quas hic Plautus notat. LIPSIUS. — Ut ad sævitiam multa, ita nonnulla ad ridiculum data vel in Circo. Vid. Martial. epigr. I, 7 et 52. N.

32. *Erunt*, minus affirmat quam *sunt.* Sic fere gallice, *il doit y avoir.*

Atque huc continuo adduce. DORD. Jam faxo heic erit.
Non, hercle, quoi nunc hoc dem spectandum, scio.
TOX. Fortasse metuis in manum concredere.
DORD. Mirum! quin citius jam a foro argentarii
Abeunt, quam in cursu rotula circumvortitur.
TOX. Abi istac avorsis angiportis ad forum,
Eadem istæc facito mulier ad me transeat
Per hortum. DORD. Jam heic faxo aderit. TOX. At ne propalam.
DORD. Sapienter sane. TOX. Subplicatum cras eat.
DORD. Ita, hercle, vero. TOX. Dum stas, reditum oportuit.

35. *Spectandum.* Nescio cui hoc argentum dem spectandum; utrum probûm sit, necne. Donatus in Eun. III, 5, 18 annotat hoc *spectatores pecuniæ*, id est, probatores dictos. Talis Menandro δοκιμαστής est. TAUBM.

39. *Avorsis angiportis.* Leg. *travorsis.* SCRIVER. — *Avorsis*, qui sunt a via frequentiore et majore aversi, in postico ædium.

41. *Per hortum.* Conf. Mostell. V, 1, 4.—*Ne propalam.* Timet ne, si resciverit herus emptam meretricem, furtum suspicetur; nam unde tanta pecunia? N.

42. *Subplicatum cras.* Quasi dicat: non hodie. Atque hinc colligere est morem antiquitus fuisse, ut servi pileo donati, sive etiam ancillæ post manumissionem, supplicatum diis irent, quorum virtuti ac benignitati potissimum libertatem acceptam referrent suam: magno religionis ac pietatis argumento. DOUZA.

43. *Reditum oportuit.* Cf. Most. V, 1, 42.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

TOXILUS.

Si quam rem adcures sobrie aut frugaliter,
Solet illa recte sub manus subcedere.
Atque, edepol, ferme ut quisque rem adcurat suam,
Sic ei procedunt postprincipia denique.
Si malus aut nequam'st, male res vortunt, quas agit:
Sin autem frugi'st, eveniunt frugaliter.
Hanc ego rem exorsus sum facete et callide:
Igitur proventuram bene confido mihi.
Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo,
Ut ipsus sese, qua se expediat, nesciat.

1. *Sobrie et frugaliter*, ut homo sobrius et frugi, non remisse et negligenter, ut solent temulenti et nequam. N.

2. *Sub manus subcedere.* Ex animi sententia: quasi eam manibus tractans suo arbitratu fingeret, ac in quamvis partem confirmaret. L.— Milit. III, 2, versu ultimo.

4. *Postprincipia.* Castrense proverbium est, « A postprincipiis incipere: In postprincipiis stare: In postprincipiis esse ». Varro loquens de disciplinis mathematicis apud Gellium: « Sed hæc, inquit, aut omnino non discimus, aut prius desistimus, quam intelligamus, cur discenda sint. Voluptas autem vel utilitas talium disciplinarum in postprincipiis exsistit, quum perfectæ absolutæque sunt: in principiis vero ipsis ineptæ et insuaves videntur ». In quibus non solum usus hujus proverbii patet, sed etiam explicatur proverbium ipsum. Et subjungit: « id est, ab his potius temporibus quam superioribus ». Scalig.

6. *Frugi'st.* « Frugi, frugaliter » i. q. bonus, bene. Sed bonitas hoc loco est solertia, felicitas. Conf. Asin. I, 3, 23. N.

Sagaristio, heus, exi, atque educe virginem,
Et istas tabellas, quas consignavi tibi,
Quas tu adtulisti ab hero meo usque e Persia.

SCENA SECUNDA.

SAGARISTIO, TOXILUS.

SAG. Numquid moror? TOX. Euge, euge, exornatus basilice?
Tiara ornatum lepide condecorat tuum.
Tum hanc hospitam autem crepidula ut graphice decet!
Sed satin' estis meditati? SAG. Tragici et Comici
Nunquam æque sunt meditati. TOX. Lepide, hercle, adjuvas.
SAG. Age, illuc abscede procul e conspectu, et tace. 6
Ubi cum lenone me videbis conloqui,
Id erit adeundi tempus : nunc agite, ite vos.

SCENA TERTIA.

DORDALUS, TOXILUS.

DORD. Quoi homini di propitii sunt, aliquid objiciunt lucri.

13. *Adtulisti... e Persia*, ut de compacto fingimus. Inf. IV, 3, 28.

1. *Basilice.* Epid. I, 1, 54.

2. *Tiara ornatum.* E vet. scriptura Prisciani hanc lect. eruo, quam germanissimam Plauti censeo : « Tiara ut lepidam lepide condecorat schemam ! » Dicitur tiara imposita reliquum Persicum habitum lepide condecorare. Nam *schema* pro habitu et ornatu Plautus accepit, quem græca vox ipsa sonat : itidem, ut in prol. Amph. Nec me movet, quod vir magnus *schemam* ibi penulæ servilis genus interpretetur. *Tiaram* autem (ut hoc addam) diversam a *mitra* fuisse, et genus pileoli, quo Persæ Chaldæique usi sint, docet Herodotus, lib. VII, et D. Hieronymus ad cap. 3 Danielis. GRON.

4. *Tragici*, etc. Conf. Pœn. III, 2, 4. Nempe tragici et comici histriones edocebantur a poeta quomodo partes tuerentur quisque suas. Inde locutio tritissima « docere fabulam » eadem quæ gallice *donner une pièce*. Sic Ter. And. III, 1, 19, « num immemores discipuli ? »

1. *Quoi homini*, etc. Ridiculi causa, quo tempore luduntur, prospera sibi gratulantes Plautus sæpe inducit. Capt. III, 2, 1 sqq. Curc. IV, 4, 1.

Nam ego hodie conpendi feci binos panes in dies,
Ita ancilla mea quæ fuit hodie, sua nunc est; argento vicit:
Jam hodie alienum cœnabit, nihil gustabit de meo.
Sumne probus? sum lepidus civis, qui Atticam hodie civitatem
Maxumam majorem feci, atque auxi civi femina?
Sed ut et ego hodie fui benignus! ut ego multis credidi!
Nec satis a quîquam homine adcepi: ita prorsum credebam omnibus.
Nec metuo quibus credidi hodie, ne quis mihi in jure abjurassit.
Bonus volo jam ex hoc die esse: quod neque fiet, neque fuit.
TOX. Hunc ego hominem hodie in transennam doctis ducam dolis,
Itaque huic insidiæ paratæ sunt probe: adgrediar virum.
Quid agis? DORD. Credo. TOX. Unde agis te, Dordale? DORD. Credo tibi.
TOX. Di dent quæ velis: eho, an jam manu emisisti mulierem?
DORD. Credo, pol, credo, inquam, tibi. TOX. Jam liberta auctus es? DORD. Enicas.
Quin tibi me dico credere. TOX. Dic bona fide; jam libera 'st?

2. *Binos panes* quos singulis diebus præbebam, quamdiu ancilla fuit. Duo panes erant quotidianum ancillis demensum, sed quanti pondo, incertum est. N.

3. *Ita*, quia. Capt. III, 5, 116. — *Sua*, sui juris: itaque alienum edet, non meum. Vs. seq. — *Argento vicit*. Hic ordo: Argento (data pecunia) vicit (assequuta est), ut sua sit. Cf. sup. III, 1, 8. N.

7. *Sed hodie et ego*, etc. Ironica antiphrasis, qua sibi gratulatur quod crediderit præsenti pecuniæ. — *Benignus*. Cf. Pers. I, 1, 39.

8. *Nec satis*, etc. Nec a quoquam sponsorem accepi, cujus fidem sequutus, crederem. LAMB.

11. *Transennam*. Conf. Bacchid. IV, 6, 22.

13. *Quid agis?* Aul. I, 2, 39.— *Unde agis te?* Vide Bacchid. V, 1, 20.— *Credo tibi*. Facete, postquam ab eo pecuniam accepit, dicit se ei credere. LAMB.—Vid. III, 3, 27.

16. *Enicas*. Mercat. I, 2, 45.

DORD. I, i ad forum, ad prætorem, exquire; siquidem credere mihi non vis :

Libera, inquam, est. Ecquid audis? TOX. At tibi di benefaciant omneis.

Nunquam enim posthac tibi, nec tuorum quod nolis, volam.

DORD. Abi, ne jura, satis credo. TOX. Ubi nunc tua liberta 'st? DORD. Apud te. TOX. Ain',

Apud me'st? DORD. Aio, inquam : apud te'st, inquam. TOX. Ita me di ament, ut ob istam rem

Tibi multa bona instant a me : nam est res quædam, quam obcultabam

Tibi dicere : nunc eam narrabo, unde tu pergrande lucrum facias :

Faciam ut mei memineris, dum vitam vivas. DORD. Benedictis

Tuis benefacta aureis meæ auxilium expostulant.

TOX. Tuom promeritum'st, merito ut faciam; et ut me scias esse facturum,

Tabellas tene has, perlege. DORD. Hæ quid ad me? TOX. Imo ad te adtinent,

Et tua refert : nam e Persia ad me adlatæ modo sunt istæ a meo domino.

DORD. Quando? TOX. Haud dudum. DORD. Quid istæc narrant? TOX. Percunctare ex ipsis,

17. *Ad prætorem.* Hoc eo spectat, quod nomen manumissi in acta olim referri moris erat, causa etiam seu titulo manumissionis adscripto. Potest etiam ad prætoris *vindictam* referri. DOUZA.

18. *Ecquid audis?* Conf. Curcul. I, 2, 39.

19. *Nec tuorum* causa, vel potius, « tuorum cuiquam ».

20. *Abi.* Sop. II, 2, 33.

21. *Ita me di ament, ut,* etc. Amph. II, 1, 50.

22. *Instant,* cito venient.

24. *Benedictis Tuis benefacta.* Constructio est : Aures meæ expostulant benedictis tuis auxilium benefacta tua, id est, ut benefactis tuis benedicta tua juventur, hæc illis faveant et respondeant. BOXH.

Ipsæ tibi narrabunt. DORD. Cedo sane mihi. TOX. At clare recitato.
DORD. Tace, dum perlego. TOX. Haud verbum faciam.
DORD. « Salutem dicit Toxilo Timarchides,
Et familiæ omni : si valetis, gaudeo.
Ego valeo recte, et rem gero, et facio lucrum.
Neque isto redire his octo possum mensibus :
Itaque heic est, quod me detinet, negotium.
Eleusipolim Persæ cepere urbem in Arabia,
Plenam bonarum rerum, atque antiquom oppidum;
Ea comparatur præda, ut fiat auctio
Poplicitus : ea res me domo expertem facit :
Operam atque hospitium ego isti præhiberi volo,
Qui tibi tabellas adfert : cura, quæ is volet :
Nam is mihi honores suæ domi habuit maxumos ».
Quid id ad me, aut ad meam rem refert; Persæ quid rerum gerant,
Aut quid herus tuos? TOX. Tace, stultiloque; nescis quid instet boni.
Nequidquam tibi fortuna faculam lucrificam adlucere volt.
DORD. Quæ istæc fortuna lucrifica'st? TOX. Istas, quæ gnorunt, roga.
Ego tantumdem scio, quantum tu, nisi quod perlegi prior.

31. *Isto*, illuc ubi estis. Aulul. II, 2, 85.

38. *Plenam bonarum rer.* Sic Ennius : « Adsta, atque Athenas antiquum opulentum oppidum Contempla ». Nam *bonas res*, pro, *opulentitate*, ab antiquis, sicut e contrario *malas* pro *inopia* ac *egestate*, acceptas notum est. Trin. « Bonis tuis rebus meas res irrides malas ». DOUZA.

42. *Cura q. is vol.* Non est jubentis omnia pro libidine alicujus fieri, sed præberi illi benevolentiam.

43. *Honores... domi habuit max.* Me honorificentissimo, officiosissimo hospitio excepit.

46. *Faculam lucrificam.* Allegoria, pro lucrifaciendi occasionem et facultatem præbere, sive adeo lucrum certum objicere. « Lucere faculam », ut Curcul. I, 1, 9, « Lucere cereum ». LAMB.

47. *Istas*, literas quas tenes.

Sed ut obcœpisti, ex tabellis gnosce rem. DORD. Bene me mones.
Fac silentium. TOX. Nunc ad illud venies, quod refert tua.
DORD. (legit.) «Iste qui tabellas adfert, adduxit simul
Forma expetenda liberalem mulierem,
Furtivam, advectam ex Arabia penitissuma.
Eam te volo adcurare, ut isteic veneat,
Ac suo periculo is emat, qui eam mercabitur:
Mancupio neque promittet, neque quisquam dabit.
Probum et numeratum argentum ut adcipiat, face.
Hæc cura, et hospes cura ut curetur: vale».
TOX. Quid igitur, postquam recitasti quod erat ceræ creditum,
Jam mihi credis? DORD. Ubi nunc ille'st hospes, qui hasce adtulit?
TOX. Jam heic, credo, aderit; arcessit illam a navi. DORD. Nihil mihi opu'st
Litibus, neque tricis: quamobrem ego argentum numerem foras.
Nisi mancupio accipio, quid eo mihi opus mercimonio?
TOX. Tacen' an non taces? nunquam ego te tam esse matulam credidi.

52. *Liberalem*. Festus: « Liberales dicuntur non solum benigni, sed etiam ingenuæ formæ homines ». Apul. Met. IV: « virginem filo liberalem, etc. » LAMB.

54. *Eam... adcurare, ut... veneat*. Conf. sup. III, 3, 10.

55. *Ac suo periculo*. Interdum paciscebatur venditor, ne fugitivum aut erronem præstaret. Nam et ita quandoque lex dicebatur, ut periculo suo emeret emptor. Servos autem, quorum nomine venditor nihil præstaret, pileatos venum solitos ire, docet Gell, VII, 4. BAISS.

56. *Mancupio neque promittet*, etc. Curcul. IV, 2, 4-9.

59. *Ceræ creditum*. Id est, scriptum ceratis tabellis.

62. *Numerem foras*, emittam, quod non licest postea consequi. *Numerem foras*, est numerare ut abeat. I. e. nolo res litigiosas et intricatas, quibus emendis pecuniam amittam. N.

64. *Matulam*. Vilem, insulsum, meticulosum, ignavum, dignum, qui pro matula habeatur. TAUBM.

Quid metuis? DORD. Metuo, hercle, vero : sensi ego jam compluries :
Neque mihi haud inperito eveniet, tali ut in luto hæream.
TOX. Nihil periculi videtur. DORD. Scio istuc, sed metuo mihi.
TOX. Mea quidem istuc nihil refert ; tua ego refero gratia.
Ut tibi recte conciliandi primo facerem copiam.
DORD. Gratiam habeo : sed te de aliis, quam alios de te suaviu'st
Fieri doctos. TOX. Ne quis vero ex Barbaria penitissuma
Persequatur? etiam tu illam destinas? DORD. Videam modo
Mercimonium. TOX. Æqua dicis : sed optume eccum ipse advenit
Hospes ille, qui has tabellas adtulit. DARD. Hiccine'st? TOX. Hic est.
DORD. Hæccine illa'st furtiva virgo? TOX. Juxta tecum æque scio,
Nisi quia adspexi : equidem, edepol, liberali'st, quisquis est.
DORD. Sat, edepol, concinna'st facie. TOX. Ut contemtim, carnufex !
Taciti contemplemur formam. DORD. Laudo consilium tuum.

66. *Neque mihi haud inperito.* Aut duplex negatio magis negat, aut ita construendum : Neque mihi, utpote non imperito, eveniet. PIST. — Conf. Epid. IV, 1, 6, et Asin. V, 1, 16.

67. *Sed metuo.* Notat Donatus Terent. Adelph. consuetudinem hanc esse Terentii, ut inducat etiam eos qui falluntur, aliquid sapere : idemque a Plauto quum sæpe alibi, tum hic observari. TAUBM.

68. *Tua ego refero gratia.* Tuæ utilitatis causa hoc tibi proposui.

69. *Recte conciliandi copiam.* Gallice, *occasion de faire un bon marché.* Contrarium « male conciliare ». Cf. Pseud. I, 2, 1.

70. *Sed te de aliis*, etc. Figura secundæ personæ sententia generalis produci solet apud Latinos. Sallust. orat. Catil. « nil fit reliqui victis. Frustra auxilia implores ». Vid. scen. seq. 46. N.

71. *Ne quis*, etc. Scil. « metuendum est » : ut sit ironia. LAMB.

72. *Etiam tu illam dest.* non tu eam emere properes? Conf. Casin. III, 6, 8. LAMB.

76. *Nisi quia adsp.* nunc primum hanc aspicio. *Liberali'st.* Sup. 52. —*Quisquis.* Cistell. II, 3, 66.

SCENA QUARTA.

SAGARISTIO, VIRGO, TOXILUS, DORDALUS.

SAG. Satin' Athenæ tibi visæ fortunatæ atque opiparæ?
VIRGO. Urbis speciem vidi, hominum mores prospexi parum.
TOX. Numquid in principio cessavit verbum docte dicere?
DORD. Haud potui etiam in primo verbo perspicere sapientiam.
SAG. Quid id quod vidisti, ut munitum muro tibi visum 'st oppidum?
VIRGO. Si incolæ bene sunt morati, polchre munitum arbitror.
Perfidia et Peculatus ex urbe et Avaritia si exsulant,
Quarta Invidia, quinta Ambitio, sexta Obtrectatio,
Septimum Perjurium. TOX. Euge! VIRGO. Octava Indiligentia,
Nova Injuria, decimum, quod pessumum adgressu, Scelus:
Hæc nisi inde aberunt, centuplex murus rebus servandis parum 'st.
TOX. Quid ais tu? DORD. Quid vis? TOX. Tu in illis es decem sodalibus:
Te in exsilium ire hinc oportet. DORD. Quid jam? TOX. Quia perjurus es.

10. *Scelus*. *Facinus*, *flagitium*, *scelus*, hoc differunt: quod *facinus* vi aut malitia committitur; *flagitium* fit libidine, vel nequitia: unde *flagitiosi* dicuntur impudici, adulteri, ganeones, aleatores, facinorosi, parricidæ, sicarii, sacrilegi, perjuri, etc. *Scelus*, utrumque comprehendit. Cic. Catil. I: « Quod facinus a manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? » POPMA. — *Pessumum adgr.* I. e. pessimum ad aggrediendum, suscipiendum. LAMB.

12. *Quid ais tu?* Aulul. IV, 9, 7. — *Sodalibus*. Sodales sunt qui ejusdem sunt collegii. Multæ leges fuerunt de collegiis et sodalitiis.

DORD. Verba quidem haud indocte fecit. TOX. Ex tuo inquam usu'st; eme hanc.
DORD. Edepol, qui quom hanc magis contemplo, magis placet. TOX. Si hanc emeris,
Di inmortaleis! nullus leno te alter erit opulentior.
Evortes tuo arbitratu homines fundis, familiis.
Cum optumis viris rem habebis; gratiam cupient tuam;
Venient ad te comisatum. DORD. At ego intromitti non sinam.
TOX. At enim illi noctu obcentabunt ostium, exurent foreis:
Proinde tu tibi jubeas concludi ædeis foribus ferreis;
Ferreas ædeis conmutes, limina indas ferrea:
Ferream seram atque anulum: ne, si ferro parseris...
Ferreas tute tibi inpingi jubeas crassas conpedeis.
DORD. I in malum cruciatum. TOX. I sane: hanc eme atque ausculta mihi.
DORD. Modo ut sciam, quanti indicet. TOX. Vin' huc vocem? DORD. Ego illo adcessero.
TOX. Quid ais, hospes? SAG. Venio, adduco hanc, uti dudum dixeram.
Nam heri in portum noctu navis venit: vænire hanc volo,
Si pote'st; si non pote'st, ire hinc volo quantum pote'st.

14. *Usu'st; eme hanc.* Utile, conducibile est ut emas.

17. *Evortes... hom. fund.* Conf. Epid. II, 2, 42. — *Tuo arbitratu.* Bacch. V, 2, 8.

18. *Cum optumis.* Conf. Curcul. III, 1, 14.

20. *Obcentabunt ostium*, convicium tibi facient ante ostium. Vide Merc. II, 3, 73.

24. *Jubeas.* Facito tibi fores ferreas, et ferrea cætera: ne si sumptu deterritus, ferro peperceris, eadem opera tute tibi ferreas compedes impingas. LAMB. — Lusus fit per inopinatum: postquam ædes undique muniri ferro præceperat, et addiderat, « ne si ferro parseris », exspectabatur « te invito fores irrumpant ». Sed ex abrupto detorquetur oratio ad taxandum lenonem: « jube compedes tibi, quibus dignus es, fieri ». N.

25. *I sane.* Ambiguum. Cf. Mil. II, 3, 15.

27. *Quid ais, h.* Aul. IV, 9, 7.

29. *Quantum pote'st.* Cf. Bacch. II, 3, 114.

DORD. Salvos sis, adulescens. SAG. Siquidem hanc vendidero pretio suo.

TOX. Atqui aut hoc emtore vendes polchre, aut alio non potes.

SAG. Esne tu huic amicus? TOX. Tamquam di omneis qui cælum colunt.

DORD. Tum tu mihi es inimicus certus: nam generi lenonio,
Nunquam ullus deus tam benignus fuit, qui fuerit propitius.

SAG. Hoc age; opusne'st hac tibi emta? DORD. Si tibi vænisse 'st opus,
Mihi quoque emta 'st: si tibi subiti nihil est, tantumdem'st mihi.

SAG. Indica, fac pretium. DORD. Tua merx est, tua indicatio'st.

TOX. Æquom hic orat. SAG. Vin' bene emere? DORD. Vin' tu polchre vendere?

TOX. Ego scio, hercle, utrumque velle. DORD. Age, indica prognariter.

SAG. Prius dico: hanc mancupio nemo tibi dabit: jam scis? DORD. Scio.
Indica, minumo daturus quî sis, quî duci queat.

30. *Adulescens.* Men. II, 2, 11. — *Siquidem*, etc. Ea conditione salvus ero, et quod mihi fauste precaris evenerit. N.

34. *Nunquam ullus*, etc. Nullus fuit tanta benignitate, ut propitius lenoni cuiquam esset. N.

35. *Hoc age.* Capt. V, 1, 10.

36. *Emta'st opus.*—*Si tibi subiti*, etc. Si non urget te necessitas, ut vendas, æque, non magis me urget, ut emam. Timet nempe, ne nimium pretium poscator, si videatur ipse cupientior. Subitum i. q. instans, urgens. Conf. Aulul. II, 3, 5, et Trin. V, 2, 51. N.

37. *Indica. Indicare* vendentis est: ut *mercari* et *liceri* emptoris. Aul. II, 8: « Indicant caros ». Briss.

38. *Bene*, *polchre.* Conf. supra IV, 3, 69.

39. *Utrumque*, vos ambo. — *Prognariter.* Ita et Nonius, qui enarrat *fortiter*, *strenue*. Sed legere malim cum Lambino *prognaviter*, etymo magis consentaneum. N.

40. *Hanc mancupio.* Conf. scen. præced. vs. 56.

41. *Minumo dat.* etc. Quî (quo) minumo (pretio) daturus sis, quî (quo) abducere emptor possim. Cf. Bacch. II, 3, 101. Vel adverbiali-

TOX. Tace, tace, nimis tu quidem, hercle, homo stultus es pueriliter.

DORD. Quid ita? TOT. Quia enim te ex puella prius percontari volo,

Quæ ad rem referunt. DORD. Et quidem, hercle, tu me monuisti haud male.

Vide, sis, ego ille doctus leno pæne in foveam decidi,

Ni heic adesses. Quantum est adhibere hominem amicum, ubi quid geras!

TOX. Quo genere, aut qua in patria sit gnata, aut quibus parentibus,

Ne temere hanc te emisse dicas suasu atque inpulsu meo.

(ad Sagaristionem.) Nisi molestum 'st, percontari hanc paucis hic volt. SAG. Maxume,

Suo arbitratu. TOX. Quid stas? abi tute, atque ipse itidem roga.

Ut tibi percontari liceat quæ velis, etsi mihi

Dixit dare potestatem ejus; sed ego te malo tamen

Eum ipsum adire, ut ne contemnat te ille. DORD. Satis recte mones.

Hospes, volo ego hanc percontari. SAG. A terra ad cælum, quid lubet.

DORD. Jubedum ea huc accedat ad me. SAG. (ad virginem.) I sane, ac morem illi gere.

ter, si placet, intellige *qui*, quod eodem alia via redibit. Conf. Aul. III, 5, 28. N. — *Quí duci*. Ut a me emptore abduci queat. LAMB.

44. *Quæ ad rem ref.* Vid. vs. 47.

45. *In foveam decidi*. Pæne deceptus et illaqueatus sum. LAMB.

46. *Ni heic adesses*. Douza malit: « Nisi hic adesset », sc. Toxilos.

50. *Suo arbitratu* faciat. — *Tute*, tu. N.

52. *Potestatem ejus* rei. Cf. Capt. II, 3, 14, et Cistell. I, 2, 19. Etsi mihi dixit dare se tibi potestatem hujus rei, ut liceat, etc. tamen malo te ipsum poscere iterum, ne te hominem insipientem et inscitum existimet.

54. *A terra*. Ἀπ' οὐρανοῦ μέχρι γῆς. Quasi dicat: Quacumque de re: ab extremo initio usque ad supremum finem. Proverb. TAUBM.

Percontare, exquære quid vis. TOX. (ad virginem.) Age, age
nunc tu, i præ : vide
Ut ingrediare auspicato. VIRGO. Liquidum 'st auspicium.
TOX. Tace.
(ad Dordalum.) Concede, sis; jam ego illam adducam. DORD.
Age, ut rem esse in nostram putas.
TOX. Sequere me. Adduco hanc, si quid vis ex hac percontarier.
DORD. (ad Toxilum abeuntem.) Enim volo te adesse. TOX. Haud possum, quin huic operam dem hospiti,
Quoi herus jussit : quid si heic non volt me adesse una?
SAG. Imo i modo.
TOX. Do ego tibi operam. DORD. Tibi ibidem das, ubi tu
tuum amicum adjuvas.
TOX. Exquire. (ad virginem.) Heus tu, advigila. VIRGO. Satis
est dictum; quamquam ego serva sum,
Scio ego officium meum, ut quæ rogitet, vera, ut adcepi,
eloquar.
TOX. Virgo, hic homo probu'st. VIRGO. Credo. TOX. Non
diu apud hunc servies.
VIRGO. Ita, pol, spero; si parenteis facient officium suum.
DORD. Nolo ego te mirari, si nos ex te percontabimur
Aut patriam tuam, aut parenteis. VIRGO. Cur ego id mirer, mi homo?
Servitus mea mihi interdixit, ne quid mirer meum

56. *Age, age nunc tu, i præ : vide Ut*, etc. Hoc loco inextricabiles sunt absurditates, si ut vulgatis detur: « TOX. Jubedum, etc. » Nam quod Toxilus ad se nunc puellam vocat, prorsus ineptum est. Lenonis enim ea postulatio est. ACIDAL.

57. *Liquidum 'st*. Epid. II, 2, 1.

60. *Operam dem*. Conf, Curcul. II, 2, 9.

61. *Quid si*, etc. I. e. fortasse non velit, etc.—*Imo*, sæpe adversativa. Quasi « adeo non veto, ut ire ad eum jubeam ». Cf. Bacch. I, 2, 38. N.

62. *Ibidem... ubi*, tum quum.

63. *Quamquam serva sum*, fictione vestra.

64. *Vera, ut adcepi*. Quæ audii, incorrupta, integra reddam. N.

Malum. TOX. Di istam perdant, ita cata'st et callida.
Habet cor! quam dicit quod opu'st! DORD. Quid nomen tibi'st?
TOX. Nunc metuo ne peccet. VIRGO. Lucridi nomen in patria fuit.
TOX. Nomen atque omen quantivis est preti: quin tu hanc emis?
(seorsum.) Nimis pavebam ne peccaret: expedivit. DORD. Si te emam,
Mihi quoque Lucridem confido fore te. TOX. Tu si hanc emeris,
Nunquam, hercle, hunc mensem vortentem, credo, servibit tibi.
DORD. Ita velim quidem, hercle. TOX. Optata ut eveniant, operam addito.
(seorsum.) Nihil adhuc peccavit etiam. DORD. Ubi tu gnata es? VIRGO. Ut mihi
Mater dixit, in culina, in angulo ad lævam manum.

71. *Habet cor!* Cur hoc miretur, vide Cistell. I, 1, 67. — *Quid.* Cf. Amph. I, 1, 208.

73. *N. atque omen.* Mos religionis Veterum: quibus magnæ curæ in his talibus initiis, homines præessent, aut interessent *bono nomine*, id est, e quorum nominibus captari velut augurium aliquod posset prosperitatis et diuturnitatis. Talia sunt Salvius, Longinus, Statorius, etc. Mala contra, e quibus triste aliquod, infirmum, breve: ut Curtius, Minutius, Furius, Hostilius, etc. Tale vaticinium lenonis hujus Plautini. LIPS. — Facit huc elegans locus Plutarchi in Nicia, ubi notat et observat ex Timæo, mali ominis fuisse Atheniensibus, quod ὁ ἀπὸ τῆς νίκης ἔχων τοὔνομα, ipse scilicet Nicias, militiæ imperator electus, munus illud abnueret. BOXH. — Et apud Livium Scipio abominandi nominis ducem dicit Atrium. XXVIII, 29.

74. *Expedivit* rem.

76. *Mensem vortentem.* Spatio decurrentis mensis. LAMB. — Sic etiam Vitruv. IX, 9: « Sol autem signi spatium, quod est duodecima pars mundi, mense vertente vadens transit ». GRON. — Turneb. XVI, 13.

79. *In culina.* Lepos in eo, quod rogata locum nativitatis, ædium signet: non quidem præter interrogationem, sed unde alter nihilo certior. GAUTER. — Innuit simul venustissime verum suum, qui fuerat in utero matris, situm, et lo-

TOX. Hæc erit tibi fausta meretrix: gnata 'st in calido loco,
Ubi rerum omnium bonarum copia'st sæpissume.
(seorsum.) Tactu'st leno, qui rogarat, ubi gnata esset, diceret.
Lepide lusit. DORD. At ego patriam te rogo quæ sit tua.
VIRGO. Quæ mihi sit, nisi hæc ubi nunc sum? DORD. At ego illam quæro, quæ fuit.
VIRGO. Omne ego pro nihilo esse ducto, quod fuit, quando fuit:
Tamquam hominem, quando animam ecflavit, quid eum quæras, qui fuit?
TOX. Ita me di bene ament, sapienter! atque equidem miseret tamen.
DORD. Sed tamen, virgo, quæ patria'st tua? age mihi actutum expedi: quid taces?
VIRGO. Dico equidem patriam: quandoquidem heic servio, hæc patria'st mea.
TOX. Jam de istoc rogare omitte: non vides nolle eloqui,
Ne suarum se miseriarum in memoriam inducas? DORD. Quid est?
Captusne'st pater? VIRGO. Non captus, sed quod habuit, id perdidit.
TOX. Hæc erit bono genere gnata, nihil scit, nisi verum loqui.
DORD. Quis fuit? dic nomen. VIRGO. Quid illum miserum memorem, qui fuit?

cum genitalem. In genitura quippe ut mares in uteri parte dextra, ita femellæ ad lævam sive sinistram materni uteri collocantur, ut medici et anatomici observant. BOXH.— Sane parasitica progenies natalem habere debuit culinam.

82. *Tactu 'st.* Epid. V, 2, 39.

86. *Qui fuit*, mortuus est. Conf. Capt. III, 3, 1.

87. *Miseret tamen.* Hæc dicit lenoni. Admiror sapientiam, me miseret infortunii. N.

93. *Hæc erit.* Vid. III, 3, 32.

94. *Dic nomen* patris.—*Qui fuit.* Hoc loco non significat mortem hominis, quippe quod vss. 92, 98 non patiantur, sed conversionem rerum. *Qui fuit* i. q. qui nunc non est, qui erat. Fuit felix, est miser.

Nunc et illum Miserum et me Miseram æquom est nominarier.
DORD. Quojusmodi is in populo habitu'st? VIRGO. Nemo quisquam adceptior;
Servi liberique amabant. TOX. Hominem miserum prædicas,
Quom ipsus prope perditu'st, et benevolenteis perdidit.
DORD. Emam, opinor. TOX. Etiam, opinor? DORD. Summo genere esse arbitror.
TOX. Divitias tu ex istac facies. DORD. Ita di faxint. TOX. Eme modo.
VIRGO. Jam hoc tibi dico: jam actutum, ecastor, meus pater, ubi me sciet
Vænisse, aderit huc, et me absentem redimet. TOX. Quid nunc? DORD. Quid est?
TOX. Audin' quid ait? VIRGO. Nam, etsi res sunt fractæ, amici sunt tamen.
DORD. Ne, sis, plora, libera eris actutum, si crebro cades.

97. *Servi liberique.* Notandum quam convenientis vero patri quæ respondet ad fallendum lenonem.

98. *Perdidit benevol.* Amicos amisit, sive miserum reliquerint, quod vs. 103 non comprobat, sive sint mortui. De voce *perdere* vid. infra vs. 108, et Cas. II, 6, 43. De voce *benevolenteis*, Bacch. III, 3, 71. N.

102. *Vænisse, aderit huc.* Hæc est lectio Bothiana, longe melior vulgatis, « Venisse huc, aderit hic » : ingenio certe scioli. Nam sic versus oneratur. Et *huc* non ferens cum *aderit*, quamvis sæpissime poetæ canunt *huc ades*, namque ibi notio inest eundi; transtulerit ad vocem *venisse*, quasi a *venio* esset, non *veneo*, dein complere crediderit *hic* addendo τῷ *aderit.*—*Absentem*, i. e. veniet me quæsitum absentem et redemptum.

104. *Sis*, si vis, locutio hortantis. — *Si crebro cades.* Id est, siquidem inclinari te crebro ac muliebris patientiæ legem accipere sustinueris. Quomodo et nos in Belgis Veneres istiusmodi *curto calci insistere* cavillantes, lepida sane vernaculæ vocis compositione, *Kort gehielt* perhibemus, quasi dicas *brevicalces*. Quo enim calcaneum brevius homini, eo ad resupinandum accommodatior. Easdem etiam ab eadem causa, *comitiales esse*, hoc est, casabundas dictabant. DOUZA.—Recta est et proba lectio, *si crebro cades*. Cadere puellæ et mulieres dicebantur, quæ præbent viris. Non enim nisi resupinatæ officium hoc faciunt. Unde apud Juvenalem: « aviam resupinat ami-

Vin' mea esse? VIRGO. Dum quidem ne nimis diu tua sim, volo.

TOX. Satin'.ut meminit libertatis! dabit hæc tibi grandes bolos.

Age, si quid agis; ego ad hunc redeo. (ad virginem.) Sequere. (ad Sagarist.) Reduco hanc tibi.

DORD. Adulescens, vin' vendere istanc? SAG. Magis lubet, quam perdere.

TOX. Tum tu pauca in verba confer: quî datur, tanti indica.

SAG. Faciam ita, ut te velle video: ut emas, habe tibi centum minis.

DORD. Nimium'st. SAG. Octoginta. DORD. Nimium'st. SAG. Numus abesse hinc non potest,

Quod nunc dicam. DORD. Quid id est ergo? eloquere actutum, atque indica.

SAG. Tuo periculo sexaginta hæc datur argenti minis.

DORD. Toxile, quid ago? TOX. Di deæque te agitant irati, scelus,

Qui hanc non properes destinare. DORD. Habeto. TOX. Eu, prædatus probe!

Abi, argentum ecfer huc.

Non, edepol, minis trecentis cara'st; fecisti lucri.

SAG. Heus tu, etiam pro vestimentis huc decem adcedent minæ.

ci ». Et vulgo dicimus in nostro idiomate talus curtos habere mulieres, quæ crebro ac libenter cadunt. Non enim magno impulsu opus est, ut resupinentur. SALM.

106. *Grandes bolos.* Magno hæc erit tibi emolumento. LAMB.

109. *Quî.* Sup. vs. 41.

110. *Habe* eam. Locutio vendentis.

113. *Tuo periculo.* Conf. scen. præc. vs. 55.

114. *Quid ago.* Conf. Bacchid. V, 2, 79.

115. *Habeto*, consentientis. Habebis, quas poscis sexaginta minas. — *Prædatus probe* es, magnum fecisti lucrum. *Præda* i. q. quæstus. Conf. Merc. II, 3, 105, et Stich. I, 3, 67. N.

117. *Non, edepol, min. trec. car.* Etiamsi 300 minis ematur, non cara sit. — *Fecisti lucri.* Anastrophe, pro lucrifecisti. N.

DORD. Abscedent enim, non adcedent. TOX. Tace, sis, non tu illum vides
Quærere ansam, infectum ut faciat? abisne, atque argentum petis?
DORD. Heus tu, serva istum. TOX. Quin tu is intro? DORD. Abeo, atque argentum adfero. 121

SCENA QUINTA.

TOXILUS, SAGARISTIO, VIRGO.

TOX. Edepol dedisti, virgo, operam adlaudabilem,
Probam et sapientem et sobriam. VIRGO. Si quid bonis
Boni fit, esse idem et grave et gratum solet.
TOX. Audin' tu, Persa, ubi argentum ab hoc adceperis,
Simulato quasi eas prorsum in navem. SAG. Ne doce.
TOX. Per angiportum rursum te ad me recipito
Illac per hortum. SAG. Quod futurum'st, prædicas.
TOX. At ne cum argento protinam permutes domum:
Moneo te. SAG. Quod te dignum'st, me dignum esse vis.
TOX. Tace, parce voci, præda progreditur foras.

SCENA SEXTA.

DORDALUS, SAGARISTIO, TOXILUS, VIRGO.

DORD. Probati heic argenti sunt, sexaginta minæ,

119. *Abscedent*, etc. Immo potius decem detrahentur, nedum addantur. N.

121. *Serva*, cave ne abeat.

2. *Sobriam*. Supra, IV, 1, 1.— *Si quid bonis*, etc. Conf. Captiv. II, 2, 108.

3. *Grave*. *Grave* pro pretioso et caro accipiunt Latini. Unde *grave donum* Symmacho: ita Græci βαρύτιμον. SALMAS. — *Gratum*. Amph. prol. 48. Vid. sc. 7, vs. 8.

4. *Persa*. Sagaristio, qui Persam mentiris. ERN.

5. *Prorsum*, quasi proversum, recta via. GRON.

7. *Per hortum*. Sup. III, 3, 41.

8. *Permutes domum*, aufugias. Urbana scurrilitas servorum inter se jocantium. Vid. Asin. III, 2.

Duobus numis minu'st. SAG. Quid ei numi sciunt?
DORD. Cruminam hanc emere, aut facere ut remigret domum.
SAG. Ne non sat esses leno, id metuebas miser,
Inpure, avare, ne cruminam amitteres.
TOX. Sine, quæso : quando leno'st, nihil mirum facit.
DORD. Lucro faciundo ego auspicavi in hunc diem :
Nihil mihi tam parvi 'st, quin me id pigeat perdere.
Age, adcipe hoc, sis. SAG. Hanc in collum, nisi piget,
Inpone. DORD. Vero fiat. SAG. Numquid cæterum
Me voltis? TOX. Quid tam properas? SAG. Ita negotium'st,
Mandatæ quæ sunt, volo deferre epistolas.
Geminum autem fratrem servire audivi heic meum,
Eum ego ut requiram atque ut redimam, volo.
TOX. Atque, edepol, tu me conmonuisti haud male.
Videor vidisse heic forma persimilem tui,
Eadem statura. SAG. Quippe qui frater siet.
DORD. Sed scire velimus, quod tibi nomen siet.
TOX. Quid adtinet nos scire? SAG. Ausculta ergo, ut scias:
Vaniloquidorus, Virginisvendonides,
Nugipolyloquides, Argentiextcrebronides,

2. *Quid ei numi*. Quare absunt? quid facere sciunt? LAMB.

3. *Cruminam*. Ut crumenam hanc emas; aut si duos istos nummos tibi dari etiam postulas, crumenam mihi reddas. LAMB.

4. *Ne non sat*. Sic Terent. Phorm. III, 2, 23 : « Eia, ne parum leno sies ». Ὑφὲν, id est, vereris ne non obtineas lenonum mores : ne non respondeas satis tuo nomini tuæque turpitudini. GRUT.

10. *Vero fiat*. III, 1, 32.—*Numquid*, etc. Cist. I, 1, 119, 121.

12. *Mandatæ*. Forte legendum, *Mandata quæ*. Sunt enim epistolæ, mandata. Hesychius : ἐπιστολαί, ἐντολαί· ita quoque Suidas exponit. Hinc putem, *cum mandatis mittere*, esse cum epistolis, in quibus mandata perscripta, mittere. COLER.—*Mandata* mihi quoque Plautinum videtur; quæ enallage esset usitatissima. Casin. II, 5, 3. Sententia est : deferre volo epistolas, quod mihi mandatum est : et pluralis pro singulari, ut mira sunt pro mirum, sermone tritius est quam ut afferam exempla. N.

13. *Geminum*. Cur hæc de fratre gemino fingat, vid. V, 2, 48. SCH.

20-23. *Vaniloquidorus*, etc. Ri-

Tedigniloquides, Numorumexpalponides,
Quodsemelarripides, Nunquamposteaeripides.
DORD. Heu, hercle, nomen multimodis scribtum'st tuum.
SAG. Ita sunt Persarum mores, longa nomina
Contortiplicata habemus : numquid cæterum
Voltis? DORD. Vale. SAG. Et vos : nam animus in navi'st
meus.
DORD. Cras ires potius, hodie heic cœnares. Vale.

SCENA SEPTIMA.

TOXILUS, DORDALUS, SATURIO, VIRGO.

TOX. Postquam illic abiit, dicere heic quidvis licet.
Næ hic tibi dies inluxit lucrificabilis!
Nam non emisti hanc, verum fecisti lucri.
DORD. Ille quidem jam scit, quid negoti gesserit,
Qui mihi furtivam meo periclo vendidit.

dicule conficta nomina, quæ historiam quasi fraudis continent, qua leno deceptus est. *Vaniloquidorus*, hybrida nomen, ex *vanus*, *loqui*, δῶρον, ut *Nugipolyloquides*, ex *nugæ*, πολὺς, *loqui*; quamvis Boxhornius sequntus MSS Camerarii, qui dat *Nugipiloquides*, velit *Nugipililoquides*; vocabulo facto a *nugæ*, *pilus* et *loquor*. Namque *pilus*, res nihili. *Argentiexterebronides*, a verbo *exterebrare*, vid. sup. II, 2, 55, quod idem fere est atque *Numorumexpalponides*, nisi quod prius per vim, posterius per illecebras rem transactam innuat. *Tedigniloquides* reddimus quale in omnibus profertur, quod enarrant *te digna loquens*; potius videatur *Tædigniloq.* eadem confictione verbi *tædignus*, qua *benignus*, *malignus*, etc. id esset, *usque ad tædium loquens*; namque verbis profluunt sycophantæ comici. « Quod semel arripides, nunquam postea eripides ». Hæc interpretatione non egent. Cf. aliquid simile Capt. II, 2, 35. N.

24. *Multimodis*. Vulgo, *multis modis*, minus ad metrum et orationem.

28. *Cras ires*, deberes ire. Sic Andr. IV, 4, 54, « hem prædiceres », debuisses me admonere. Sic Virg. Æn. VIII, 643 : « at tu dictis, Albane, maneres ». Hæc est vis optativi in conditionali modo. Cf. Men. IV, 2, 47. N.

3. *Verum fecisti lucri*. Lucrifecisti hanc, i. e. quasi lucro, non emptione, tibi advenit. Gallice : *c'est tout gain*. N.

4. *Jam scit*, ego nescio, metuo.

Argentum adcepit, abiit. Quid ego nunc scio
An jam adseratur hæc manu? quo illum sequar?
In Persas? nugas. TOX. Credidi gratum fore
Beneficium meum apud te. DORD. Imo equidem gratiam
Tibi, Toxile, habeo: nam sensi te sedulo
Mihi dare bonam operam. TOX. Tibin' ego? imo servii.
DORD. Atat oblitus sum intus dudum edicere
Quæ volui edicta: adserva hanc. TOX. Salva'st hæc quidem.
(Dordalus abit.)
VIRGO. Pater nunc cessat. TOX. Quid si admoneam? VIRGO.
Tempus est.
TOX. Heus, Saturio, exi: nunc est illa obcasio
Inimicum ulcisci. SAT. Ecce me: numquid moror?
TOX. Age, illuc abscede procul e conspectu. SAT. Tace.
TOX. Ubi cum lenone me videbis conloqui,
Tum turbam facito. SAT. Dictum sapienti sat est.

SCENA OCTAVA.

DORDALUS, TOXILUS.

DORD. Transcidi loris omneis adveniens domi,
Ita mi subpellex squalet, atque ædeis meæ.
TOX. Redis tu tandem? DORD. Redeo. TOX. Næ ego hodie tibi
Bonam vitam feci. DORD. Fateor habere gratiam.
TOX. Num quidpiam aliud me vis? DORD. Ut bene sit tibi.

8. *Nugas*. Curcul. I, 3, 43. — *Gratum*. Supra sc. 5, vs. 3.

11. *Tibin' ego* operam dedi? non satis dicis. Nam operam dare ut vulgo officiosi; at me totum tibi dedidi.

13. *Salva 'st quidem*. Ridiculo ambiguum. Nam credit Toxilum polliceri fidelem custodiam; at spectatores virginem salvam esse, nempe liberam, intelligunt. N.

17. *Tace*. Curcul. I, 1, 84.

19. *Sapienti*, intelligenti.

4. *Bonam vitam*. Lamb. corrigit « Bona multa feci ». Sed nihil necesse est hinc ejicere propriam et elegantem formulam: « Bonam vitam facere »: quum significare vellent, in voluptatem et gaudium se opera alicujus conjectos. Casin. IV, 4, 17: « Venus multipotens bonam vitam mihi dedisti ». J. GUL.

TOX. Pol, istuc quidem jam ego omne usurpabo domi:
Nam jam inclinabo me cum liberta tua.

SCENA NONA.

SATURIO, DORDALUS, VIRGO.

SAT. Nisi ego illunc hominem perdo! DORD. Perii! SAT. Atque optume
Eccum ipsum ante ædeis. VIRGO. Salve multum, mi pater.
SAT. Salve, mea gnata. DORD. Hei, Persa me pessumdedit.
VIRGO. Pater hic meus est. DORD. Hem! quid? pater? perii oppido!
Quid ego igitur cesso infelix lamentarier
Minas sexaginta? SAT. Ego, pol, te faciam, scelus,
Te quoque etiam ipsum ut lamenteris. DORD. Obcidi!
SAT. Age, ambula in jus, leno. DORD. Quid me in jus vocas?
SAT. Illei apud prætorem dicam: sed ego in jus voco.
DORD. Nonne antestaris? SAT. Tuan' ego causa, carnufex,
Quoiquam mortali libero aureis adteram?

7. *Jam inclinabo me.* Frustra hic notant lenonum genus, salacissimum fuisse: non hæc dicit leno, sed Toxilus, qui ab lenone amores suos redemerat. Frustra *inclinabo* hic detorquent in sensum turpem; nihil est enim aliud quam accumbam, id quod paullo post faciunt. GRONOV.

3. *Persa, me pessumdedit.* Pronuntiando fiebat paronomasia, quasi *pessa pessumd.* Nam vulgo permutatio fiebat *r* pro *s*. Ut « quæro, quæso, Furius, Fusius, Valerius, Valesius ». N.

9. *Illei.* Amphitr. prol. 133. — *Apud prætorem.* Si reus non latitaret, sed agendi secum actori faceret potestatem, solebat postulationum die in jus sequi adversarium: cumque citatus respondisset, statim actor causam dicebat, suamque reo, sedente pro tribunali prætore, actionem edebat. Antequam autem in jus ventum esset, reo actionem edere actorem olim cogi non solere, ex hoc Plauti loco probari potest. RÆVARD.

10. *Tuan' ego causa.* Homines enim infames, et intestabiles, ut fures aut lenones, sine antestatione, injecta manu invitos in jus trahere licebat. DOUZA. — Conf. Curcul. V, 2, 20-23.

Qui heic conmercaris civeis homines liberos.
DORD. Sine dicam. SAT. Nolo. DORD. Audi. SAT. Sum surdus, ambula.
Sequere hac, scelesta feles virginaria.
Sequere hac, mea gnata, me usque ad prætorem. VIRGO. Sequor.

14. *Scelesta feles virginaria.* Personas ita disting. « Seqnere hac. DORD. Scelesta feles virginaria » : perperam, pertinet ad lenonem. Sic apud Ausou. Ep. 69, *feles pullaria* est *subulo* Lucilii, a rapiendis pueris sive pullis. « Quis Marcus ? Feles nuper pullaria dictus, Corrupit totum qui puerile secus ». Sic Rud. III, 4, 43, *feles virginales* appellat lenones : tracto convicio a rapacitate ejus animalis. LIPS.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

TOXILUS, SAGARISTIO, LEMNISELENE.

TOX. Hostibus victis, civibus salvis, re placida, pacibus perfectis,
Duello exstincto, re bene gesta, integro exercitu et præsidiis,
Quom bene nos, Jupiter, juvisti, dique alii omneis cælipotentes,
Ea vobis grateis habeo, atque ago, quia probe sum ultus meum inimicum.
Nunc ob eam rem inter participeis dividam prædam et participabo.
Ite foras: heic volo ante ostium et januam meos participeis bene adcipere.
Statuite heic lectulos, ponite heic quæ adsolent: heic statui volo primum
Aquolam mihi; unde ego omneis hilaros, lubenteis, læticanteis faciam ut fiant,

1. *Pacibus perfectis*, conditionibus pacis transactis. Nonius: « Paces, plurali numero nove positum ». Varro: « constituere paces ». Gron.—Conf. Horat. Epist. II, 2, 102.

4. *Ea*, ob ea, ob eam causam. Lamb. — Sic *id* pro ob id, Amph. III, 2, 28.

7. *Statuite heic.* Genialis convivii descriptio. Huc pertinet locus Asin. V, 1 et 2. — *Adsolent.* Flores, corollas, panem, obsonia, vinum, etc. Lamb.

8. *Aquolam*, aquam duplicem initio statim poni mos erat, calidam, frigidam. Faceta autem allusio comici servi, quasi ad aquilam etiam militarem. Lips. — Vulgo scribunt *aquilam*, quo manifestior sit paronomasia; sed orationem corrumpunt. Namque diminutive

Quorum opera hæc mihi facilia factu facta sunt, quæ volui ecfieri.
Nam inprobu'st homo, qui beneficium scit sumere, et reddere nescit.
LEMN. Toxile mi, cur ego sine te sum? cur autem tu sine me es? TOX. Agedum ergo,
Adcede, mea, ad me, atque amplectere, sis. LEMN. Ego vero : oh, nihil magis dulce'st!
Sed, amabo, oculus meus, quin lectis nos actutum commendamus?
TOX. Omnia quæ tu vis, ea cupio. LEMN. Mutua fiunt a me. TOX. Age, age, age, ergo,
Tu Sagaristio, adcumbe in summo. SAG. Ego nihil moror: cedo parem quem pepegi.
TOX. Temperi. SAG. Mihi istuc temperi, sero'st. TOX. Hoc age adcumbe: hunc diem suavem

ex aqua faciebant *aquolam*, *aqulam* (Cistell. II, 3, 38; Curcul. I, 3, 3), nunquam *aquilam*. Sed in *aquola* secunda brevis ita liquescebat pronuntiando, ut vix quid ab aquila differret sentiretur, et fieret ex ambiguitate jocus. Convivales autem inter apparatus non obliviscuntur aquæ vel comessaturi. Cf. Mostell. I, 3, 150. N. — *Unde ego omneis hilaros*. Lepidissimi versus; sed perobscurus quibusdam hic est, ob insolentiam formulæ, « faciam hilaros ut fiant », elegantis tamen, et in uno Plauto locis sexcentis obviæ, accusandi casu pro nominandi posito. Cf. Bacch. III, 6, 26. Porro *lubentas* convivii verbum proprium est, quum fronte jam exporrecta jocandi et sese exhilarandi cuique libido est. Terent. Adelph. « Hilarem ac lubentem fac te in nati nuptiis ». Sententia est : Jubet Toxilus lectulos statui, cyathos, vinum, cætera quæ assolent, in primis caldam temperando vino adponi : ut lubentia et hilaritate impleat omnes, quorum opera fallaciæ ex sententia successerint. J. GUL.

10. *Sumere*, accipere.

14. *Mutua fiunt a me*. Hoc est, ut tu cupis quæ cupio, ita cupio quæ cupis, par pari reddo. *Mutua* pro *mutuum fit*. Vid. IV, 6, 12. N.

15. *In summo*. Asin. V, 2, 41. — *Cedo parem*. Quidquid alii dicant, aut mutent, placet quod Lambinus reposuit : « cedo partem, quam pepegi ». Cedo id, quod ex pacto mihi debes. BOXH. — Quid, si nihil mutes et interpreteris da mihi parem, sodalem, convivam quem pactus sum, te. I. e. mecum simul accumbe. Nisi pactus erat et amicam sibi dari. N.

Meum natalem agitemus amœnum; date aquam manibus;
adponite mensam.
(ad Lemniselenem.) Do hanc tibi florentem florenti; tu heic eris
dictatrix nobis : age, puere,
A summo septenis cyathis committe hos ludos : move manus; propera.
Pægnium, tarde cyathos mihi das, cedo sane. Bene mihi,
bene vobis, bene amicæ meæ.

18. *Florentem* coronam. Ex illo, « do hanc tibi, etc. » probo, magistros interdum sola corollæ impositione dictos esse. Qui enim leges bibendi præscribebat, *magister* vulgo dicebatur : Varroni etiam *modimperator :* Horatio *arbiter :* Plauto *dictator.* Græce, συμποσίαρχος, βασιλεὺς, στρατηγός· qua postrema voce et noster usus est, Sticho, V, 4. Hæc autem *magisteria* (ut Cicero vocat) seu *regna vini* (ut Horat.) sortiebantur et eligebant talis, in omni convivio. Et quanquam talorum jactus varii erant, Venus, Canis, Senio, Chius : tamen proprius fuit magistro creando jactus Veneris : qui enim primus e convivis hanc jecerat, is *magister.* Horat. « ...Quem Venus arbitrum Dicet bibendi ». Lips.

19. *Septenis cyathis.* Vinum aqua temperari mos erat (quod vox *miscere* pro adfundere vulgo usitata arguit : cæterum cf. Mitscherlich. ad Horat. Od. III, 19) : qua autem proportione haud invariabile, sed semper mensura certa diffinitum. Sextarius erat duodecim cyathorum, quibus fiebat commixtio. Hic *septenis cyathis* est quincunce aquæ septunce vini temperatum : ut « ternos ter cyathos » apud Horat. Od. III, 19, significat dodrantem vini cum aquæ quadrante. Si quis miretur bibaces, ut Veteres erant, aqua vinum miscuisse, tum quale fuerit illius vini plerumque genus, nigrum, crassum, violentum, meminerit. Ebriositate infamis mulier audit merobibax apud Plautum, eademque queritur quod sibi puer aqua vinum infuscaverit; tanto illud nigrore fuit. Ergo nunc septunce vini Toxilus iniri compotationem jubet : dein ad merum propius accedent, calescente prælio. Quod ad septenarium numerum attinet, Gellius, III, 10, memorat curricula ludorum circensium solemnia fuisse septem. Et Ausonius epigr. heroum : « Phosphore, clamosi spatiosa per æquora circi Septenas solitus victor obire vias ». Suetonius refert Domitianum, quo facilius centum missus (*courses*) peragerentur (uno die), singulos a septenis spatiis ad quina corripuisse. N. — *Committe.* A metaphora ludorum circensium, qui dicuntur *committi*, quum factiones quadrigarum e carceribus emittuntur : sic Varro : « Dominus maturo ovo cœnam committit ». Cic. de Fin. III : « Heri ludis commissis ex urbe profectus ». Nonius : « Committit, id est, incipit ». Scal.

20. *Cedo*, da. — *Bene mihi.* Bre-

Optatus hic mihi dies datus hodie 'st ab dis, quia te licet liberam me amplecti.
LEMN. Tua factum opera. Bene omnibus nobis, hoc mea manus tuæ poculum donat,
Ut amantem amanti decet. TOX. Cedo. LEMN. Adcipe. TOX. Bene ei qui invidet mihi,
Et ei qui hoc gaudio gaudet.

SCENA SECUNDA.

DORDALUS, SAGARISTIO, LEMNISELENE, PÆGNIUM, TOXILUS.

DORD. Qui sunt, qui erunt, quique fuerunt, quique futuri sunt posthac,
Solus ego omnibus antideo facile, miserrumus hominum ut vivam.
Perii, interii! pessumus hic mihi dies hodie inluxit! conruptor
Ita me Toxilus perfabricavit, itaque meam rem divexavit.
Vehiculum argenti miser ejeci, amisi: neque quamobrem ejeci, habeo.

viter dicitur, intellecto *sit*, vel *cedat*, vel *eveniat*. Est antem sermo convivalis. GRON.*

23. *Ut amantem amanti decet.* Hæc est propinatio, de qua Asin. IV, 1, 27. — *Ei qui invidet.* Horat. loc. cit. « Sparge rosas, audiat invidus Dementem strepitum Lycus ». N.

2. *Ut vivam.* Ita supero cæteros infortunio, ut sim miserrimus. Cf. Casin. II, 3, 1.—*Antideo*, anteeo. De verbo *vivam* cf. Cas. II, 8, 53.

3. *Conruptor*, qui perdidit. Cf. Pœnul. III, 6, 21; Amph. V, 1, 6, et Bacchid. IV, 9, 117. N.

4. *Perfabricavit.* Fabricis et dolis planissime perdidit. LAMB.

5. *Vehiculum arg.* etc. Vulgata, « Vehiculum arg. ejeci, amisi ». Hypermetrum manifeste glossema irreptitium. Qui volunt hoc eodem pertinere quo « plaustrum perculi », vel mutandum esse « verriculum arg. ej. » eo sensu, « argenteo rete piscatus sum », scilicet magnum projeci, captans prædam: quærunt nodum in scirpo. Nam ut dicitur « montes auri », vid. Epid. I, 1, 78; « corbita cibi », Casin.

Quî illum Persam, atque omneis Persas, atque etiam omnes personas
Male dî omneis perdant! ita misero Toxilus hæc mihi concivit.
Quia ei fidem non habui argenti, eo mihi eas machinas molitu'st :
Quem, pol, ego ut non in cruciatum, atque in conpedeis cogam, si vivam,
Siquidem huc unquam herus redierit ejus, quod spero? sed quid ego adspicio?
Hoc vide : quæ hæc fabula 'st? pol, heic quidem potant. Adgrediar. O bone vir
Salveto, et tu, bona liberta. TOX. Dordalus hic quidem 'st. SAG. Quin jube adire.
TOX. Adi, si lubet. Agite, adplaudamus. Dordale, homo lepidissume, salve.
Locus hic tuus est, huc adcumbe: ferte aquam pedibus: præben' tu, puere?
DORD. Ne, sis, me uno digito adtigeris, ne te ad terram, scelus, adfligam.
PÆGN. At tibi ego hoc continuo cyatho oculum excutiam tuum.

IV, 1, 20, vehiculum auri erit summa ingens, quam ex arca ejecerit. N.

8. *Quia ei fidem*, etc. Sup. III, 3, 27. N.

9, 10. *Ut non*, etc. Oratio pendet non absoluta, quam compleas ita vel quovis alio simili « fierine potest ». Indignantis clamor. Conf. supra I, 3, 52, et Cistell. IV, 2, 10. — *Si vivam*. Bacch. IV, 6, 6.

11. *Fabula*. Scipio apud Livium perorans adversus Fabium, « græcas fabulas narrare » dicit eum, qui ea satis prolixe narravit quæ viri græci gesserunt. Ergo hunc locum gallice vertas, *quelle histoire est-ce là*. N.

14. *Ferte aquam pedibus*. Ridet lenonem : itaque dicit *pedibus*, non *manibus*. LAMB. — Lotio non solum Judæis, sed et Gentibus ipsis usitata. Quia enim in lectis discumbentes epulabantur, propterea prius depositis soleis lavabant : ne scilicet pulverosis pedibus strata inquinarent. SCALIG.

15. *Scelus*. Bacch. V, 1, 9.

DORD. (ad Toxilum.) Quid ais, crux, stimulorum tritor? quomodo me hodie vorsavisti!
Ut me in tricas conjecisti! quomodo de Persa manus mihi adita 'st!
TOX. Jurgium hinc auferas, si sapias. DORD. At, bona liberta, hæc scivisti,
Et me celavisti? LEMN. Stultitia 'st, quoi bene esse licet, eum prævorti
Litibus; posterius istæc te magis par agere'st. DORD. Uritur cor mihi.
TOX. Da illi cantharum: exstingue ignem, si cor uritur, caput ne ardescat.
DORD. Ludos me facitis, intellego. TOX. Vin' cinædum novom tibi dari, Pægnium?
Quin elude, ut soles, quando liber locu'st heic.
Hui, babæ! basilice te intulisti et facete.
PÆGN. Decet me facetum esse, et hunc inridere
Lenonem lubido 'st, quando dignu'st.

17. *Quid ais.* Aulul. IV, 9, 7. — *Crux*, cruce dignus, ut scelus, pro scelestus. — *Stimul. tritor.* Sic fere *ulmitribas* II, 4, 7. — *Vorsavisti.* Cistell. I, 1, 96. N.

18. *Ut me in tricas conjecisti!* Tricæ proprie pili: quia viles et nullius pretii, inde res ejusmodi isto nomine insignitæ. Porro et funes vinculaque, ac translate omnia impedimenta ita appellabantur: unde *intricare*, *extricare*. Non alia ratione usurpat hic Plautus. MEURS. — *Manus adita 'st.* Aul. II, 7, 8.

19. *Jurgium*, convicium, rixam. — *Auferas.* Capt. V, 2, 11.

20. *Stultitia 'st*, etc. Quum leno auscultare Toxilo ad compotationem vocanti recuset, pergatque illos probris incessere, Lemniselene jocosa gravitate respondet « stultus est, qui, quum genio indulgere possit, mavult lites ciere. Accumbe nunc, deinde illa quæ nunc commoves, jurgia inferre poteris ». De verbo *bene esse* vide Casin. II, 3, 37. — *Prævorti*, rei alicui ante alias animadvertere. Captiv. II, 3, 100, et Cistell. V, 2, 8. N.

23. *Ludos me facitis.* Capt. III, 4, 47. « Illudere, ludificari, ludibrio habere », sæpe turpitudinis et obscœnitatis significationem habent: ut apud Græcos, ὑβρίζειν, ἐμπαίζειν, καταπαίζειν. Suet. in Tib. « Feminarum capitibus illudere solitus ». Terent. Hecyra: « ... Eam ludibrio habere ». Ad quod Donatus: « Honesto verbo et pleno pudoris usus est: et nove, pro vitiari ». MURETUS. — *Cinædum*, amasium, quicum lusites.

TOX. Perge, ut cœperas. PÆGN. Hoc, leno, tibi.
DORD. Perii, perculit me probe. PÆGN. Hem, serva rursum.
DORD. Delude ut lubet, herus dum hinc abest.
PÆGN. Viden', ut tuis dictis pareo?
Sed quin tu meis contra item dictis servis,
Atque hoc quod tibi suadeo, facis? DORD. Quid est id?
PÆGN. Restim tu tibi cape crassam, ac suspende te.
DORD. Cave, sis, me adtingas : ne tibi hoc scipione
Malum magnum dem. PÆGN. Utere, te condono.
TOX. Jam jam, Pægnium, da pausam***
DORD. Ego, pol, vos eradicabo. PÆGN. At te ille, qui supra nos habitat,
Qui tibi male volt, maleque faciet : non hi dicunt, verum ego.
TOX. Age, circumfer mulsum : bibere da usque plenis cantharis.
Jamdiu factum est postquam bibimus : nimis diu sicci sumus.
DORD. Di faciant, ut id bibatis, quod vos nunquam transeat.

28. *Hoc, leno, tibi.* Impingit iclum.

29. *Perculit me probe.* Me prope pervertit. LAMB. — *Serva rursum.* Attende, ne te feriam.

36. *Te condono.* Quum Dordalus pnero magnum malum se dalurum minaretur, ille recusat, eoque munere ipsum eondonat, ut sibi fruatur, utatur. ACIDAL. — Cf. Baech. V, 2, 24.

37. *Da pausam.* Id est, quietem, finem. Ita *pausare*, Trinum. I, 2. Epistol. Corneliæ ad C. Gracchum : « quæ pausa erit ? »

38. *At te ille*, etc. Nempe Saturio, virginis pater, quam leno mercatus est liberam. — *Hi*, compotalores. N.

40. *Circumfer.* « Circumferre potionem » idem quod in orbem præbere a summo. LIPS.

41. *Jamdiu factum 'st*, etc. Amph. I, 1, 146, 147.

42. *Quod vos nunquam.* Venenum interpretatur Douza. Ei oblo-quuntur nullam esse causam, cur sic accipiamus : veneni nullam fieri mentionem. Quasi non innumera, quorum nulla fit mentio intelligendo accipiantur. Volunt simpliciter esse, quod ἐξουρεῖν, sive excernere non possitis, ut ilia quasi rumpantur. At quid est illud? aut venenum

PÆGN. Nequeo, leno, quin tibi saltem staticulum dem, olim quem Hegea
Faciebat : vide vero, si tibi satis placet. SAG. Me quoque volo
Reddere, Diodorus quem olim faciebat in Ionia.
DORD. Malum ego vobis dabo, nisi abitis. SAG. Etiam mutis, inpudens?
Jam ego tibi, si me inritassis, Persam adducam denuo.
DORD. Jam taceo, hercle : atque tu Persa es, qui me usque admutilavisti ad cutem.
TOX. Tace, stulte : hic ejus geminus est frater. DORD. Hiccine'st? TOX. Ac geminissumus.
DORD. Di deæque et te, et geminum fratrem excrucient. SAG. Qui te perdidit :
Nam ego nihil merui. DORD. At enim, quod ille meruit, tibi id obsit volo.
TOX. Agite, soltis, hunc ludificemus, nisi non dignu'st. SAG. Non opu'st.
LEMN. At me haud par est. TOX. Eo credo, quia non inconciliavit, quom te emo.

utique, aut pro veneno, vel eumdem eventum habens quem venenum, sive vi sua, sive ob aliam infirmitatem corporis. Itaque pugnare non debebant, sed suu jungere, ne ambo anguste nimis loquuti viderentur. Bibatis, cujus fæces priusquam exoneratis, pereatis : hoc est, quod sit aut venenum aut pro veneno. GRON.

43. *Staticulum*. Staticuli sunt saltationes statariæ quædam non proinde motoriæ (Macrob. ex Catone, III, 14) : quales erant in eo chori genere, quod στάσιμον a Græcis vocatur : vel *staticuli* a parte saltationis dicuntur, in qua *statur*. TURN. — Conf. Stich. extr. Hegea ille et Diodorus noti erant eo tempore saltatores, de quibus nihil legi nisi hic. SALM.

45. *In Ionia*. Certe, haud longe postquam ex Asia devicta romanus exercitus redierat, hæc fabula acta fuit. N.

48. *Admutilavisti*. Conf. Captiv. II, 2, 19.

53. *At me haud par est*. Me libertam ejus non decet eum ludificare. Sæpe fit commutatio casuum quos verba regunt. *Par* eodem cum casu componitur, quo « dignus, decorus ». Cf. Milit. III, 1, 25.— *Non inconciliavit*, non fecit, quid-

LEMN. Attamen. TOX. Non tamen; cave ergo, sis, malo, et sequere me.
Te mihi dicto audientem esse addecet: nam, hercle, absque me
Foret et meo præsidio, hic faceret te prostibilem propediem.
Sed ita pars libertinorum 'st, nisi patrono qui advorsatus est,
Nec satis liber sibi videtur, nec satis frugi, nec satis honestus;
Ni id ecficit, ni ei male dixit, ni grato ingratus repertus est.
LEMN. Pol, benefacta tua me hortantur, tuo ut inperio paream.
TOX. Ego sum tibi patronus plane, qui huic pro te argentum dedi.
Pro hisce hunc volo ludificari. LEMN. Meo ego in loco sedulo curabo.
DORD. Certo illi homines mihi nescio quid mali consulunt, quod faciant. SAG. Heus vos.
TOX. Quid ais? SAG. Hiccine Dordalus est leno, qui heic liberas virgines?
Hiccine est qui fuit quondam fortis? DORD. Quæ hæc res est? hei, colaphum icit.
Malum vobis dabo. TOX. At tibi nos dedimus, dabimusque etiam. DORD. Hei nates pervellit.

qnid in eo erat, ut te emere non possem. Bacchid. III, 6, 22. — *Quom te emo.* Enallage. Menæchm. V, 9, 56, 76. N.

54. *Attamen.* TOX. *Non tamen; cave.* Sermo Lemniselenæ interrumpitur. Non oggere mihi, inquit, tuum *Attamen*, ac mitte de priore hero, maloqne cave, quam nnnc meam meo dicto decet esse audientem. ACIDAL.

55. *A. me foret.* Capt. III, 5, 96.

57. *Nisi patrono qui*, etc. Nisi quis libertus adversus patronum contumacem se gerit.

65. *Fortis.* Bacch. II, 2, 38.

66. DORD. *Hei nates pervellit.* Non videtur hunc locnm intellexisse

PÆGN. Licet : diu sæpe sunt expunctæ. DORD. Loquere tu etiam, frustum pueri?

LEMN. (ad Dordalum.) Patrone, i intro, amabo, ad cœnam. DORD. Mea ingnavia tu nunc me inrides?

LEMN. Quiane te voco, bene ut tibi sit? DORD. Nolo mihi bene esse. LEMN. Ne sit.

TOX. Quid igitur, sexcenti numi quid agunt? quas turbas danunt!

DORD. Male disperii! sciunt referre probe inimico gratiam.

TOX. Satis sumsimus subplici jam. DORD. Fateor, manus vobis do. TOX. Et post dabis

Sub furcis : abi intro. SAG. In crucem. DORD. An me hic parum exercitum

Hisce me habent? TOX. Convenisse te Toxilum memineris.

Spectatores, bene valete; leno periit. Plaudite.

Lambinus : in quo manifesto ad Atheniensium παρατιλμὸν respeclum est : de quo Suidas et Ariloph. Pluto, I, 2 : ὁ δ' ἀλεὺς γε μοιχὸς διὰ σέ που παρατίλλεται. MEURS.

67. *Licet* fieri hoc.— *Expunctæ*. Ambigua obscœnitas. Nam expungere significal vulgo, quoad milites, exauctorare, quoad pecuniariam rationem, summam debiti vel accepti abolere. Igitur alterutra allusione innuit vetulum et emeritum cinædum. Præterea si dominantem et etymum verbi sensum perscrulatus eris, aliud cavillationis acumen, quod non tanli esl, ut sedulo quæras. N.

68. *Mea ingniav.* Male hæc vulgo distinguuntur sic : «Mea ingnavia, tu n. m. i., quasi Lemniselenem hoc probro compellaret ». Lege : « Mea ignavia lu nunc me irrides ». Per meam iguaviam et simplicilatem, dum me eludi passus sum, factum est, ut jam me irrideas, ut me deridendi materia et occasio tibi sit oblata. BOXH.

72. *Manus vobis do.* Dare manus est cedere, et fateri se inferiorem. Lucrel. II : « ... Si tibi vera videtur, Dede manus; aut si falsa esl, accingere contra ». Ulitur eo Cæsar, Cicero, Virgilius, alii. Hanc locutionem natam putem ab iis, qui manus afferunl vincieudas victoribus. Alii, a gestu supplicantum. ERASM.

74. *Conven. te Tox. mem.* Te rem habuisse cum Toxilo.

Ut Amphitruoni Plautinæ Rotrovianam primo volumine addidimus comitem, sic ad hujus calcem ejusdem nostratis poetæ Menæchmos edendam curamus, quæ partim ad verbum ab exemplari latino expressa est, partim adscititia quædam ita refert intermixta, ut antiquos mores meretricios simul cum affectatis fictitiarum olim historiarum (1) deliciis conjunctos in iisdem personis videas. Hinc imitatoris servilem diligentiam, immo festinantis nimium neque meditatione opera concoquentis negligentiam damnabis; inde quantopere auctorum ingenio populi voluntas judiciumque moderentur eximio specimine deprehendes, quum decorum scenæ latinæ cum gallicæ decoro discrepans pugnansque in una eademque fabula spectabis; at non poteris non admirari elegantissimam tum scribentis facilitatem.

LES MÉNECHMES,

COMÉDIE DE ROTROU.

ACTE PREMIER.

SCÈNE PREMIÈRE.

ERGASTE.

Les chaînes tiennent mal un captif en servage;
On a peu de raison d'en conserver l'usage :

(1) Les romans.

Ce malheur qu'on ajoute à ses afflictions,
Aiguise son esprit dans ses inventions;
La rigueur le rend pire, et plus on le tourmente,
Plus le désir qu'il a de s'échapper augmente.
Il se traîne à la porte, il lime les verroux,
Et cherche le moyen d'en arracher les clous;
Les gardes le matin ne trouvent que la place:
Ainsi le trop grand soin de l'arrêter le chasse.
Il faut d'autres liens pour retenir ses pas,
Et je n'en sache point comme les bons repas.
Il n'imagine point la liberté si chère,
Qu'on ne l'arrête bien avec la bonne chère,
Fût-il cent fois coupable et digne de la mort,
Il ne peut s'échapper en un lien si fort.
Les festins ont sur nous une puissante amorce;
Plus cette chaîne est douce, et plus elle a de force:
Un servage pareil est mon unique bien;
J'aime d'être captif en un si doux lien.
Je porte ma franchise avec beaucoup de peine,
Et je meurs si Ménechme aujourd'hui ne m'enchaîne.
Le nectar et les mets les plus délicieux
Qui puissent contenter notre goût et nos yeux,
Et chasser des esprits toute mélancolie,
Sont les aimables nœuds dont ce geôlier me lie.
O combien cette vie est contraire au souci!
Que nous boirons long-temps, si je le trouve ici!
Mais je le vois qui sort.

SCÈNE II.

MÉNECHME Ravi, ERGASTE.

MÉNECHME Ravi, *regardant à sa porte demi-ouverte.*

Indomptable, insensée,
Ne t'ingère jamais d'expliquer ma pensée;
Si tout ce que je hais tu ne le veux haïr,
Si tu ne me veux pas autrement obéir,
Si tu te plais toujours d'exciter ma colère,
Jalouse, résous-toi de vivre chez ton père,

Et brisons nos liens d'un dessein mutuel;
Le veuvage est plus doux qu'un hymen si cruel.
Je ne sors pas sitôt, que tu viens à la porte
Demander où je vais, chez qui, ce que je porte;
J'épousai mon tuteur à l'instant malheureux
Que nous fûmes unis sous ce joug rigoureux,
Tant je suis obligé de te rendre de compte,
Tant ma facilité m'a procuré de honte!
Mais tu fais ton devoir, tu me dois ce tourment,
Car je t'entretenais trop délicatement.
Je t'aimais trop, jalouse; une amitié si forte
Est ce qui t'autorise à vivre de la sorte;
Mais puisque ma bonté n'a point d'autres effets,
Apprends en peu de mots le dessein que je fais:
C'est trop t'entretenir dans une humeur si vaine;
Quand je te fournirai du chanvre, de la laine,
Et des habits décens à ta condition,
Que ce soit une borne à ton ambition.
Ne porte plus les yeux que dessus ta servante.
Que désires-tu plus afin d'être contente?
Travaille, vis paisible, et ne t'ingère plus
D'épier mes desseins par des soins superflus.

(La porte se ferme.)

Enfin elle est rentrée. O dieux! que cette femme
Est un fâcheux obstacle à ma nouvelle flamme!
Sous quel joug malheureux me trouvé-je arrêté!
Pourquoi ne puis-je plus donner ma liberté?
Un objet si charmant a mon âme blessée,
Que je n'en saurais plus divertir ma pensée:
Un de ses entretiens, un regard seulement,
Forcerait l'inconstance à l'aimer constamment.

(Montrant une épingle à cheveux en diamans.)

Que j'aurai de bonheur, si ce présent la touche,
S'il m'obtient seulement un baiser de sa bouche!
Ma jalouse aujourd'hui serre mal ses joyaux:
Celui-ci que j'ai pris est du rang des plus beaux;
Aussi je le consacre à l'objet le plus rare,
Qui défende aux amans la qualité d'avare.

ERG. *à part.* Son discours jusqu'ici ne me contente pas;
Toute l'amour qu'il a vaut moins qu'un bon repas.
(Haut.)
Il le faut aborder. Quoi, triste et solitaire?
MÉN. R. Hélas! t'étonnes-tu d'une humeur ordinaire?
Puis-je être plus joyeux au milieu du tourment?
Et mon teint n'est-il pas la couleur d'un amant?
ERG. Je suis amant aussi. MÉN. R. De qui? ERG. Des bonnes chères.
Les plus rares beautés ne me sont pas si chères,
Et je viens là-dessus chercher votre secours:
Vous m'avez fait souvent posséder mes amours.
. . . .

SCÈNE III.

MÉNECHME RAVI, ÉROTIE, ERGASTE.

MÉN. R. *à Érotie.* Vous sortez justement au point qu'on vous désire;
Mais avec une grâce et des attraits si doux
Que vous me forcerez à m'éloigner de vous,
Si vous ne retenez les regards tout de flamme
Qui m'enchantent les yeux et qui m'embrasent l'âme.
Je ne puis concevoir comment chaques momens
Vous peuvent apporter de nouveaux ornemens.
Jadis vous paraissiez des plus belles du monde,
Naguère sans pareille, aujourd'hui sans seconde.
Mais le ciel voit enfin ses efforts limités,
Il ne peut qu'ajouter à vos rares beautés;
Et vous avez, madame, épuisé ses merveilles,
Si l'esprit et le corps ont des douceurs pareilles,
Si ma douleur vous touche, et si vous guérissez
Un homme seulement entre tant de blessés.
ÉROT. Si vous ne réservez une voix si féconde,
Vous me rendrez, monsieur, la plus vaine du monde.
Et je crois qu'aujourd'hui vous avez entrepris
De vous nuire vous-même, et de m'être à mépris,
Puisque vous m'élevez en un degré de gloire
Où rien ne m'est égal, si j'ai droit de vous croire.

MÉN. R. Mon amour seul aspire à cette égalité;
Il est seul infini comme votre beauté.
En cet unique point vous pouvez être vaine,
De rejeter mes vœux, et de causer ma peine.
ERG. *à Ménechme Ravi.* Commandez le diner. ÉROT. J'estime infiniment
Le discours que vous dicte un esprit si charmant.
Quoi que je dissimule, et que je désavoue,
Je suis femme pourtant, et j'aime qu'on me loue.
ERG. *à part.* Moi, j'aime qu'on me traite. ÉROT. Ainsi je dois aimer
Un qui sait si bien feindre et si bien estimer.
MÉN. R. N'êtes-vous point du rang de ces âmes faciles,
Que tout le monde trouve également dociles,
En qui tous les esprits font de mêmes effets,
Qui promettent toujours, et ne donnent jamais?
O dieux! que votre humeur doit être méprisée!
Que souvent ces discours ont mon âme abusée!
Telle qui me charmait par l'appât de sa voix,
Que je croyais m'aimer autant que je l'aimois,
Dont l'inclination me paraissait si grande,
Qu'il ne me restait plus qu'à faire la demande,
Me voyant approcher m'a repoussé la main,
Et m'a, tout en raillant, accusé d'être vain;
Avecque tout le monde elle vit tout de même,
Et quiconque la voit estime qu'elle l'aime.
Madame, que ce point me cause de souci!
Que je suis malheureux, si vous vivez ainsi!
ERG. Monsieur, il est bien tard. ÉROT. Enfin cette licence
Passe une juste borne, et ce discours m'offense.
Je tiens votre amitié pour un rare bonheur,
Pourvu qu'elle demeure au terme de l'honneur,
Que mon honnêteté ne soit point offensée,
Et qu'un but vertueux borne votre pensée.
Autrement vous perdrez vos discours et vos soins,
Et me demandant plus, je vous donnerais moins.
Je ne remarque point d'action de ma vie
Qui doive autoriser votre amoureuse envie.

Si ma joyeuse humeur vous fait imaginer,
Que me demandant tout je doive tout donner,
Il faut vivre autrement, me contenir, me taire,
Et ces froids entretiens prouveront le contraire.
MÉN. R. Bien : il me faut résoudre à souffrir constamment,
A n'amollir jamais ce cœur de diamant,
A mourir tous les jours pour de vaines chimères,
Que vous font concevoir les contes de vos mères.
Que vous perdez de temps, et combien de plaisirs
Ce fantôme d'honneur dérobe à vos désirs !
Mais c'est trop irriter cette humeur obstinée;
Je laisse à vos desseins régir ma destinée.
C'est trop vous amuser d'inutiles propos;
Peut-être que le temps fera pour mon repos.
J'attends ma guérison de votre repentance;
Elle rétractera cette injuste sentence.
Cependant ce poinçon qui vous est dédié,
Aura l'heur de servir à ce poil délié;
Et je m'estimerai le plus heureux du monde,
De le voir tous les jours sous cette tresse blonde,
Et tous les jours touché par ces divines mains,
A qui le ciel permet d'enchaîner tant d'humains.
ÉROT. Quoique indigne, monsieur, d'un présent de la sorte,
Puisque vous l'ordonnez, il faut que je le porte.
Qu'il est bien travaillé! j'admire sa beauté :
Tout ce que vous donnez a cette qualité.
ERG.. Quand faut-il qu'il soit prêt? MÉN. R. Donne ordre, ma pensée,
Qu'au retour du palais la table soit dressée;
Je reviens de ce pas, et nous dînons ici.
ÉROT. Adieu, je vous attends. ERG. Et moi, j'y dîne aussi.

SCÈNE IV.

ÉROTIE, CILINDRE.

ÉROT. Cilindre! CIL. Quoi, madame? ÉROT. Il faut que trois personnes
Trouvent un bon repas en ce que tu me donnes.

Ménechme fait un tour, et vient dans un moment.
CIL. Il n'en faut apprêter que pour dix seulement;
Pour Ménechme, pour vous, et pour son parasite,
Qui tout seul dîne autant que huit mangeurs d'élite.
Quoi qu'on puisse apprêter, je n'imagine pas
Qu'après lui vos valets fassent un bon repas.
Surtout il boit des mieux, et nous verrons merveilles,
Si ce goinfre altéré gouverne les bouteilles.

ACTE II.

SCÈNE PREMIÈRE.

MÉNECHME SOSICLE, MESSÉNIE *son valet.*

MÉN. SOS. Confesse que le port est bien doux aux nochers
Échappés du péril, des flots et des rochers;
Et que le souvenir de la fureur de l'onde
Est une volupté qui n'a point de seconde.
MESS. Je trouverais encore un plaisir plus charmant
A ne s'exposer point sur ce traître élément,
A passer chez les siens le cours de ses années,
Et n'aller point ainsi tenter les destinées.
J'ai vu cent fois la mort, et les vents courroucés
Ont de mille dangers nos vaisseaux menacés;
Cent fois leur violence a déchiré nos voiles;
Cent fois ils nous ont mis au-dessus des étoiles;
Les efforts du pilote ont cent fois été vains,
Et le timon cent fois est tombé de ses mains.
Nous tournons comme l'onde à l'entour de ces îles,
Et partout nous faisons des chemins inutiles.
En toutes nous voyons des gens et des maisons,
En toutes un même air et de mêmes saisons.
Quand finira, monsieur, un si fâcheux voyage,
Où vous perdez sans fruit le plus beau de votre âge?
Au lieu que vous dussiez dans un autre séjour
Donner ces jeunes ans au plaisir de l'amour.
MÉN. SOS. L'amour n'est point si doux, ni le vent si contraire,
Qu'ils m'ôtent de l'esprit la perte de mon frère.
Seul je sais quel il est, et combien il m'est cher;
Seul je sais quel instinct m'oblige à le chercher.
Le repos m'est honteux, si ma nef vagabonde
N'a fait auparavant le tour de tout le monde.

MESS. Que ce temps ennuîra vos parens désolés!
Depuis notre départ six ans sont écoulés.
Songez quelles douleurs ont leurs âmes atteintes;
Imaginez leurs pleurs, figurez-vous leurs plaintes.
Qu'ils maudissent de fois ce voyage hasardeux,
Où pour leur rendre un fils vous leur en ôtez deux!
Hélas! où notre nef n'a-t-elle été portée,
Et quelle région n'avons-nous visitée?
Quel fruit espérez-vous de vos pas superflus,
Si vous cherchez en terre un homme qui n'est plus?
Apprenez le chemin qui mène chez les ombres,
Et nous l'irons tirer de ces rivages sombres,
Si l'on peut repasser le chemin du trépas;
Autrement n'espérez que de perdre vos pas.
MÉN. SOS. Si la mort a suivi son servage et ses peines,
Au moins j'en veux avoir des nouvelles certaines;
Et, ce point obtenu, j'irai chez mes parens
Bâtir un mausolée à ses mânes errans.
MESS. Vous verrai-je toujours dans une humeur si noire?
Avez-vous résolu de composer l'histoire?
Nous aurions mesuré le quart de l'univers,
Depuis que nous faisons tant de chemins divers.
MÉN. SOS. Ne me présente plus cet avis salutaire;
Au lieu de me l'offrir, prends celui de te taire.
Garde que ces propos n'excitent mon courroux,
Et cesse de railler, si tu n'aimes les coups.
MESS. O malheureux effet de mon sort misérable,
Qui fait que mon avis n'est pas considérable!
Le silence, pourtant, m'est une étroite loi,
Et je dois t'avertir des maux que je prévoi.
Je vois bien à regret cette rive étrangère,
Lorsque je sens, monsieur, la bourse si légère;
Plus nous nous éloignons en ces bords écartés,
Plus nous nous approchons des incommodités;
Et vous n'emploîriez pas un soin moins nécessaire
A chercher de l'argent, qu'à chercher votre frère.
Nous sommes abordés chez des gens inconnus
Qui déclarent la guerre aux esprits retenus;

Ici par les plus saints Vénus est invoquée,
La volupté chérie, et la vertu moquée;
Tant de rares objets, tant de jeunes beautés,
Tiennent ici les yeux et les cœurs enchantés,
Et pour se faire aimer usent de tant de charmes,
Qu'il est bien malaisé de ne rendre les armes.
Après, les biens qu'on a sont bientôt disparus;
Un Crœsus les aimant deviendrait un Irus;
Qui leur donne des vœux s'apprête des supplices,
Et la nécessité suit ces molles délices.
MÉN. Sos. C'est assez, j'aurai soin d'éviter leurs appas;
Mais donne-moi la bourse, et ne t'éloigne pas.
MESS. Quoi! vous suis-je suspect? MÉN. Sos. Cette île est dangereuse
A ceux qui comme toi sont d'humeur amoureuse.
Une fille s'offrant, je te tiens si courtois,
Que je serais trompé si tu la rejetois.
Moi, je me fâche tôt, et jamais ne supporte
Le tort que me peut faire un homme de ta sorte;
Et je ne prends l'argent que pour nous empêcher,
Toi, de me faire tort, et moi de me fâcher.
MESS. Vous m'avez déchargé d'un fardeau si pénible,
Que j'en reçois, monsieur, un plaisir indicible;
Et si vous m'accordez le souhait que je fais,
Vous me dispenserez de le porter jamais.

SCÈNE II.

CILINDRE, MÉNECHME SOSICLE, MESSÉNIE.

CIL. Je crois qu'il suffira de ces mets que je porte...
Mais, dieux! est-il si tard? Ménechme est à la porte.
Le vin est en la chambre, entrez-y seulement,
Je ne vous ferai plus attendre qu'un moment.
MÉN. Sos. Quoi, sais-tu qui je suis? CIL. J'aurais peu de mémoire:
J'ai cent fois eu l'honneur de vous verser à boire.
MÉN. Sos. Et sais-tu bien mon nom? CIL. Oui, c'est Ménechme.
MÉN. Sos. O Dieux!
Comment peut-on déjà me connaître en ces lieux?

CIL. Ergaste vient-il pas? MÉN. Sos. Qui? CIL. Votre parasite,
Dont tous les bons buveurs estiment le mérite;
Ce grand videur de plats, ce grand rinceur de pots,
Qui dans les cabarets a fondé son repos.
Ah! qu'il va triompher sur l'estime des tables,
Et qu'il vous contera de merveilleuses fables!
MESS. Que vous ai-je prédit? MÉN. Sos. Où me suis-je adressé?
Et quel plaisant discours me fait cet insensé?
CIL. Vous trouverez, monsieur, un dîner assez rare
En la diversité des mets que je prépare.
MESS. O le plus plaisant fou qui soit dessous les cieux!
Ami, tu te méprends : il aborde en ces lieux;
A peine la navire est encore arrêtée,
Et l'ancre n'est qu'à peine à la rive jetée.
Que veux-tu qu'il comprenne aux contes que tu fais,
Toi, qu'il ne connaît point, et qu'il ne vit jamais?
CIL. Ami, tu ne dois pas m'outrager davantage,
Ou je vais de ces plats te couvrir le visage.
Ne dis mot seulement à qui ne te dit rien :
Je ne te vis jamais, et je le connais bien.
MÉN. Sos. Où m'aurais-tu connu? CIL. Que vous sert cette feinte?
. . . .
CIL. N'éprouvez point sur moi de telles défiances;
Vous devez être exempt de ces vaines créances.
Vous me connaissez trop, et vous n'ignorez pas
Que je vous ai dressé de solides repas.
Mais il vous plaît, monsieur, de railler de la sorte:
J'entre, et vais envoyer ma maîtresse à la porte,
Qui vous attend sans doute, et dont les complimens
Vous feront mépriser ces divertissemens.
(Il sort.)
MÉN. Sos. Tu m'as fidèlement la vérité prédite,
Et quelque courtisanne en ce logis habite.
N'importe, quelque avis dont je sois dépourvu,
Ne crains pas que je tombe en un filet prévu.
Attendons seulement: mais j'admire cet homme
Qui ne m'ayant point vu me connaît et me nomme.
MESS. Moi je suis étonné de cet étonnement,

Ayant vu tant d'effets de votre changement.
Nous n'avions pas quitté l'humide sein de l'onde,
Que l'on savait ici les noms de tout le monde.
Les femmes ont des gens sur le bord de ces eaux,
Qui, sitôt qu'on arrive, entrent dans les vaisseaux,
Et s'enquêtent des noms, du pays, des richesses,
Pour les venir en hâte apprendre à leurs maîtresses;
Elles prennent alors leurs plus beaux ornemens :
Vous ne vîtes jamais des objets si charmans;
Tout cède à leurs appas; les mains les plus avares
Font des profusions pour des beautés si rares.
Leur entretien est doux, mais cette volupté
Est un chemin ouvert en la nécessité.
On voit bientôt sa joie en douleur convertie,
Et tel rit en entrant qui pleure à la sortie.
MÉN. Sos. J'estime ton conseil, mais n'appréhende rien.
MESS. Je saurai qu'il est bon, si vous en usez bien.

SCÈNE III.

ÉROTIE, MÉNECHME Sosicle, MESSÉNIE.

ÉROT. Qu'attendez-vous, monsieur, quand la porte est ouverte,
Moi dans l'impatience, et la table couverte?
Qui vous rend si pensif et sourd à mes propos?
Le soin de vos procès trouble votre repos?
MÉN. Sos. Dieux! le divin objet! Je me rends, Messénie,
Et ne puis résister à sa force infinie.
MESS. Il est vrai qu'elle est belle. ÉROT. Entrez donc, tout est prêt.
MÉN. Sos. Que son visage est doux! que son discours me plaît!
MESS. Fût-elle plus charmante, et cent fois plus aimable,
Le mal que je prévois m'est bien désagréable.
Ce n'est qu'à votre argent qu'elle tend ses appas.
ÉROT. Vous ne repondez rien; ne m'entendez-vous pas?
MÉN. Sos. Quoi! me connaissez-vous? ÉROT. Monsieur, devez-vous croire
Qu'un moment vous ait pu chasser de ma mémoire?
Ne me firais-je plus au rapport de mes yeux?
Et ne venez-vous pas de sortir de ces lieux?

MÉN. Sos. Madame, brisons-là ce discours inutile :
Je ne vous vis jamais, et j'aborde en cette île.
ÉROT. Dieux ! combien aujourd'hui son humeur a d'appas !
Et qu'il plaît à railler, où sa femme n'est pas !
MÉN. Sos. Vous vous donnez, madame, une inutile peine.
ÉROT. Quoi ! vous n'habitez pas cette maison prochaine ?
MÉN. Sos. Je cède à qui voudra le droit que j'y prétends :
Puisse faire le ciel périr ses habitants !
ÉROT. Que cet homme est saisi d'une folie extrême !
Il renonce à son bien, et se maudit soi-même.
MÉN. Sos. Si vous avez dessein d'attirer un amant
Il n'y faut employer que vos yeux seulement ;
Vous n'avez point besoin d'une si vaine feinte ;
Ma raison s'est rendue, et mon âme est atteinte.
L'honneur de vos baisers est un bien infini ;
Et qui l'a méprisé, soi-même s'est puni.
Ne différez donc plus un bien si délectable
Dont vous favorisez un objet incapable.
O dieux ! qui n'aimerait la force de vos coups,
Et qui pourrait tenir contre des traits si doux ?
ÉROT. Vous reprenez toujours vos premières licences ;
Mais je ne suis pas femme à souffrir ces offenses.
Je vous ai fait paraître et juré trop souvent
Que votre affection se repaissait de vent,
Que vous entreteniez une espérance vaine,
Et que vous vous donniez une inutile peine.
Restreignez votre ardeur aux termes d'amitié ;
Honorez de l'amour votre chaste moitié ;
Nous serons tous contens, et dans ces deux limites
Rien ne m'empêchera de chérir vos visites.
J'estime votre humeur, et le bien de vous voir
M'est un bonheur plus grand qu'on ne peut concevoir.
MÉN. Sos. Vos yeux se sont mépris ; voyez bien mon visage.
Vous pensez à quelque autre adresser ce langage ;
Mon cœur ne fut jamais sous l'hymen arrêté,
Et je n'ai jamais vu votre rare beauté.
ÉROT. Un passe-temps si long commence à me déplaire :
N'êtes-vous pas Ménechme, et Mosque votre père ?

La Sicile l'endroit où vous prîtes le jour,
Et ce lieu maintenant votre unique séjour?
MÉN. Sos. Écoute, Messénie : ô dieux ! quelle merveille !
En l'état où je suis, je doute si je veille.
ÉROT. Ce poinçon n'est-il pas un présent de vos mains?
Pourquoi prolongez-vous des entretiens si vains,
Quand l'heure du repas est à demi passée,
Tous les mets préparés, et la table dressée?
MESS. O dieux! ce passe-temps ne se peut trop louer!
MÉN. Sos. *à Messén.* Ne dis mot seulement, je vais tout avouer.
Éprouvons son dessein; quelques rets qu'elle dresse,
Si je m'y trouve pris, je loûrai son adresse.
(A Érotie.)
Il n'est plus temps de feindre, adorable beauté;
Vous trouvez peu d'appas en cette volupté,
Et comme je feignais à dessein de vous plaire,
Pour le même dessein je ne le dois plus faire.
Oui, je suis ce Ménechme, esclave de vos yeux,
Ces astres les plus doux qui brillent en ces lieux,
Dont l'unique douceur me conserve la vie,
Et m'anime au défaut de mon âme ravie.
ÉROT. Ergaste viendra-t-il? MÉN. Sos. Je ne le connais pas.
ÉROT. Vous m'avez avec lui commandé ce repas.
MÉN. Sos. Il a trop demeuré. ÉROT. *lui donnant le poinçon.* Cet agréable gage,
S'il était émaillé, me plairait davantage.
MÉN. Sos. Donnez-moi seulement, j'en prendrai le souci,
Et demain au plus tard je le rapporte ici.
(A Messénie, tout bas.)
Entrons. Tiens cet argent, et m'attends au navire
Cependant que je suis cet aimant qui m'attire.
(Il sort avec Érotie.)
MESS. *seul.* Qu'il soit sourd maintenant à mes sages propos;
Gardant ce que je tiens j'ai l'esprit en repos.
Dieux! je tremblais de peur, car il est si facile,
Que pour une faveur il en rend toujours mille,
Et que, pour le plaisir d'un repas seulement,
Il nous eût mis au point de jeûner longuement.

ACTE III.

SCÈNE PREMIÈRE.

ERGASTE.

Ergaste infortuné, depuis l'heure première
Que ton œil a joui du bien de la lumière,
Hélas! fus-tu jamais dépourvu de conseil
Jusqu'à commettre un mal à celui-ci pareil?
Être dans le palais au milieu de la foule,
Et ne prendre pas garde où Ménechme se coule;
En détourner les yeux, voir battre des laquais,
Un semblable malheur m'arriva-t-il jamais?
Que je manque d'esprit! que j'ai peu de prudence!
Tout son dessein était de perdre ma présence,
Et d'épargner le bien que je me promettais
De boire jusqu'au soir en l'humeur où j'étais.
Qu'il s'est bientôt défait, l'extrême diligence!
Ces laquais se battaient par son intelligence,
Et, paraissant ainsi de colère enflammés,
C'était contre ma faim qu'ils étaient animés;
Leur colère et leurs coups se déchargeaient sur elle;
Je portais le danger de toute leur querelle,
Et j'étais réjoui de mon propre malheur,
Alors que je pensais ne l'être que du leur.
Depuis je l'ai cherché parmi toute la presse,
Mais inutilement; il est chez sa maîtresse,
Où je suis assuré qu'il ne réserve pas
Pour la faim que je sens le meilleur du repas.
Ah! que leur entretien maintenant a de charmes!
Et qu'ils trouvent à rire au sujet de mes larmes!
Mais il sort, je le vois.

SCÈNE II.

MÉNECHME Sosicle, ÉROTIE, ERGASTE.

mén. Sos. *tenant le poinçon.* Demain je vous le rends;
Adieu, reposez-vous sur le soin que j'en prends.
érot. *rentrant.* Adieu. mén. Sos. Que cet objet occupe ma pensée!
Les agréables traits dont mon âme est blessée!
Que de propos charmans, que d'honnêtes refus!
Cède-lui, ma raison, ne lui résiste plus:
Son visage est pourvu d'inévitables charmes,
Et ses moindres attraits sont plus forts que tes armes;
Mon cœur est tout de flamme, et des sceptres offerts
Ne lui plairaient pas tant que l'honneur de ses fers.
Combien je bénirai cette heureuse journée,
Si je puis l'attirer sous les lois d'hyménée!
Car m'en promettre rien qu'à ces conditions
Serait d'un vain espoir flatter mes passions:
J'ai par son entretien son humeur reconnue;
Jamais une beauté ne fut si retenue,
Et la seule raison qui cause mon souci,
C'est que sans me connoître elle me traite ainsi,
Jure qu'il n'est franchise à mon humeur égale,
Qu'elle tient ce poinçon de ma main libérale,
Que j'habite en ces lieux, qu'elle me connaît fort,
Qu'Orazie est ma femme, et que je feins à tort:
Là je restais muet; mais avecque ces fables
Elle mêlait aussi des discours véritables,
Car elle sait mon nom et connaît mon pays.
Que cette obscurité rend mes sens ébahis!
erg. *à part.* Il est soûl maintenant; il discourt à son aise.
Me puis-je contenter? faut-il que je me taise?
Dieux! le superbe esprit! je marche sur ses pas,
Il me voit, il m'entend et ne me parle pas!
Le faut-il aborder? quelle poignante injure.
Allégera mon cœur en la faim que j'endure?
mén. Sos. Que veut cet importun? erg. Oui, j'ai fort mérité
Qu'aujourd'hui vous blâmiez mon importunité;

Je vous dusse épargner en l'humeur dont vous êtes,
Et je suis tout chargé des dons que vous me faites.
Vous m'avez fait dîner de mets si délicats
Que je ne fis jamais un si friand repas:
J'use aujourd'hui de vous avec trop de licence;
Vous êtes ruiné de payer ma dépense.
MÉN. SOS. Que conte cet ivrogne? ERG. Ah! que vous avez tort!
Pourquoi m'obligez-vous à m'enivrer si fort?
Vous deviez m'épargner, et défendre à la table
Que l'on me prodiguât un vin si délectable:
O combien de vapeurs offusquent ma raison,
Et que j'aurai de peine à trouver ma maison!
MÉN. SOS. Adieu, suis ton chemin. ERG. Peste de tous les hommes,
Esprit le plus méchant du séjour où nous sommes,
Peux-tu me faire ouïr ce discours, effronté?
Ne te suffit-il pas de m'avoir affronté?
Voyez quelle surprise en son visage est peinte!
Il ne se souvient pas du sujet de ma plainte!
J'ai tort de l'accuser, il m'attendait ici,
Il n'avait pas dessein de me quitter ainsi;
Il trouve en ma présence un bien fort délectable!
N'est-il pas vrai? réponds, infâme, détestable;
Parle, reproche-moi d'être venu trop tard;
Dis qu'un chien par malheur a dévoré ma part;
Qu'on a pour me trouver fait tout le tour de l'île,
Mais qu'on ne s'est donné qu'une peine inutile;
Dis-moi que tu n'as fait qu'un ennuyeux repas,
Que tu n'es point content quand tu ne me vois pas;
Viens me conter encor cette vaine chimère,
Infâme, dissolu, détestable adultère!
Ta femme, débordé, saura comme tu vis,
Et je lui vais conter ce que tu lui ravis.
MÉN. SOS. De quoi vient cet ivrogne étourdir mon oreille,
Et quelle extravagance à la sienne est pareille?
Où nous conduit le sort, où sommes-nous venus?
Et que veulent ces fous à des gens inconnus?
ERG. Il est vrai que j'ai tort, je ne te puis connaître,
L'affront que j'ai reçu le fait assez paraître;

L'effet dément toujours les discours que tu fais,
Ta bourse et ton esprit ne s'accordent jamais;
On te juge, à te voir, le plus libre du monde,
Car ton humeur fardée en paroles abonde;
Ta voix n'est point avare, elle promet toujours:
Mais tu ne nous repais que de ces vains discours,
Et nous n'avons jamais éprouvé tes largesses,
Lorsque nous espérions l'effet de tes promesses.
Quand on ouvre les mains, et qu'on croit tout tenir,
Quelque affaire imprévue t'empêche de venir:
On t'a volé ta bourse, ou tu l'as oubliée;
Enfin ton avarice est toujours palliée.
Qui ne te croirait pas? Qui n'eût dit ce matin
Que tu me préparais un superbe festin,
Que tes intentions étaient sans artifices,
Et que rien ne devait égaler nos délices?
N'as-tu pas ordonné qu'on tînt le dîner prêt?
Et n'a-t-on pas promis d'accomplir cet arrêt?
De quoi peut-on douter après tant d'apparence,
Et qui ne te croirait en pareille occurrence?
Je ne t'épiais point, lorsque je te suivais,
Et je dînais déjà par l'espoir que j'avais.
Nous étions au palais, où tu n'as point d'affaire,
Où tu n'avais que moi de partie adversaire,
Où ta seule avarice avait dressé tes pas,
Où tout notre procès était pour un repas;
Tu tâchais d'échapper.... O la belle victoire!
Qu'un repas épargué lui procure de gloire!
MÉN. Sos. Que de sens et d'esprit cet homme est dépourvu!
Que me conte ce fou que je n'ai jamais vu?
ERG. Tu ne m'as jamais vu? MÉN. Sos. Non. ERG. Qui, moi? MÉN. Sos. De ma vie.
ERG. Tu ne me connais pas? MÉN. Sos. Et n'en ai point d'envie;
J'arrive fraîchement en ce bord étranger.
ERG. Il t'est permis de rire, à moi de me venger;
Adieu, tout l'univers ne me pourrait distraire
Du dessein que m'inspire une juste colère;

Tu te repentiras de m'avoir fait jeûner,
Et tu te souviendras d'un semblable dîner.

(Il sort.)

MÉN. Sos. Dieux! je crois qu'à dessein cette fourbe est tissue,
Et je commence bien d'en redouter l'issue :
Que veulent tous ces gens que je ne connais pas?
Mais quelle femme encor dresse vers moi ses pas?
Fuyons sans repartir à sa moindre parole;
J'entreprendrais plutôt mille fous qu'une folle.

(Il sort.)

SCÈNE III.

ORAZIE.

Crains-tu que mon dessein soit de te retenir?
Crois que, si je te suis, tu peux bien revenir.
Va, mari débordé, caresser tes amantes,
Et redonne à tes yeux leurs lumières absentes!
Je bénirai cent fois ces objets effrontés,
J'aime ta trahison, j'aime tes voluptés;
Je veux bien que jamais le remords ne te touche,
Que tu craignes ma vue et détestes ma couche,
Que nul contentement n'égale tes plaisirs,
Et qu'on accorde tout à tes sales désirs,
Si j'obtiens ce bonheur, après tant de supplices,
Que tu rendes l'esprit au milieu des délices,
Que jamais ton objet ne se présente à moi,
Que ta mort me délivre, et dégage ma foi.
Hélas! quelle fortune égale ma misère?
Que la loi de l'hymen est une loi sévère,
Et qu'on est ennemi de son contentement,
Lorsqu'à sa tyrannie on prête le serment!

. . . .

SCÈNE IV.

ERGASTE, ORAZIE.

ERG. Madame, en quel état vous verrons-nous réduite,
Si dans peu votre époux ne change de conduite?

On murmure partout de ses débordemens,
On rit de sa folie, et l'on plaint vos tourmens;
Il acquiert tous les jours de nouvelles maîtresses,
Il achète leur vue et leurs moindres caresses;
Une telle manie a ses sens occupés,
Qu'il aura dans un an tous vos biens dissipés.
Divertisse le ciel semblable prophétie!
Mais j'en dirais beaucoup sans nommer qu'Érotie,
Qui, sans rien accorder à ce cœur dissolu,
A sur lui toutefois un empire absolu;
Et le désir qu'il a de vaincre cette belle
Fait que sa libre humeur prodigue tout pour elle.
Encore à ce matin, j'ai vu cet inconstant
Lui donner ce poinçon que vous chérissiez tant,
Que chacun estimait, et de qui la parure
Ajoutait tant de grâce à votre chevelure.
Je sais bien qu'elle est sourde à ses vaines amours,
Qu'elle rit de ses veux, mais elle prend toujours.
....

ERG. Le voici qui revient. ORAZ. O ciel! ô justes dieux!
Que n'offrez-vous plutôt un serpent à mes yeux!

SCÈNE V.

MÉNECHME RAVI, ORAZIE, ERGASTE.

MÉN. R. *se croyant seul.* Enfin cesse, Thémis, de troubler ma pensée,
L'heure que j'ai donnée est à demi passée;
Donne trêve à mes soins le reste de ce jour,
Souffre que je l'emploie en un procès d'amour.
J'aime la plus farouche et la plus inhumaine
Que je pouvais choisir pour l'objet de ma peine;
L'insensible se rit des pleurs de ses amans,
On souffre à son sujet d'inutiles tourmens;
On perd son cœur pour elle, et, si l'on se propose
D'en demander le prix, on perd ainsi sa cause.
En vain pour la combattre on prend tant de souci,
Car étant la partie elle est le juge aussi.

Je ris, je l'entretiens, je vaute ses mérites,
Mais je n'ose passer ces étroites limites;
J'ai de mille présens assailli sa rigueur,
Et ces faibles moyens ne touchent point son cœur.
ERG. *bas à Orazie.* Entendez-vous ces mots? MÉN. R. Mais en vain on me blâme,
La dussé-je enrichir aux dépens de ma femme,
Me dût-elle réduire à la nécessité,
Je ne puis la main vide aller voir sa beauté.
OR. *le surprenant.* C'est vivre comme il faut. MÉN. R. O surprise importune.
OR. Et nous ferons ensemble une heureuse fortune;
Voilà pour m'obliger à vous estimer fort;
C'est bien là le moyen de nous mettre d'accord.
MÉN. R. *à part.* O dieux! je suis perdu. Quelle assez prompte ruse
En cette occasion me servira d'excuse?
(Haut.)
De quoi m'accuses-tu? OR. De rien, âme sans foi,
Et ton propre discours t'accuse assez sans moi.
Désavoue, effronté, cet affront qui me touche;
Jure que d'aujourd'hui tu n'as ouvert la bouche;
Reprends ma jalousie. O le parfait époux!
Que j'ai peu de raison d'exciter son courroux!
Qu'il accroît nos moyens par des peines étranges!
Que sa fidélité mérite de louanges!
Si ses vœux sont reçus et ses travaux béuis,
Il nous amassera des trésors infinis.
MÉN. R. Quoi! ce que je disais a ton âme abusée?
Tu manques bien d'esprit, toi qu'on tient si rusée;
L'ai-je dit sans dessein? Ne te voyais-je pas
Écouter mes discours, et marcher sur mes pas?
Conserve, si tu veux, cette créance vaine:
Je ne parlais ainsi que pour te mettre en peine,
Que pour nourrir la peur dont ton cœur est rongé;
Et tout autre en ta place en eût ainsi jugé.
Mais quand jusqu'à ce point un esprit est malade,
Il n'est rien qu'aisément il ne se persuade.
Tu crois m'avoir surpris, quand tu m'as écouté,

Et tu tiens mes discours pour une vérité.
ERG. *à Orazie.* Oh! qu'il est assuré! MÉN. R. *lui faisant signe.* Tu
nourris sa colère.
ERG. *à Orazie.* Voyez que d'un clin d'œil il m'invite à me taire.
MÉN. R. Que dit cet insensé? ERG. Que je suis satisfait,
M'étant si bien vengé du tour que tu m'as fait.
Exalte maintenant cette fourbe subtile;
Va faire ce discours à tous ceux de cette île;
Va te vanter partout de m'avoir fait jeûner,
Je jure maintenant de te le pardonner:
Tu n'en diras point tant que je ne le confesse,
J'en rirai le premier, quelque faim qui me presse.
MÉN. R. Dieux! que puis-je comprendre à de si vains propos,
Et qui porte ces gens à troubler mon repos?
ERG. Me croyais-tu d'humeur à souffrir cet outrage?
Estimais-tu qu'Ergaste eût si peu de courage?
Crois que de quelque soif que je sois embrasé,
J'ai bien de quoi l'éteindre, et je t'eusse excusé;
Mais tu ris, et tu feins de ne me pas connaître;
Quand tu t'es enivré, tu m'accuses de l'être;...
Et je me pourrais taire, étant ainsi raillé?
Il n'est si patient qui me l'eût conseillé.
J'ai parlé comme il faut de ton mauvais ménage,
Et sans quelque respect j'en dirais davantage.
OR. Traître! qui m'étais cher plus qu'on ne peut penser,
Tu me ravis mon bien afin de m'offenser?
Il faut que je te serve à gagner tes maîtresses;
De ce qui m'appartient tu leur fais des largesses;
Je verrai mes joyaux leur servir d'ornement!
C'est là trahir sa femme assez ouvertement.
Ne dois-je point aussi faire ton ambassade?
Ne désires-tu point que je les persuade?
Oui, je veux épargner les pas de tes valets,
Et je leur porterai moi-même tes poulets:
Je déclare la guerre à leur humeur farouche,
Je prendrai le souci de les mettre en ta couche;
Après, j'irai partout publier ta vertu:
Est-ce assez t'obliger? m'en remercîras-tu?

MÉN. R. Enfin c'est trop long-temps abuser ma patience (1);
Parle plus clairement, ou garde le silence :
Que t'ai-je fait? OR. Tu m'as.... MÉN. R. Quoi? OR. Volé mon poinçon.
MÉN. R. Érotie en veut un de la même façon,
Et renverra le tien au plus tard dans une heure.
OR. Pouvait-il rencontrer une excuse meilleure?
Pourquoi l'as-tu porté sans m'en donner avis?
Je ne m'ingère point de prêter tes habits;
Je chéris ce que j'ai, j'en use, j'en dispose,
Et crois ne devoir point me mêler d'autre chose :
Que ne vis-tu de même? MÉN. R. A quoi tant de souci?
De ce pas, si tu veux, je le rapporte ici.
OR. C'est parler sagement, et si tu ne l'apportes,
Tu rentreras bien tard, ou tu rompras les portes.
MÉN. R. *entrant chez Érotie.* Je reviens, attends-moi. (*Il sort.*)
ERG. Madame, de quel prix
Récompenserez-vous le souci que j'ai pris?
Laissez-vous sans loyer un si digne service?
OR. Je le reconnaîtrai par un semblable office,
Et te rendrai le bien qu'aujourd'hui tu me fais,
Si je puis découvrir qu'on te vole jamais.
(Elle sort.)
ERG. Je suis donc en danger de longuement attendre,
Car ne possédant rien que me pourrait-on prendre?
Il faudrait relever d'une sévère loi,
Pour mourir d'un larcin qu'on aurait fait chez moi.
Où faut-il maintenant que mon espoir se fonde?
Je suis à cette fois le plus confus du monde.
Que puis-je, malheureux, espérer désormais?
Ménechme n'est pas homme à me traiter jamais.
J'avais tort d'irriter un esprit si sensible;
A des gens qui n'ont rien la vengeance est nuisible.
La faim est bien plus dure à porter qu'un affront,
Et je devais bien plus à mes dents qu'à mon front.
Adieu, chère maison! adieu, toute ma joie!...
Mais on ouvre, c'est lui, passons qu'il ne me voie.
(Il sort.)

(1) Versus hypermeter. Fortasse sit *user*, nisi trisyllabum *patience*.

SCÈNE VI.

ÉROTIE, MÉNECHME Ravi.

MÉN. R. Ayez de moi, madame, un meilleur sentiment;
L'amour n'a pas si fort troublé mon jugement;
S'il me devait réduire à ce point de manie,
Je me dégagerais de sa force infinie.
Mais j'ai des yeux encor pour voir ce que je fais,
Je sais que de ce pas j'arrive du palais :
On se propose en vain de tromper ma mémoire,
Ce que je n'ai point fait, je ne le saurais croire.
ÉR. Vous ne l'avez pas pris pour le faire émailler?
MÉN. R. Que vous êtes savante en l'art de vous railler!
Si vous avez porté la qualité d'épouse,
Figurez-vous l'humeur d'une femme jalouse;
Et que, si je ne rends ce poinçon que j'ai pris,
La mienne tous les jours m'étourdira de cris.
Exemptez-moi des bruits de cette femme avare,
Je vous en promets un plus exquis et plus rare.
ÉR. Monsieur, je n'entends rien à ces jeux déplaisans;
Ne m'importunez plus, et gardez vos présens.
Votre joyeuse humeur s'est assez exercée.
D'autres soins maintenant m'occupent la pensée;
Adieu. (*Elle rentre chez elle.*) MÉN. R. Madame, un mot!... O rigoureux destin!
Qu'un astre infortuné m'éclaire ce matin!
O ciel! que nous devons révérer ta justice,
Et que tu me punis d'un sévère supplice!
Où me dois-je adresser, que dois-je devenir?
Quel avis faut-il prendre, et quel chemin tenir?
Chacun me traite en fou, tout le monde me raille,
On me ferme la porte en quelque part que j'aille;
Tout conspire à venger le vol que j'ai commis :
Il me faut là-dessus consulter mes amis.

ACTE IV.

SCÈNE PREMIÈRE.

MÉNECHME Sosicle, ORAZIE.

MÉN. Sos. Combien je perds de pas à chercher Messénie!
Il n'a rien en horreur tant que ma compagnie;
Il ne s'estime serf qu'alors qu'il suit mes pas;
Il est en liberté, quand il ne me voit pas.
Il sait tout, il a tout, et j'ai peu de prudence
D'honorer un captif de tant de confidence;
Je connais son humeur, et suis mauvais devin,
S'il ne s'ensevelit maintenant dans le vin.
OR. *venant à sa porte, et apercevant Ménechme.* Il revient, je l'avise.... MÉN. Sos. Auparavant qu'il sorte....
OR. Et je dois à mes cris ce poinçon qu'il rapporte.
MÉN. Sos. Les objets doubleront, il verra deux soleils,
En moi seul il verra deux Ménechmes pareils.
Il perd entre les pots tout souci de me suivre,
Il y passe les jours, et n'en sort jamais qu'ivre.
OR. Homme le plus brutal qui respire en ces lieux,
Oses-tu désormais te montrer à mes yeux?
Ma plainte, déloyal, est-elle légitime,
Maintenant que tu tiens la preuve de ton crime?
MÉN. Sos. Quel crime? que veux-tu? OR. Qu'il parle effrontément!
Le confessera-t-il? rougit-il seulement?
MÉN. Sos. De quoi m'accuses-tu? OR. Dieux! l'impudence extrême!
J'ai bien tort, et je suis le seul objet qu'il aime.
MÉN. Sos. S'il est vrai que mon cœur brûle pour tes appas,
C'est d'un brasier si doux que je ne le sens pas.
OR. Je te crois sans jurer, traître, infâme, adultère;
Il faut ne rien valoir pour ne te pas déplaire;
La vertu n'a jamais ton esprit arrêté,
Ta haine est une preuve à mon honnêteté;

Et si je te causais quelque amoureuse envie,
Je m'examinerais, j'accuserais ma vie;
Mon honneur, ce me semble, aurait quelque défaut,
Je ne me croirais pas comporter comme il faut.
MÉN. Sos. Quel monstre de folie en cette île préside!
Qu'il aurait fait de peine à la valeur d'Alcide!
Qu'il l'eût bien empêché d'éterniser son nom,
Et qu'il eût obligé la haine de Junon!
Qu'on trouve ici de fous, que cet hydre a de têtes,
Et que j'aurai de mal à vaincre tant de bêtes!
OR. Je me dois affranchir de semblables tourmens,
Et j'ai trop enduré de tes déportemens;
J'abhorre cet hymen, et souhaite un veuvage
Qui te mette en repos, et m'ôte de servage.
Lors, je ne pourrai plus traverser tes plaisirs:
Si j'obtiens ce bonheur, suis tes sales désirs;
De mon lit, chaste et saint, fais une couche infâme,
Donne à qui te plaira la place de ta femme;
Tu pourras en repos goûter ses privautés,
Je ne troublerai point tes sales voluptés;
Rien ne t'empêchera d'obliger une amante,
Tu seras bien heureux, et je serai contente.
MÉN. Sos. Adieu, tu m'étourdis des contes que tu fais,
Je ne te connais point, et ne te vis jamais.
OR. O dieux! quand finira le cours de ma misère?
Presse le pas, Décie, appelle ici mon père,
Qu'il entende ma plainte, et de quelle façon
Il feint être insensé pour m'ôter ce poinçon.
MÉN. Sos. Quoi! ce poinçon est tien? OR. Oui. Que peux-tu répondre?
Et quels témoins faut-il afin de te confondre?
MÉN. Sos. Nul, que la vérité. OR. Comme il est assuré!
Ton larcin n'est donc pas assez bien avéré?
Ah! si je m'affranchis d'une loi si fatale,
Qu'au séjour des damnés vivante je dévale,
Si jamais sous l'hymen mon cœur est arrêté,
Si jamais sous ce joug je rends ma liberté.
MÉN. Sos. Quoi! je suis ton mari? que je plains ta manie!
OR. Voyez de ce gausseur l'impudence infinie.

Il ne me connaît pas! MÉN. Sos. Non, si je me connoi.
OR. Et ce vieillard qui vient? MÉN. Sos. Aussi peu comme toi.

SCÈNE II.

LE VIEILLARD, MÉNECHME SOSICLE, ORAZIE.

LE VIEILL. Il faut donc que toujours les importunes flammes
De la dissension désunissent vos âmes?
Ne verra-t-on jamais vos esprits satisfaits?
Ne goûterez-vous point les douceurs de la paix?
Ne respectez-vous point le nœud qui vous assemble,
Et serez-vous toujours deux ennemis ensemble?
Jadis vous témoigniez tant de conformités,
Lorsqu'un vœu mutuel joignit vos libertés!
Quel sujet maintenant cause cette discorde?
Dessus quel accident faut-il qu'on vous accorde?
OR. Hélas! retirez-moi de l'injuste pouvoir
D'un mari que j'abhorre, et que je ne puis voir;
Le plus indigne époux du séjour où nous sommes,
L'opprobre de ces lieux, et la peste des hommes.
Je ne puis plus souffrir ses mépris apparens.
LE VIEILL. Vous est-il arrivé de nouveaux différens?
Dois-je de vos discords être le seul arbitre?
Un autre ne peut-il se charger de ce titre?
Et ne dussiez-vous pas épargner mes vieux jours
Dont vos dissensions précipitent le cours?
OR. Hélas! qui doit que vous, quand ce traître m'offense,
Assister votre fille, et prendre sa défense?
LE VIEILL. Ne t'oppose jamais à ses intentions,
Autorise toujours ses résolutions,
Et cesse d'expliquer ses pas et ses pensées
Comme tu me promis aux querelles passées;
Présente à ses regards un visage plus doux,
Ne lui témoigne point un esprit si jaloux;
Évite les sujets d'exciter sa colère,
Et qu'à tous ses desseins ta volonté défère;
Entretiens son amour par des moyens si forts:
Alors rien ne pourra vous causer ces discords,

Rien ne traversera votre heureux mariage,
Et nous verrons la paix régner en ton ménage.
OR. Depuis que ces beautés ont touché ses esprits,
Je ne suis qu'un objet d'affronts et de mépris;
Il y perd tout son temps, il leur rit, il les vante,
Et ne me tient chez lui qu'en titre de servante.
Mais qu'il craigne un malheur, si mes soupirs sont vains,
Et si vous ne voulez me tirer de ses mains.
LE VIEILL. Souffre un peu cette ardeur dont son âme est atteinte:
Crois-tu que par tes pleurs elle puisse être éteinte?
Feins de ne la voir pas, cache tes déplaisirs;
Quand son amour décroît, augmente tes désirs;
Témoigne plus de feux quand les siens s'alentissent;
Réchauffe tes baisers quand les siens refroidissent;
Caresse-le de l'œil, et du nom le plus doux
Dont la femme peut voir et nommer son époux;
Parais toujours contente, et toujours enflammée;
Enfin aime-le bien, et tu seras aimée.
Les preuves d'amitié sont de puissans appas;
Et qui n'est point aimé, sans doute n'aime pas.
OR. Que me profitera d'user de repartie?
Mon avocat m'accuse, et défend ma partie.
LE VIEILL. En quoi reconnais-tu ses mauvais traitemens?
Ne t'accorde-t-il pas d'honnêtes vêtemens?
En as-tu, dans ce lieu, vu quelqu'une qui porte
Un habit plus sortable à celles de ta sorte?
Vis-tu d'une façon qu'il n'autorise pas?
Et te reproche-t-il tes jeux ou tes repas?
Te manque-t-il de gens pour soulager ta peine?
Ne te fournit-il pas du chanvre, de la laine?
Sur quoi t'a-t-il fâchée? et qu'as-tu demandé,
Que, s'il a dû le faire, il ne t'ait accordé?
OR. O dieux! les vains discours dont vous flattez son vice!
Il ne me donne rien qu'après il ne ravisse;
Ce que j'ai le matin, le soir il le promet;
Il paye de mon bien les affronts qu'il me fait.
Ce poinçon lui gagnait une de ses maîtresses;
Voyez si j'ai raison de blâmer ses largesses,

Et détester le nœud dont nous sommes unis,
Puisqu'il me fait souffrir des affronts infinis.
LE VIEILL. Mon fils, ce nœud sacré qui joint vos destinées,
Vous doit faire autrement employer vos années;
Et la nécessité d'être unis à jamais
Doit établir chez vous le respect et la paix;
Son bien vous touche plus que l'intérêt d'une autre;
Quand vous le dissipez, vous dissipez le vôtre:
Vous relevez d'hymen, dont les sacrés arrêts,
Comme ils joignent vos corps, joignent vos intérêts.
MÉN. Sos. Qui que tu sois, vieillard, je te jure, et j'atteste
Les divers habitans de la voûte céleste....
LE VIEILL. De quoi? MÉN. Sos. Que ta folie est sans comparaison,
Et qu'un étrange effort a troublé ta raison.
LE VIEILL. A quoi le jugez-vous? MÉN. Sos. Dieux! quelle extravagance!
Et que dois-je répondre au propos qu'il m'avance?
LE VIEILL. Cessez de me tenir ces mots injurieux,
Ou je saurai calmer votre esprit furieux;
N'irritez pas l'humeur où la vôtre me porte;
Rendez-moi ce poinçon, et vivez d'autre sorte.
MÉN. Sos. Comme ce bon vieillard a les sens hébétés!
L'âge traîne après soi ces incommodités;
Son corps s'affaiblissant, son esprit fait de même,
Et je dois pardonner à sa folie extrême.
Que voulez-vous de moi? Que j'expire à vos yeux,
Si je connus jamais personne de ces lieux,
S'il m'arriva jamais d'entrer en cette porte,
Et si je vous ai pris ce poinçon que je porte!
Une chaste beauté m'a prié, près d'ici,
De le faire émailler, et j'en prends le souci.
Adieu, dispensez-moi d'une vaine audience,
Et ne m'obligez plus à tant de patience.
Que la terre m'entende, et s'ouvre dessous moi,
Si je vous vis jamais, et si je vous connoi!
LE VIEILL. O dieux! qu'entends-je ici? puis-je, après ce langage,
Croire que sa raison conserve son usage?

Qu'amour cause de trouble au cerveau le plus sain !
Il ne me connaît pas. MÉN. SOS. Et n'en ai pas dessein.
LE VIEILL. C'est trop long-temps, mon fils, prolonger cette feinte,
Et tu nous porterais du plaisir à la plainte;
C'est trop s'entretenir d'inutiles propos :
Entrons, rends ce poinçon, et vivez en repos.
MÉN. SOS. Enfin n'irrite plus le courroux qui m'enflamme.
Que veux-tu? dis ton nom, et quelle est cette femme?
OR. Il n'en faut plus douter, des signes si puissans
Nous font paraître assez qu'il a perdu le sens;
Et l'altération qu'on voit en ce visage
Est d'un étrange accès un assuré présage.
MÉN. SOS. *à part.* Il les faut confirmer en des soupçons si vains;
Je puis par ce moyen m'échapper de leurs mains.
Feignons d'être si fou que chacun d'eux m'évite,
Et que la peur des coups leur conseille la fuite.
OR. Que son teint est changé! voyez, mon père, ô dieux!
Voyez les traits de feu qui sortent de ses yeux.
LE VIEILL. Éloignons-nous de lui, son action m'étonne:
La folie est aveugle et n'épargne personne.
MÉN. SOS. *faisant le fou.* Perfides ennemis de mon autorité,
Vous avez trop de fois mon pouvoir irrité;
Enfin vous connaîtrez ma valeur infinie,
Et je combattrai seul toute l'Épidamnie;
Seul je subjuguerai ce superbe pays,
Et mes exploits rendront ses peuples ébahis.
Vous pleurez vainement; une mer de vos larmes
Ne divertirait pas cet effet de mes armes.
Donnons, frappons, tuons, rangeons tout sur nos pas.
Que de sang répandu! que d'ennemis à bas!
LE VIEILL. Dieux! qu'est-ce que je vois? MÉN. SOS. Cette affreuse sorcière
Me prive de l'honneur de leur défaite entière;
Ses magiques secrets repoussent mes efforts,
Font pencher la victoire, et raniment ces corps.
C'est contre elle qu'il faut exercer mon courage,
Malgré tous ces démons qu'elle oppose à ma rage.

Sus, chassons ces esprits de ces lieux étrangers;
Ma valeur me promet de franchir ces dangers.
LE VIEILL. Ménechme, où songez-vous? OR. Hélas ! je suis perdue.
MÉN. Sos. Tu ne peux éviter la peine qui t'est due;
Tout le pouvoir du ciel, contraire à mon dessein,
Ne m'empêcherait pas de te percer le sein.
OR. O dieux! quelle folie est égale à la sienne!
Je vais chercher ici quelqu'un qui le retienne.

(Elle sort.)

MÉN. Sos. Me dois-je contenter de ces rares effets?
La sorcière est en fuite, et ses démons défaits.
Ce cavalier armé nuit encore à ma gloire;
Il faut que sa défaite achève ma victoire.
LE VIEILL. Dieux ! en l'état qu'il est, dois-je attendre ses pas?
Regarde qui je suis, et ne m'approche pas.
MÉN. Sos. Tu refuses, timide, un combat honorable;
Tu n'oses repousser ma force incomparable;
Tu trembles, tu pâlis : lâche ! tu fuis en vain,
Rien ne te peut sauver des efforts de ma main.
LE VIEILL. Hélas! combien son mal accroît sa violence!
MÉN. Sos. Le ciel ne te pourrait soustraire à ma vaillance.
LE VIEILL. D'où naît cet accident? ô sévère destin !
Évitons sa fureur, courons au médecin.

(Il sort.)

MÉN. Sos. *seul.* Les dieux ont à la fin ma prière écoutée;
Ces fous qui m'ont fait fou, m'ont la place quittée.
Les agréables fous, dont les cris m'ont forcé
De feindre que comme eux j'avais l'esprit blessé !
Ils reviendront bientôt si je ne me retire :
Par des lieux écartés retournons au navire.
O dieux! en ma faveur guérissez leurs esprits,
Ou ne leur montrez pas le chemin que j'ai pris.

(Il sort.)

SCÈNE III.

LE VIEILLARD, *à la porte du médecin.*

Qu'il est long à venir! que je suis las d'attendre!
Et que de vains discours il me va faire entendre!
Il persuadera, si l'on veut l'écouter,
Qu'un mort par son moyen vient de ressusciter;
Qu'il a remis la jambe, ou le bras de Mercure,
Ou qu'il a guéri Mars d'une insigne blessure;
Cependant qui saurait ce qu'il fait là-dedans,
Le verrait consulter sur quelque mal de dents.
Il descend, je le vois.

SCÈNE IV.

LE MÉDECIN, LE VIEILLARD.

LE MÉD. Dieux! qu'au siècle où nous sommes
On doit peut faire état de la santé des hommes!
Un jonr peut ruiner les plus fortes santés,
Le plus sain est sujet à mille infirmités;
Nous produisons en nous les humeurs qui nous nuisent,
Et d'eux-mêmes nos corps tous les jours se détruisent.
LE VIEILL. Cette destruction produit votre intérêt;
Les médecins sont mal quand personne ne l'est.
Mais quittons ce discours, et songeons au remède
D'un accident si prompt qui réclame votre aide:
(Montrant Ménechme Ravi qui entre.)
Voyez ces yeux mourans, et ce teint inégal:
Ne nous épargnez point, et soulagez son mal.

SCÈNE V.

MÉNECHME RAVI, ORAZIE, LE VIEILLARD, LE MÉDECIN, DEUX VALETS.

MÉN. R. Que je vis aujourd'hui sous un astre sévère,
Et que le ciel me voit d'un regard de colère!
Ah! que j'ai, malheureux, manqué de jugement
Quand j'ai souffert qu'Ergaste ait vu ce diamant!

Mais si devant ce soir je n'achève sa vie,
Je veux qu'en ce moment la mienne soit ravie.
Sa vie, ah! qu'ai-je dit? puisque je l'entretiens,
Et qu'il fût mort sans moi, ses jours sont-ils pas miens?
On sait qu'il m'était cher, et que ce détestable
Ne vit depuis trois ans que des mets de ma table.
LE VIEILL. Il le faut aborder. LE MÉD. L'amour, ou vos procès,
Vous ont causé, monsieur, ces violens accès.
Quelles afflictions vous sont les plus sensibles?
Le ciel a mis à tout des remèdes possibles.
MÉN. Ravi. Que veut ce vieux rêveur? LE MÉD. D'où provient ce tourment?
Est-ce devers le front qu'il est plus véhément?
MÉN. R. Dieux, qu'il est insensé! LE VIEILL. Voyez l'extravagance.
OR. *au médecin.* Obligez-le, monsieur, d'une prompte ordonnance.
LE MÉD. Quels mets affecte-t-il? OR. Des mets trop délicats.
LE MÉD. Quelle sorte de vin boit-il à ses repas?
MÉN. R. Les vins les plus friands et les plus délectables.
Mais as-tu pris le soin de réformer les tables?
Que me conte ce fou? ne veut-il point savoir
Si le pain que je mange est du pain rouge ou noir,
Si j'use de poisson qui soit couvert de plumes?
Est-il si désireux de savoir mes coutumes?
LE VIEILL. Eh bien! que jugez-vous de ces propos confus,
Et que lui pourrez-vous ordonner là-dessus?
LE MÉD. Est-il fort amoureux? MÉN. R. Oui, de toutes les belles.
Apprends-le de ta femme, elle en sait des nouvelles.
LE MÉD. O comme il est troublé! OR. Vous lui pardonnez bien.
LE MÉD. Dort-il profondément? MÉN. R. Oui, si je ne dois rien.
LE MÉD. C'est parler de bon sens. MÉN. R. Que répondrai-je encore?
LE MÉD. Sa santé ne dépend que d'un peu d'ellébore,
Et son mal n'a pas tant altéré sa raison,
Qu'il ne puisse bientôt espérer guérison.
LE VIEILL. Sa douleur maintenant a moins de violence.
Vous n'eussiez pu tantôt souffrir son insolence;
En l'humeur qu'il était, il nous eût frappés tous;
Il nous a menacés d'un orage de coups.

Il s'était proposé de ruiner cette île,
Et sans toucher un homme il en a défait mille;
Ses gestes et sa voix nous saisissaient d'horreur,
Et j'ai fait sagement d'éviter sa fureur.
MÉN. R. Dieux, qu'est-ce que j'entends? LE VIEILL. N'as-tu pas la mémoire
D'avoir contre du vent disputé la victoire,
D'avoir menacé l'air, défait des visions?
Ne te souvient-il point de ces illusions?
Tu ne te proposais qu'horreur et que carnage,
Et tu nous as voulus immoler à ta rage.
MÉN. R. Et toi, te souvient-il, opprobre des mortels,
D'avoir devant mes yeux pillé sur les autels,
Fait partout abhorrer ton humeur sanguinaire,
Dévoré tes enfans, assassiné ta mère,
Empoisonné ta femme, et vendu ton pays;
Enfin d'avoir les dieux et les hommes trahis?
Est-ce là comme il faut publier ta louange?
Est-ce assez pour un fou d'avoir rendu ton change?
LE VIEILL. Comme son mal s'accroît! Écoutez son discours,
Et ne différez plus d'y chercher du secours.
LE MÉD. Si je ne le guéris de cette maladie,
Il est bien malaisé qu'un autre y remédie;
Qu'on l'amène à ma chambre, et, malgré ses efforts,
Que quelqu'un de ces gens le saisissent au corps.
Je connais de ce mal la cause véritable;
En de certains accès il est plus redoutable.
Quelque sanglant ennui l'a réduit à ce point,
Et s'il n'est attaché, je n'en approche point.
(Aux deux valets.)
Allons, emportez-le. MÉN. R. Dieux! dors-je, ou si je veille?
O ciel! quelle infortune à la mienne est pareille?
Dieux, hommes, animaux, qui me vient assister?
Que me veulent ces gens? où me veut-on porter?
(Il se débat avec les deux valets.)

SCÈNE VI.

LES MÊMES, MESSÉNIE.

MESS. Enfin j'ai la maison à bon prix assurée;
Mon maître y peut venir, sa chambre est préparée:
Mais las! en quel état il paraît à mes yeux!
Quelle injure a-t-il faite au peuple de ces lieux?
Il le faut assister, et fendre cette presse.
MÉN. R. O dieux! qu'ai-je commis, que chacun me délaisse?
MESS. Que veut aux étrangers ce peuple injurieux?
Traîtres, n'irritez pas mon esprit furieux!
Rendez cet innocent à mes justes requêtes,
Ou craignez que mes bras ne fondent sur vos têtes.
LE VIEILL. Que veut cet insensé? LE MÉD. Secourir son pareil.
MÉN. R. Ah! quel heureux démon t'inspire ce conseil?
Seul sensible à mes cris, seul à mon sort propice,
Achève, cher ami, ce favorable office;
N'en épargne pas un, et suis ta passion:
L'innocence répond de ta rémission.
UN VAL. *fuyant.* Adieu, je cède aux coups. MESS. *allant pour frapper le vieillard.* Toi, dont la main hardie,
D'un coup si furieux m'a la joue étourdie....
LE VIEILL. *fuyant avec Orazie.* Ah! ma fille, fuyons. MÉN. R. *au médecin.* Tous les dieux vainement
Te voudraient dérober à mon ressentiment.
Ta mort sera le prix.... LE MÉD. *fuyant.* Il faut fuir, si je m'aime.
MÉN. R. *à Messénie.* Que je suis redevable à ta valeur extrême!
Le ciel te soit propice, et que ses déités
Te comblent de plaisirs et de prospérités.
Leur rage fût sans toi de mon sang assouvie,
Et sans toi, dans leurs mains, j'aurais perdu la vie.
MESS. Admirez maintenant la valeur de ce bras;
Voyez comme les coups sont ses plus doux ébats;
Comme cette canaille, à mes yeux disparue,
Évite ma fureur, et me cède la rue.
Suis-je pas à propos sorti de la maison?
Et pouvais-je venir en meilleure saison?

Heureuse occasion que le ciel m'a fait naître,
Pour signaler ma force en faveur de mon maître!
Mais qui portait ces gens à vous traiter ainsi?
De quoi se plaignaient-ils? ôtez-moi de souci.
MÉN. R. Deux mots te l'apprendront. Ma femme. MESS. Qui?
MÉN. R. Ma femme.
MESS. Que son esprit se trouble en l'ardeur qui l'enflamme!
Ménechme, où songez-vous? MÉN. R. Et qui t'a dit mon nom?
MESS. Dieux! l'extrême fureur qui trouble sa raison!
MÉN. R. Comment t'appelles-tu? MESS. Mon nom est Messénie.
MÉN. R. Que je suis redevable à ta force infinie!
Crois que je suis sensible au bien que tu me fais,
Et que je chérirai ta mémoire à jamais.
Je publîrai partout ta force incomparable.
Adieu, que soit le ciel à tes vœux favorable.
MESS. Ah! je vois de son mal des signes trop puissans:
Je veux perdre le jour, s'il n'a perdu le sens.
Ne le puis-je tirer de cette rêverie?
Mon maître, tout est prêt à votre hôtellerie;
Je vous ai trop vengé de ces affronts reçus,
Ne perdez point de temps à rêver là-dessus:
Il faut rendre le calme à cet esprit malade,
Et divertir vos soins par quelque promenade,
Lorsque vous aurez vu si la maison vous plaît.
O ciel! ô justes dieux! en quel état il est!
MÉN. R. Aurais-tu, ma raison, oublié ton usage?
Il faut que je sois fou, si tout le monde est sage;
Et voyant tant de voix s'accorder en ce point,
Je commence à douter si je ne le suis point.
Ami, qui que tu sois, je ne te puis connaître;
Tu m'honores à tort du titre de ton maître;
Je ne me souviens point de t'avoir jamais vu,
Et je t'affranchirais, si ce nom m'était dû.
MESS. C'est trop continuer cette feinte inutile,
Ne me croyez-vous point du peuple de cette île?
J'arrive comme vous en cette nation,
Et je n'ai point de part en leur intention;

Mais vous connaissez trop mon nom et mon servage,
J'en porte sur le dos un trop sûr témoignage.
MÉN. R. Dieux! qu'est-ce que j'attends? MESS. C'est que votre bonté
Me délivre aujourd'hui de ma captivité.
Monsieur, prononcez-moi cet arrêt favorable:
Deux mots peuvent changer mon destin misérable.
MÉN. R. Sois libre, j'y consens. MESS. Agréable discours!
Quel bonheur est pareil à celui de mes jours!
Usez pourtant, monsieur, de la même puissance
Que quand je dépendais de votre obéissance;
Ne m'abandonnez pas en cette nation,
Car je suis vôtre encor par inclination.
Allons au logement, que là je me décharge
De tout ce que vos mains ont commis en ma charge.
MÉN. R. Non, je t'attends ici. MESS. Je reviens de ce pas,
Et j'apporte les clefs; ne vous éloignez pas.
(Il sort.)
MÉN. R. *seul.* O dieux! qu'avec plaisir j'aurais vu sa folie,
Si j'étais délivré de ma mélancolie!
Mais je ne puis forcer l'excès de mes ennuis;
Tout m'est désagréable en l'état où je suis;
En l'extrême fureur dont j'ai l'âme embrasée,
Je verserais des pleurs d'un sujet de risée.
Plus confus, et plus mort que je ne fus jamais,
Je vais chercher quelqu'un qui travaille à ma paix.

ACTE V.

Hinc ad scenam ultimam commentis sibi suis Rotrovius fabulam producit, dum rursus et Sosiclem et Surreptum cum Messenione, Erotio, Horatia committit, et Sosiclem ultro amores profitentem seque conjugio stabili cum Epidamniensi vidua copulantem fingit.

SCÈNE VII.

LES MÊMES, MÉNECHME RAVI, LE VIEILLARD, LE MÉDECIN, DEUX VALETS.

MÉN. R. *poursuivi par le vieillard, le médecin et les valets.*

Qu'on blâme ma faiblesse, et qu'on me la reproche,
Si je n'étends à bas le premier qui m'approche.
Que me veulent ces gens? LE VIEILL. *aux valets.* Allez, que craignez-vous?
MÉN. R. S'ils ont l'esprit bien sain, qu'ils craignent mon courroux.
LE MÉD. *aux valets.* Marchez, saisissez-le. MÉN. R. Si quelqu'un d'eux s'avance !....
UN VAL. *au médecin.* Exécutez vous-même une telle ordonnance.
Je crains.... LE MÉD. Quoi? UN VAL. Sa folie. MÉN. R. Ah! traître, ce discours....
UN VAL. O dieux! MÉN. R. Sera suivi de la fin de tes jours.
MESS. Que voyez-vous, mes yeux? ô prodige! ô merveille!
Je doute si je vis, je doute si je veille.

(A Ménechme Sosicle.)

Mon maître est en deux lieux. Que vous veulent ces fous?
Je vais vous secourir et seconder vos coups.
MÉN. SOS. On ne m'attaque pas. MESS. *à Ménechme Sosicle.* Voyez comme on vous traîne;
Et vous ne sentez pas les effets de leur haine?
OR. Dieux! qu'est-ce que je vois? MESS. Gardes, n'approchez pas.
Je vais seul à vos yeux vous tirer de leurs bras.

MÉN. R. O toi, qui que tu sois, dont la main favorable
M'est encor cette fois au besoin secourable,
Seul ami qui me reste, auteur de mon repos,
Que ton secours me vient et m'assiste à propos!
MÉN. Sos. Dieux! je vois mon image. LE VIEILL. O ciel! à cette vue
Que mes yeux sont troublés, que mon âme est émue!
ERG. Ce n'est qu'un même objet, je ne puis deviner
Qui des deux ce matin m'a réduit à jeûner.
MESS. Qui de vous est Ménechme? Oh! que j'ai d'espérance,
Si je puis de vous deux faire la différence!
Si le ciel aujourd'hui favorise mes vœux,
Je trouve un second maître, et vous l'êtes tous deux.
MÉN. R. Las! je n'ai point de gens au besoin si propices,
Ils ne m'ont point rendu de semblables offices.
MESS. Mais quel est votre nom? tirez-moi de souci.
MÉN. R. On m'appelle Ménechme. MÉN. Sos. Et moi, Ménechme aussi.
MESS. Quel est votre pays? MÉN. R. Syracuse, en Sicile.
Mais las! depuis long-temps je demeure en cette île:
Je fus pris chez mon père en mes plus jeunes ans.
MÉN. Sos. C'est lui, n'en doutons plus. Que mes vœux sont contens!
MESS. Et votre père a nom? MÉN. R. Mosque. MÉN. Sos. O dieux! ô mon frère!
O rencontre agréable! ô fortune prospère!
Mes soins sont achevés, et mes travaux finis,
En cet heureux moment qui nous a réunis.
MÉN. R. Oui, si j'en ai de vous le moindre témoignage.
MÉN. Sos. Quand vous fûtes ravi, nous étions de même âge.
Orante est notre mère. MÉN. R. O dieux! qu'ai-je entendu?
. . . .
O Ménechme! mon frère! MESS. Et ce cher Messénie,
Que vous avez aimé d'une amour infinie,
L'avez-vous oublié? le méconnaissez-vous?
Ne lui ferez-vous point un visage plus doux?
MÉN. R. Le temps n'a de ton nom effacé la mémoire.
O mon cher Messénie! ô dieux, le puis-je croire!
LE VIEILL. O bonheur sans pareil! OR. Bons dieux! qu'avons nous fait,
Si cet autre Ménechme est mon frère en effet?

LE VIEILL. Embrassez-le ma fille. OR. *à Ménechme Sosicle.* Est-ce donc vous, mon frère?
Excusez les transports d'une aveugle colère ;
Cette heureuse rencontre amortit mon courroux.
(A Érotie.)
Madame, pardonnez à mes soupçons jaloux:
Accordez vos désirs à ce bonheur extrême;
Et ne dédaignez pas que mon frère vous aime,
Puisqu'hymen est l'objet de ses affections,
Et qu'il peut disposer de ses intentions.
MÉN. Sos. Madame, pour combler cette réjouissance,
Avouez mon amour et mon obéissance.
Vos charmes ravissans ont mon cœur enchanté,
Et vos premiers regards ont pris ma liberté;
J'offre tous mes désirs, j'offre mon âme nue
A votre honnêteté que j'ai trop reconnue;
Et, si vous n'avez plus mon service à mépris,
Un favorable hymen conjoindra nos esprits.
ÉROT. Que je bénis ce jour, et que je suis ravie
De voir ce changement conforme à votre envie!
Qu'un extrême rapport a nos yeux abusés,
Et que j'aurai failli si vous ne m'excusez!
Je tiendrai pour faveur qu'un heureux mariage
Sous un même destin nos deux âmes engage,
Et que cette union calme nos différens,
Quand j'aurai là-dessus consulté mes parens :
Il est en mon pouvoir d'engager ma franchise,
Je suis veuve, et ce titre en ce point m'autorise;
Mais je dois ce respect à leur autorité,
Qui ne contredit point ce que j'ai projeté.
MÉN. Sos. Qu'un favorable port m'a mis en cette rive!
Que je serai content, si cet honneur m'arrive!
Mais, mon frère, qu'un mot à ce bonheur soit joint :
Ma curiosité ne veut plus que ce point.
Ayant été ravi, quelle heureuse fortune
A pu vous exempter d'une vie importune?
Je vous croyais plus mal : un captif rarement
A reçu de son maître un pareil traitement.

MÉN. R. Celui qui me ravit fut touché de ma peine :
Je n'éprouvai jamais sa rigueur ni sa haine,
Il m'obligea toujours de son affection,
Et je fus honoré de sa succession.
Je me suis marié, j'ai vécu dans cette île
Avec dessein pourtant de revoir la Sicile.
C'est à vous, maintenant, de m'ôter de souci :
Que font tous nos parens ? et qui vous mène ici ?
MÉN. SOS. Je vous conterai tout ; sois libre, Messénie,
Je t'accorde ce don. MESS. O faveur infinie !
MÉN. SOS. Un si rare bonheur succède à mes ennuis,
Que je donnerais tout en l'humeur où je suis.
ERG. *à Ménechme Ravi.* Suis-je seul malheureux en un bonheur si rare ?
Ce jour réunit tout, faut-il qu'il nous sépare ?
Pardonnez à ma faim qui m'a fait vous trahir ;
Tout le monde s'aimant, pourriez-vous me haïr ?
(Il se met à ses genoux.)
MÉN. R. Que puis-je refuser après tant de merveilles ?
Lève-toi, suis nos pas, et vide cent bouteilles.
ERG. O pardon favorable ! heureux commandement !
Mais que déjà n'en suis-je à l'accomplissement !
Hâtons-nous, Messénie, allons prendre les armes,
Et noyer tous nos maux dans un jus si divin :
Si la soif, ce matin, m'a fait verser des larmes,
Qu'elle me va, ce soir, faire verser de vin !





TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC SECUNDO PLAUTI VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS SECUNDI VOLUMINIS.



Conditions de la Seconde Souscription.

La collection complète des *Classiques Latins* se compose de 150 gros volumes grand in-8 beau papier, imprimés par Didot, et entièrement publiés, à 4 fr. 50 c. le volume; total: 675 fr. au lieu de 1981 fr. 50 c., prix de la première souscription.

Les livraisons seront de 2 ou 4 volumes tous les dix jours, ou d'un plus grand nombre, au choix des souscripteurs. On versera, en souscrivant, 9 fr. imputables sur les deux derniers volumes. Pour les départements et l'étranger, chaque ballot de 10 volumes coûtera en sus pour l'emballage 50 c., et 75 c. pour 20 volumes; le port à la charge du souscripteur.

En prenant dès à présent livraison de toute la collection, les 150 volumes ne coûteront que 625 fr. y compris emballage et port pour la France; 330 fr. pour chaque moitié, et 170 fr. pour chaque quart de la collection.

Après les 25 premiers souscripteurs le prix sera porté à 6 fr. le volume.

Vu le petit nombre d'exemplaires on ne servira que les 50 premiers souscripteurs à la collection complète.

Quelques exemplaires des divers auteurs se vendent séparément au prix de :

vol.		fr.		fr.
1	Catulle,	6	au lieu de	16.
20	Cicéron,	100	—	365.
3	Claudien,	11	—	37.
1	Florus,	6	—	13.
3	Horace,	18	—	38.
1	Justin,	6	—	16.
3	Juvenal et Perse,	16	—	49.
2	Juvénal seul,	12	—	32.
3	Lucain,	16	—	38
3	Martial,	16	—	48
10	Ovide,	60	—	125.
	1 Les Métamorphoses en grec,	6	—	16.
2	Phèdre,	12	—	37.
4	Plaute,	21	—	61.
13	Pline l'ancien,	65	—	186.
	2 La zoologie avec notes de Cuvier,	12	—	30.
2	Pline le jeune,	10	—	25.

vol.		fr.		fr.
4	Properce,	8	au lieu de	16.
3	Quinte-Curce,	17	—	50.
7	Quintilien,	35	—	94.
10	Sénèque, phil. et trag.	50	—	146.
2	Silius Italicus,	10	—	32.
4	Stace,	20	—	61.
2	Suétone,	14	—	36.
3	Terence,	16	—	38.
1	Tibulle,	6	—	16.
13	Tite-Live,	65	—	163.
2	Val. Flaccus,	10	—	27.
3	Val. Maxime,	13	—	35.
1	Vell. Paterculus,	6	—	16.
8	Poetæ minores,	36	—	113.
4	César.		Ne se vendront pas séparément.	
1	Corn. Nepos,			
1	Sallusle,			
6	Tacite,			
9	Virgile,			

SOUS PRESSE :

T. LUCRÈCE, servant de complément à la Collection.

2 VOLUMES, qui seront livrés aux souscripteurs à la collection complète, au prix des autres volumes.

N. B. Quelques volumes incomplets de la première souscription circulant dans le commerce, on ne garantit que les exemplaires revêtus de la présente couverture et provenant de la seconde souscription.

Imprimerie de H. Fournier et comp., rue de Seine, 14.



